SC. SUP. 6. Pl. II.

43
4 B
19

ARA 1968

INSTITUTIONES
PHILOSOPHICÆ
AD USUM
SCHOLARUM PIARUM.

TOMUS V.

Quod munus Reipublicæ afferre majus, meliuſve poſſumus, quàm ſi docemus, atque erudimus Juventutem: his præſertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda, atque coercenda ſit?

Cic. de Divin. II. c. 2.

EDUARDI CORSINI

CLER. REG. SCHOLARUM PIARUM

ET IN PISANA ACADEMIA

PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS

INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ

AD USUM

SCHOLARUM PIARUM

Editio altera auctior, & emendatior.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BONONIÆ MDCCXLII.

EX TYPOGRAPHIA LÆLII A VULPE.

SUPERIORUM AUCTORITATE.

Relinquitur ſola hæc Diſciplina digna ſtudioſis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris Viris, digna Principibus, digna Regibus.

Cic. de Finib. V. c. 25.

INDEX.

PRÆFATIO IN ETHICAM, ſive MORALEM. pag. 1.

DISPUTATIO I.

De ultimo fine, ſummo bono, vel fælicitate hominis. pag. 33.

Cap. I. *An ultimus finis hominis admitti debeat.* pag. 35.
Cap. II. *Sententia Philoſophorum de ultimo fine hominis.* pag. 44.
Cap. III. *Eligitur veriſimilior opinio.* pag. 60.
Cap. IV. *Quâ ratione, tempore, & loco ultimus finis, vel beatitudo acquiratur.* pag. 72.
Cap. V. *De beatitudine ſupernaturali, ejuſque dotibus.* pag. 85.

DI-

INDEX.

DISPUTATIO II.

De Actibus humanis. pag. 110.

Cap. I. *De Actûs humani naturâ, ac varietate.* pag. 111.

Cap. II. *De libertate humanorum actuum.* pag. 120.

Cap. III. *De ignorantiâ, metu, & concupiſcentiâ.* pag. 147.

Cap. IV. *De humanorum actuum bonitate, & malitiâ.* pag. 161.

Cap. V. *De legum neceſſitate, origine, & diviſione.* pag. 182.

Cap. VI. *De lege æternâ, vel naturali.* pag. 190.

Cap. VII. *De lege divinâ.* pag. 220.

Cap. VIII. *De legibus humanis, ſive de Jure Canonico, & Civili.* pag. 253.

Cap. IX. *De proprietatibus legum.* pag. 281.

Cap. X. *De conſcientiâ, ejuſque legibus.* pag. 302.

DISPUTATIO III.

De Virtutibus, & Vitiis. pag. 349.

Cap. I. *De Virtutis naturâ, & origine.* pag. 351.

Cap. II. *De Virtutum ſubjecto, connexione, & diviſione.* pag. 368.

Cap. III. *De Prudentiâ, ejuſque partibus.* pag. 379.

Cap. IV. *De Juſtitiâ, ejuſque partibus.* pag. 393.

Cap.

INDEX.

Cap. V. *De Fortitudine, ejuſque partibus.* pag. 407.
Cap. VI. *De Temperantiâ, ejuſque partibus.* pag. 413.
Cap. VII. *De Vitiis, & Peccatis.* pag. 419.
Cap. VIII. *De Affectibus.* pag. 432.

DISPUTATIO IV.

De variis Hominum Officiis. pag. 443.

Cap. I. *De Officio hominis erga Deum.* pag. 443.
Cap. II. *De Officio hominis erga ſeipſum.* pag. 458.
Cap. III. *De Officio hominis erga alios.* pag. 469.
Cap. IV. *De Officio hominis erga Familiam.* pag. 476.
Cap. V. *De Officio hominis erga Rempublicam.* pag. 488.

Vidit

Vidit D. Paulus Philippus Premoli Cleric. Regularium S. Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitent. pro SS. D. N. Benedicto XIV. Archiepiſcopo Bononiæ.

Die 25. Octobris 1740.

REIMPRIMATUR.

F. Joſeph Paulinus Rogerius Provicarius S. Officii Bononiæ.

IN QUARTAM PHILOSOPHIÆ PARTEM, ETHICAM, SIVE MORALEM

PRÆFATIO.

I. COEleſtem, ac divinam eſſe Sapientiæ originem, quam græco deinde nomine Philoſophiam Pythagoras appellavit, non modò clariſſimis rationibus, ſed veteri quoque, & conſtanti Sapientum voce erudimur. Quid enim aliud Socrati videbatur, ubi ſapientiam a Prometheo quodam veluti accenſam facem a Cœlo in terras delatam (a) dicebat, niſi quod eximius ille ſapientiæ ſplendor, qui ardentes in nobis, ut in-

(a) *Ap. Plat. in Philebo.*

inquit Plato, excitaret amores ſi videretur (*a*), e cœlo ſolùm mortalium oculis affulſit? quid aliud Cicero cum Philoſophiam *donum*, *& inventum Deorum* (*b*) vocavit, *quo nihil a Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt* (*c*), niſi quod illa degeneres omnium ferè hominum animos erigit, priſtinæque dignitatis immemores eſſe non patitur? quid denique illuſtriùs adhuc, & expreſſiùs divinæ literæ teſtantur Deum ipſum veluti *luminum patrem* (*d*) in ipſis *hominum viſceribus ſapientiam poſuiſſe*, niſi (*e*) ut apertè nobis oſtenderent ex uberrimo, ac infinito divinæ ſapientiæ fonte tenues etiam cognitionis noſtræ rivulos profluxiſſe?

II. Quod ſi partes omnes Philoſophiæ, reſque ſingulæ, quæ in ampliſſimo Sapientiæ ſtudio pertractari ſolent, cœleſtis, divinæque originis haberi debent, id meliori certè jure de illâ Philoſophiæ parte concedi poterit, quæ, cùm moribus hominum dirigendis, riteque informandis ſit inſtituta, *Ethicæ*, ſive *Moralis* diſciplinæ nomen obtinuit. Ceteræ nimirum Sapientiæ, vel Philoſophiæ partes in ſolâ rerum contemplatione verſantur; iſta verò non ſolùm honeſtatem contemplari deſiderat, ſed operis etiam modum exequitur: illæ facem ſuppeditant, quâ nos ex naturalium rerum cognitione ipſum Naturæ auctorem cognoſcamus; hæc efficit, ut honeſtatis amore, virtutum ornamento Deum imitemur: illæ non omnibus lucent, nec ab omnibus inquiri debent; hæc ſin-

(*a*) *de Fin. II. c. 16. & de Offic. I. c. 13.* (*b*) *Tuſc. I. c. 26.* (*c*) *de leg. I. c. 22. & de Univ.* (*d*) *Jacob. epiſt. c. 1. ver. 17.* (*e*) *Job. c. 38. v. 36.*

ſingulis hominum generibus adeſſe debet, *nulli præcluſa omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat* (a), *nec eſt quiſquam gentis ullius, qui ducem Naturam nactus ad virtutem pervenire non poſſit* (b): illæ denique ad rerum naturam perſcrutandam nos impellunt; hæc ad beatitatem, felicitatemque nos dirigit, ut gloriam, cujus amore incredibili prorſus incendimur, facilè, ac jucundiſſimè conſequamur.

III. Sapienter itaque ab antiquiſſimis uſque temporibus eſt inſtitutum, ut hæc uberrima, ac maximè neceſſaria Sapientiæ pars accuratiſſimè exponeretur, atque ubi mens ipſa rerum cognitione illuſtrata jam foret, voluntas etiam graviſſimis Moralis diſciplinæ luminibus excoleretur; *etenim cognitio, contemplatioque Naturæ manca quodammodo, atque inchoata foret, ſi nulla actio rerum conſequatur* (c). Nos certè, qui egregiis Adoleſcentibus omni bonarum artium ſplendore, præſertim verò pietatis, ac honeſtatis ſtudio erudiendis ex Inſtituti noſtri conſilio operam, animumque libentiſſimè addiximus, ſi quid in reliquis Philoſophiæ partibus adornandis conferre potuimus, hanc ſanè pro rei dignitate pertractandam alacri, ſerenoque animo ſuſcipimus; nihilque magis in votis habuimus, quàm ut adoleſcentes ipſi ex his potiùs Moralis diſciplinæ fontibus, quàm ex naturalium rerum contemplatione veræ felicitatis, ac ſapientiæ rivos derivent. Clariori itaque methodo, meliorique rerum delectu, & elegantiâ illuſtriores omnes veterum, recentiorumque Philoſophorum ſententias complectemur,

 mur,

(a) *Senec. de Benef.* III. c. 18. (b) *Cic. Leg.* I. c. 10. (c) *de Offic.* I. c. 153.

mur, tum quæcumque primis Ethicæ principiis, rationique proxima videbuntur, eligemus, ne quid in hujus etiam pulcherrimæ facultatis ſtudio optari poſſe videatur.

IV. Atque, ut ab ipſo Moralis, vel Ethicæ nomine, ac definitione exordiamur, illa deſcribi, vel definiri meritò ſolet *Ars bene vivendi; Ars vitæ* (a); *facultas dirigendis, perficiendiſque moribus inſtituta; ſcientia boni, & mali*, accuratiùs denique, & clariùs *ſcientia practica, quæ voluntatis actus conſiderat quatenus illi honeſtatis legibus conformati ad æternam hominis felicitatem diriguntur*. Illa nimirum ſingulas humanæ voluntatis operationes conſiderat non quatenus ab ipſis hominum viribus producuntur, quod ad Phyſicam pleno jure ſpectare debet, ſed quatenus illæ honeſtatis, aut pravitatis capaces ad finem dirigi poſſunt, ut inde bonæ, vel malæ exiſtimentur, quod fuſiùs, & uberiùs oſtendetur, ubi de bonitatis, atque malitiæ cauſsâ, & origine diſſeremus.

V. Nec aliud ſanè ſenſiſſe videntur illi, qui ſcientiam hanc, rectèque vivendi artem aut omnium primi adornarunt, aut novis certè præceptis auctam nitidiori methodo pertractarunt. Cùm etenim animadverterent ingenitum eſſe in cordibus hominum boni, vel honeſtatis amorem, impreſſos *quaſi virtutum igniculos, & ſemina* (b), ipſamque hominis naturam ad finem dirigi, quo beatitudinem conſequatur, atque alterâ tamen ex parte intelligerent homines ab ejuſmodi fine, & amore partim ſenſuum illecebris, partim terrenarum rerum cupiditate, partim degeneri quodam, humilique affectu, par-

tim

(a) *Cic. Fin. III. c. 1.* (b) *Cic. Fin. V. c. 7.*

tim denique incerto, & obſcuro boni, malique diſcrimine deflectere, varias ſubinde leges invenerunt, quibus a bono malum facilè diſtingueretur, morum honeſtas nobiliùs effulgeret, addito virtutum ſplendore animus vividiùs incenderetur, degeneres demum affectus illi, qui nos abripere plerumque ſolent, pacato, ac ſereno rationis lumine, mitioribuſque naturæ viribus vincerentur.

VI. Hinc dubitari certè non poterit quin ab antiquiſſimis uſque temporibus, cum adhuc rudes, ac efferæ gentes forent, nullumque ſcientiarum lumen illarum oculis affulſiſſet, cum nempe Phyſicæ, aliarumque diſciplinarum ſtudium, quæ *ſpeculativa* dicuntur, nondum florere cœpiſſet, tenue quoddam Moralis diſciplinæ ſpecimen appareret: neque immeritò fortaſſe conjicere, vel ſuſpicari quis poterit patres familias, quos diuturna rerum experimenta doctiores, fracta jam laboribus ætas ſeveriores, corrigendiſque juvenum moribus aptiores, canities ipſa, oriſque majeſtas venerabiles, pacata denique ſpirituum tranquillitas mitiores, audiendiſque naturæ vocibus alacriores reddiderat, plura filios, nepoteſque graviter docuiſſe, quibus in vitâ ritè peragendâ feliciter uti poſſent; unde, quemadmodum experimento ipſo, & accurato ciborum delectu corporis tuendi cauſsâ Medicina inventa eſt, ita rerum illarum, quæ moribus obeſſe, ſive prodeſſe poterant, obſervatione, * Moralis ipſa, quam proinde Cicero *medicinam animi* appellat, inventa, ac illuſtrata

* Nobis videtur obſervatio primùm boni, honeſtique notitiam collegiſſe, & rerum ſæpe factarum collatio per analogiam noſtro intellectu, & bonum, & honeſtum indicante. *Sen. epiſt.* 120.

fuerit; hoc uno diſcrimine, quod ciborum utilitas vario, ac fallaci plerumque ſenſuum judicio explorari debuerit, at morum honeſtas innatis quibuſdam, clariſſimiſque naturæ luminibus diſtinguatur *.

VII. Quæ cùm ita ſint, immeritò prorſus inquiritur quis omnium primus hanc Sapientiæ partem invenerit, quo primùm tempore illa floruerit? intelligi nimirum, ac demonſtrari facilè poterit Moralis originem nihil ab ipsâ humani generis origine diſſidere, primumque hominem, cui certè virtutum omnium ſemina, honeſtatis amor, rationiſque lumen affulgere debuit, quæ noſtris omnium mentibus, vel cordibus impreſſa ſunt, primum quoque Philoſophum, vel Moralis diſciplinæ cultorem extitiſſe. Quod enim Socrates Ethicæ inventor haberi ſoleat, ut inferiùs oſtendetur, id ſolùm probat, quod ille mortalium animos in ſolâ fere ſenſibilium rerum contemplatione, naturæque ſtudio defixos ad honeſtatis amorem excitaverit, ideoque Moralem ex omnium animis collapſam erexerit, illuſtraverit, meliorique loco, & ordine haberi juſſerit. Ceterùm Moralis diſciplinæ ſtudium ante Socratis ætatem extitiſſe non modò ipſius facilitas, utilitas, atque præſtantia mirificè oſtendit, ſed ex innumeris etiam viris id demonſtratur, qui ante Socratem, ac reliqua græcanicæ ſapientiæ lumina laudabili quodam vivendi genere, morumque doctrinâ floruerunt, ut Moralem proinde ceteris Philoſophiæ partibus æqualem, niſi for-

* Eſt profectò animi medicina Philoſophia, cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum eſt foris. *Tuſc. III. c. 3.*

fortaſſe veriùs antiquiorem eſſe putemus; cùm præſertim Cicero ex Moralis cognitione, vel ſtudio reliquas Philoſophiæ partes profluxiſſe arbitretur, dum expreſsè docet, quod *iſtorum verborum amore ſapientiæ, fortitudinis, juſtitiæ, temperantiæ præſtantiſſimis ingeniis homines ſe ad Philoſophiæ ſtudium contulerunt* * (*a*), atque Horatius (*b*) ipſe commemoret prima ſapientiæ ſemina in dirigendis, excolendiſque moribus extitiſſe

—— fuit hæc ſapientia quondam
Oppida moliri, leges incidere ligno,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis;

quemadmodum certè ab antiquiſſimis uſque temporibus

Sylveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum
Cædibus & victu fædo deterruit Orpheus
Dictus ob id lenire tigres, rabidoſque leones;
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet.

VIII. Atque utinam quidem veterum Sapientum præcepta ſupereſſent, quibus illorum doctrina, & expreſſa quædam naſcentis ferè Moralis imago videretur! Sed, cùm ejuſmodi ſcripta, partim temporis diuturnitate, partim rerum viciſſitudine, partim etiam diffidendi, innovandique ſtudio, quo Græciæ Philoſophi extera, ac vetera contempſere, prorſus exciderint, hanc priſtinæ, nativæque ſapientiæ ſpeciem eamque ſeriem, quâ ſenſim illa adoleverit, contemplari non poſſumus. Credibile eſt tamen Aſſi-

(*a*) *Fin.* 2. *c.* 16. (*b*) *Art. Poet. v.* 396.

* Omnis ſumma Philoſophiæ ad beate vivendum refertur, idque unum expetentes homines ſe ad hoc ſtudium contulerunt. *Cic. Fin. II. c.* 25.

ſirios, Chaldæos, Perſas, & Arabes, Ægyptios, ceteraſque gentes, quæ Orienti proximæ fuerant, hoc illuſtri ſapientiæ genere floruiſſe, ut ex aliquibus illorum monumentis, quæ adhuc ſuperſunt, clariſſimè demonſtratur. Ejuſmodi certè ſunt Chaldæorum Oracula, quibus uberrimam lucem addidit Clericus *(a)*, quæque alioquin obſcura maximè, & perplexa forent. Illa nimirum plurima præcepta continent moribus informandis idonea, de quibus alibi diſſeremus. Chaldæos æmulati ſunt Perſæ, qui Zoroaſtro duce plura de morum doctrinâ, Deorumque cultu pertractarunt, atque eximiam in primis operam in regiis adoleſcentibus erudiendis collocarunt, ut ex aureis Zoroaſtris Carminibus, Platonis Alcibiade, & Xenophontis Pædiâ cognoſcimus.

IX. Paullo obſcurior, ac difficilior eſt Ægyptiorum doctrina, cujus nulla ferè monumenta ſuperſunt, cùm præſertim libri, qui Mercurii Triſmegiſti nomine circumferuntur, a ſeverioribus Criticis inter apocrypha numerentur. Plurima tamen illorum præcepta, quæ Moralem reſpiciunt, a Porphyrio *(b)*, aliiſque Græcis Auctoribus memorata Marshamus *(c)*, ac Boſſuetus *(d)* accuratiſſimè collegerunt, quibus apertè ſatis oſtenditur, Hermetis operâ, atque ſapientiâ non modò ceteras Philoſophiæ partes, quarum memoriæ duabus columnis inſcriptæ fuerant unde Pythagoras, Plato, Democritus plurima derivarunt *(e)*, ſed hanc etiam apud Ægyptios maximè floruiſſe.

X. Hoc

(a) Hiſt. Phil. Orient. (b) de Abſtin. IV. (c) Canon. Chron. Ægyptiacus (d) Diſcour. ſur. l'Hiſt. Univerſ. (e) Jambl. de Myſter. & Euſeb. in Chron.

X. Hoc etiam eximio, graviſſimoque doctrinæ ſtudio Brachmanes, & Gymnoſophiſtæ apud Ethiopas, ac Indos celebres extitere. Illi nimirum, etſi in rudi quodam, auſtero, ferinoque vivendi genere, ac variis opinionibus, quæ ſuperſtioſæ prorſus, ac inanes fuerunt, irrideri potuerint, aliqua tamen ſapienter admodum de animorum immortalitate, futuro vitæ ſtatu, de ſanctitate, juſtitiâ diſſerebant, ut Strabo (a), Philoſtratus (b), aliique commemorant.

XI. Quid verò, ut ultimos etiam, remotiſſimoſque Orientis populos complectamur, quid de Sinenſibus, illorumque duce Confuſio dicamus, de quo variæ, ac diſſidentes adeo doctiſſimorum hominum ſententiæ, ſive judicia feruntur, ut definiri vix poſſe videatur, quo loco, & pretio illorum dogmata, ac religio haberi debeat? Plerique nimirum ita Confuſii, ac Sinenſium mores, atque præcepta venerantur, ut præclaris Ethicæ, ac Politicæ ſcientiæ luminibus, quæ apud Sinenſes florent, gentes omnes, quæ in Europâ aliquâ doctrinæ gloriâ celebres extitere, vix comparari poſſe contendant (c); illum exiſtiment *non modò purum, nudumque Philoſophum a ratione formatum, ſed etiam virum divinitus inſpiratum ad novi Orbis reformationem (d)*: atque ex pluribus Sinenrum hiſtoriis inferant manifeſtiſſimè oſtendi, quod *illi non ſolùm religionis ſpiritum conſervarunt, ſed præcepta quoque puriſſima charitatis exercuerunt, quæ religionis perfectio, atque character haberi debet; quod Ethica puritas, ſanctitas morum, fides, interior, exteriorque veri Dei cultus,*

(a) *lib. XV.* (b) *Vita Apol. VI. c.* 21. (c) *Leibnit. praf. ad noviſs. Sinica.* (d) *P. Cointe.*

tus, Sacerdotes, Beatorum ſacrificia, homines divinitus inſpirati, miracula, religionis ſpiritus, charitas purior, Deique ſpiritus apud Sinenſes ſupra duo annorum millia perſeveravit, ut nulla proinde natio fuerit, cui plures gratiæ, vel dona conceſſa fuerint; quod eorum religio ſit eadem in præcipuis, principibuſque capitibus ac Chriſtianæ, cum eundem Deum Cœli, Terræque quem Chriſtiani venerantur, veteres quoque Sinenſes in templorum omnium antiquiſſimo ita coluerint, ut Chriſtianis ipſis exemplo, ac eruditioni eſſe poſſint (a). Alii verò, qui ſepoſito partium ſtudio, ac ingenuo veritatis amore ſincera Sinicæ ſapientiæ, ac religionis monumenta ſcrutari voluerunt, non ea, quæ incautis hominibus obiiciuntur, quæque plurimos in oppoſitam ſententiam abripuere, conſtanter aſſerunt nullam Confuſio, nullamque Sinenſibus ſupremi Numinis notitiam affulſiſſe; ipſos corpoream ſolùm vim corporeo Cœlo inditam agnoviſſe, quam ſacris ſubinde, ſuperſtitioſiſque ritibus venerantur, ut illi proinde inter atheos haberi debeant. Quanquam hac de re plura diſſerere nec juvat, nec decet, cùm plurima a doctiſſimis viris edita fuerint, quibus vera Sinenſium religio cognoſci poſſit. Id unum addere juverit Confuſium plura de moribus egregiè, ſapienter, & eleganter admodum docuiſſe, ut ille proinde illuſtrioribus ſapientiæ luminibus accenſeatur. Brevi tamen admirabilis illa Confuſii doctrina languere cæpit, atque omnium ferè animis inſeri impia Foè dogmata; cujus aſſeclæ, etſi publicè futurum vitæ ſtatum, juſtorum præmia, ac iniquorum pænas exponant, occultè tamen utrumque negant,

(a) *Hiſt. Eccl. ſæc. XVII. n. 24.*

gant, neque ab impiâ Spinoſæ doctrinâ diſſident, quæ non modò religionis omnis, ſed Ethicæ quoque, ſive Moralis diſciplinæ lumen extinguit.

XII. Quemadmodum tamen Græcia ſcientiarum omnium gloriâ mirificè floruit, ita quoque Moralis diſciplinæ ſtudio ceteras nationes omnes longiſſimè ſuperavit, quod Græciæ Philoſophi, dum longo, diuturnoque itinere exteras gentes inviſerent, illarum dogmata didicerint, trajectoque mari in Patriam (*a*) derivaverint. Hinc Orientalium more vitæ præcepta, morumque leges, aut elegantiſſimis verſibus illigarunt, aut ſuavi quadam allegoriâ, fabularumque ſpecie velarunt (*b*), ut illa faciliùs in hominum animos illaberentur, & altiùs in illis, atque vividiùs inſiderent. Cujus quidem argumento eſſe poterunt non modò Theognidis Megarenſis *Sententiæ* elegiaco verſu conſcriptæ, quæ adhuc ſuperſunt; elegantiſſimæ, doctiſſimæque Eſopi fabulæ, quæ omnium manibus teruntur; antiquiſſima Pitthei dicta, quæ Plutarchus (*c*) ipſe commemorat; verùm etiam Heſiodi, & Homeri carmina, quibus innumera moralis ſapientiæ lumina, fabulis plerumque incluſa deprehenduntur.

XIII. Maximum deinde lumen a celeberrimis ſeptem Græciæ Sapientibus, Thalete nimirum, Pittaco, Biante, Solone, Cleobulo, Miſone, & Chilone Moralis accepit, quorum dogmata, vel apophtegmata a Laertio, Plutarcho, Auſonio, aliiſque pluribus memorata, atque a Buddeo variis diſſertationibus illuſtrata, clariora

(*a*) *Vid. Plato in Epinom.* (*b*) *Vid. Fabr. Bibliotb. Gra. c. 9.* (*c*) *init. Vita Theſei.*

riora certè ſunt, quàm ut hìc fuſiùs exponi debeant. Hos inter Solon excelluit, atque inter optimos legumlatores haberi debet; quemadmodum ceteri, ſi Thaletem unum exceperis, *Civitatibus ſuis præfuerunt* (a). Hos tamen ætate proximè inferior, ingenii gloriâ, & Moralis ſtudio longiſſimè ſuperavit Pythagoras, qui non modò Thaletem, ac Phærecidem Syrum, ſed exteras quoque gentes adivit, ut illarum legibus erudiretur, quas inde rudibus Græcis eleganter, accuratèque expoſuit, ut Ariſtoteles ipſum de virtute primum diſſeruiſſe arbitretur (b). Ac innumera ferè ſunt illa, quæ ab ipſo tradita circumferuntur, etſi Pythagoras ipſe nihil ediderit, & Aurea proinde Carmina, quæ illi inſcribuntur, aut a Lyſide, aut ab Empedocle, aut a variis potiùs Pythagoricæ ſectæ Philoſophis collecta fuerint, ut doctiſſimi viri arbitrantur. Porrò illud unum Pythagoræ vitio verti fortaſſe poterit, quod, ut profanum vulgus arceret, aut majorem arcanæ doctrinæ venerationem conciliaret, obſcuris admodum verborum ambagibus, ſymbolis, enigmatibus dogmata celare conſueverit, ut myſteriis ferè initiari viderentur, qui Pythagoricæ ſapientiæ nomen addicerent.

XIV. Quod ſi Pythagoræ doctrina apud Italicos mirificè floruit, cùm præſertim ab illo Charondas Rheginorum, Zamolxis Getarum, & Zaleucus Locrenſium legumlatores fuerint eruditi, Jonicæ quoque ſectæ Philoſophi, qui a Thalete ſunt inſtituti, hoc ipſum Ethicæ ſtudium illuſtrarunt, atque inprimis Anaximander, Anaxagoras, & Archelaus, quorum opinio-

(a) *Cic. de Orat. III. c. 34.* (b) *Magn. Mor. I. c. 1.*

niones fuſiùs, & opportunius alibi explicabuntur. Cùm tamen ipſi naturalium rerum admiratione defixi Phyſicam impenſiùs colerent, Moralis ſtudium brevi temporis injuriâ, hominumque neglectu interiturum videbatur, niſi divinus ille Philoſophus Socrates illud excitaſſet, vividiùs illuſtraſſet, ad maximum denique laudis, & gloriæ ſplendorem evexiſſet.

XV. Socrates itaque, *id quod conſtat inter omnes, primus a rebus occultis, & ab ipsâ naturâ involutis, in quibus omnes ante eum Philoſophi occupati fuerunt, avocavit Philoſophiam, & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de rebus bonis, & malis quæreret, cœleſtia autem vel procul eſſe a noſtrâ cognitione cenſeret, vel ſi maximè cognita eſſent, nihil tamen ad bene vivendum conferre* (a). Quâ verò ingenii doctrinæque gloriâ novam hanc docendi methodum Socrates illuſtraverit, quam feliciter propagarit, ex innumeris quidem veterum teſtimoniis erudimur, nullum tamen illuſtrius fortaſſe, vel honorificentius haberi poterit, quàm quod ille Apollinis oraculo, totiuſque deinde Græciæ conſenſu *hominum ſapientiſſimus* (b) eſt appellatus, quod *Philoſophiæ Parens* (c) haberi meruerit, cumque Pythagoras, ut Ariſtoteles ipſe teſtatur, omnium *primus de virtute dicere aggreſſus eſt, quamquam non rectè, illi ſuccedens Socrates de hac re meliùs pleraque diſſeruit: ſed ne ipſe quidem rectè, quoniam virtutes ſcientias efficiebat, quod fieri nullo modo poteſt* (d); in quo tamen Socrates ab Ari-

(a) *Cic. Ac. I. c. 4. & Tuſc. V. c. 4. & Laert. II. v. 21. 45.*
(b) *Cic. de Amicit. c. 13. vid. Tuſc. V. c. 46. & Laert. II. ſeq.*
(c) *Cic. Fin. II. c. 1.* (d) *Ariſt. Magn. Moral. I. c. 1.*

Ariſtotelis reprehenſione opportuniùs alibi vindicabitur.

XVI. Eximia verò Socratis doctrina, cùm Socrates ipſe *literam nullam reliquerit* (*a*), ejuſque epiſtolæ ab Allatio vulgatæ a ſeverioribus Criticis apocryphæ exiſtimentur (*b*), aliis ex fontibus reperi debet, præſertim verò ex Platonis, & Xenophontis Operibus, quibus illa *duo Socraticæ amænitatis lumina* (*c*) præceptoris doctrinam elegantiſſimè illuſtrarunt. Æſchinis etiam Dialogi ſuperſunt & *Cebetis Tabula*, quibus iſti Socratis præceptoris ingenium, & dogmata complectuntur. Quin etiam ſapientes omnes, qui in qualibet Philoſophorum ſectâ de moribus diſſerebant, etſi variâ ſubinde ratione dogmata propria proponerent, *ſe* tamen *Socraticos & dici volebant, & eſſe arbitrabantur* (*d*), ut ex incredibili nimirum Socratis gloriâ aliquis etiam illorum doctrinæ ſplendor accederet.

XVII. Nullus tamen, ut antea dicebamus, hac in parte Platoni comparari meritò potuit, non modò quòd ille regii generis nobilitate, incredibili ingenii laude, & plurimis ſcriptis editis floruerit, ut *ſapientiſſimus Græciæ vir, longèque doctiſſimus* (*e*), *Philoſophorum princeps* (*f*), & *Deus* appellari conſueverit, verùm etiam quòd incredibili prorſus amore, gratique animi ſenſu Præceptoris doctrinam eſt proſecutus, ut principem ſemper locum in dialogis illi concedat, nihilque ab illius doctrinâ diſſideat, niſi fortaſſe hoc uno diſcrimine, quod, cùm Socrates *propriam ſententiam tegeret*, *errore*

(*a*) *Cic. de Orat. III. c. . .* (*b*) *Olear. apud Stanlej. part. 3.*
(*c*) *Agell. Noct. Attic. XIV. c. 3.* (*d*) *Cic. de Orat. III. c. 16.*
(*e*) *vid. Cic. de Leg. II. c. 6.* (*f*) *id. Fin. V. c. 2.*

re alios levaret, & in omni diſputatione quid eſſet ſimillimum veri quæreret (a), Plato, etſi, plerumque hanc ipſam docendi methodum ſervaret, & in illius *libris nihil affirmetur, & in utramque partem multa diſſerantur, de omnibus quæratur, & nihil certi dicatur* (b), plurima tamen certò, conſtanterque definit, ut proinde Platonem ex illorum *numero tollendum* aſſerat Cicero (c), qui de rebus omnibus dubitarunt, aut nihil definire conſueverunt. Impensè quoque Platonem commendat Cicero (d) quod omnia ſuavi quodam, eleganti, ac decoro dicendi genere expreſſerit, ut illius phraſim proſam inter ac poeſim mediam dixerit Ariſtoteles (e); quemadmodum etiam fertur Muſas Platonis ore loquuturas ſi Attico ſermone loqui debuiſſent (f). Præcipua vero Platonicæ doctrinæ capita fuſiùs, & opportuniùs alibi explicabuntur: id unum obiter dixiſſe juverit nullum eſſe ex antiquioribus Philoſophis, qui de Deo, animi naturâ, morumque honeſtate nobiliùs, atque magnificentiùs diſſeruerit; ut illius proinde doctrinam Evangelio affiniorem putaverit Auguſtinus, apertèque dixerit Platonicos paucis mutatis Chriſtianos eſſe, ideoque veteres Eccleſiæ Patres ipſius doctrinam mirificè, conſtanterque amplexi fuerint.

XVIII. Ex ipsâ quoque Socratis diſciplinâ erupit Antiſthenes Cynicæ ſectæ inſtitutor, qui plurima Cynicis Ethicæ præcepta tradidit, quæ tamen illi variis, ineptiſſimiſque opinionibus, præcipuè verò impudenti quadam viven-

(a) *Cic. Tuſc. V. c.* 4. (b) *Cic. Acad. I. c.* 12. (c) *Ib. lib. IV. c.* 5. (d) *in Orator. & init. Paradox.* (e) *Laert. III. ſeg.* 37. (f) *Ficin. in Vita Plat.*

vendi ratione mirificè deturparunt; ut præſertim ex Stilponis, & Diogenis vitâ pulcherrimè demonſtratur. Quod inſolens, ac perditum vivendi genus cùm Zeno Citticus ferre non poſſet, a Cynicis, quibus ſeſe jam pridem addixerat, apertè defecit, novoque, ac ſeveriori docendi genere delectatus Stoicam ſectam inſtituit, in quâ deinde clariſſimi, ſapientiſſimique viri maximâ virtutis gloriâ floruerunt. Ac dubitari certè non poterit Stoicos ſententiarum gravitate, optimiſque legibus reliquos omnes Philoſophos antecellere, cùm non modò de beatitudine, virtutis amore, de bono, ac honeſtate in genere loquerentur, ſed inſuper etiam accuratè plura de ſingulis hominum generibus, vel conditionibus præcepta traderent, ut ex Cicerone, Seneca, Epicteto, aliiſque pluribus intelligitur, atque præſertim ex Lipſio, qui illorum dogmata accuratiſſimè expoſuit. Cicero tamen eos ſubinde vituperat, non modò quòd ineleganti, ac minutiori ſtylo uterentur, atque ab iis res fortaſſe veræ, certè graves, non ita tractarentur, ut debent, ſed aliquantò minutiùs; verùm etiam quòd plura vel abſurda, vel paradoxa, vel impoſſibilia docerent.

XIX. Ab hac Stoicorum gravitate, auſteriorique vivendi genere plurimùm abhorruit Ariſtippus, qui cum Socratem audiviſſet Cyrenaicam Sectam inſtituit, in quâ voluptas veluti ſummum hominis bonum mirificè commendatur, ex quo principio veluti fonte plura Cyrenaici deducebant, quibus tacitas religioni, & honeſtati inſidias ſtruebant, ut ſuis in locis accuratè oſtendetur.

XX. Nulla tamen doctrina, quæ a veteribus Philoſophis de Moribus inſtituta fuerit, abſurdior,

dior, religionique infenſior haberi conſuevit, quàm quæ ab Epicuro tradita memoratur. Illa nimirum animorum immortalitatem, futurum vitæ ſtatum, Dei providentiam, ac Deum ipſum apertè ſuſtulit, quibus veluti capitibus tota morum doctrina, omniſque religio prorſus innititur. Voluptatem etiam veluti ſummum bonum, hominiſque finem proponit, ut ampliſſimum proinde vitiis, perditiſque moribus aditum aperuiſſe, praviſque affectibus habenas omnes laxaſſe videatur. Hinc vehementes illæ, acerbiſſimæque injuriæ, quibus Epicurus a Stoicis, & a priſcis Eccleſiæ Patribus traducitur, atque acerrimè impugnatur. Quod ſi fortaſſe Epicurus ipſe veluti honeſtatis, morumque cultor haberi poſſet, quemadmodum certè omnes ingenii vires, ac nervos omnes intendit Gaſſendus, ut hanc labem ab Epicuro ſuo abſtergeret, dubitari certè non poterit, quin illius doctrina facilè in varios ſenſus trahi, eaſque ſceleris ſuſpiciones pati non poſſit; quin plurimi, ac omnes ferè, qui in illius ſectâ floruerunt, perditis fuerint moribus, ejuſque doctrinam innumeris erroribus deturpaverint, ut de Piſone, aliiſque plurimis evidentiſſimè demonſtratur.

XXI. Porrò, quemadmodum Ariſtoteles ingenio, doctrinâ, ac eloquentiâ Philoſophos omnes excellere exiſtimatur, ita certè Moralis etiam Diſciplinæ gloriâ reliquos omnes, qui antè ipſum floruerant, longiſſimè ſuperavit; cumque varias Philoſophiæ partes uberrimè pertractaverit, nullam tamen uberiùs, atque nitidiùs illuſtravit, quàm quæ de moribus diſſerit, ut inferiùs oſtendemus. Hic enim Platonis, quem viginti annis audiverat, veſtigiis preſſiùs inſiſtens ab Academicis plurima in Peripateticos deriva-

vit, unde *idem fons erat utriſque, & eadem rerum expetendarum, fugiendarumque partitio . . . . . . communis hac ratio, & utriſque bonorum finis videbatur; omnis illa antiqua Philoſophia ſenſit in unâ virtute poſitam eſſe beatam vitam* (*a*). Ex plurimis autem Operibus, quibus ille hanc morum doctrinam luculentiſſimè exornavit, X. libris, quos ad Nicomachum filium dirigit, principem locum deberi intelligimus, in quibus ingenuo quodam amore, ſelectiſque ac illuſtrioribus vitæ præceptis filium erudivit. Neque enim facilè probari poterit Ciceronis opinio *, qui libros illos non ab Ariſtotele, ſed ab ipſo Nicomacho conſcriptos eſſe putavit, ut plurimis argumentis facilè oſtendi poſſet (*b*). Plurima tamen ſunt, quæ in graviſſimo hoc, ſapientiſſimoque viro reprehendi meritò poſſunt; quippe quæ ab ipſo rationis lumine, optimoque Reipublicæ ſtatu prorſus abhorreant, ut variis ſubinde locis oportune oſtendemus.

XXII. Atque iſta quidem de variis Græciæ Philoſophis dicta ſint, qui eximiam hanc Philoſophiæ partem aut præceptis, aut ſcriptis editis adornarunt, ut illa ſeries oſtendatur, quâ Moralis paullatim adolevit, atque ab illuſtrioribus Philoſophis eſt exornata. Quod enim ad Romanos attinet, ut antiquiſſima Numæ præcepta, ac XII. Tabularum leges ex finitimis plerumque magnæ Græciæ, vel Pythagoricæ Sectæ Philoſophis derivatas prætercam, illi Moralis præcepta, ac diſciplinas omnes ex ſubactâ Græciâ in Patriam tranſtulerunt; ut omnes proinde Philoſophorum

Sectæ,

(*a*) *Cic. Acad.* I. *c.* 4. 6. (*b*) *Petit. Miſcel. IV.* . . . 10.

* Accuratè ſcripti de moribus libri dicuntur illi quidem eſſe Ariſtotelis, ſed non video cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius *Fin. V. c.* 5.

Sectæ, illarumque ſtudium apud illos floreret, ut ex Cicerone, Valerio Maximo, aliiſque plurimis intelligitur. Veteres tamen Romani *hanc ampliſſimam omnium artium bene vivendi diſciplinam vitâ magis, quàm literis perſecuti ſunt; itaque illius vera, elegantiſque Philoſophia, qua ducta a Socrate in Peripateticis adhuc permanſit, nulla ferè* Ciceronis ætate *erant, aut pauca admodum latina monumenta* (a).

XXIII. Præclarè itaque de Patriâ, ac de Philoſophiâ ipsâ meritus eſt idem Cicero, qui incredibili opinionum omnium cognitione, acerrimoque judicio, adhibitâ admirabili orationis elegantiâ, nobiliora Moralis diſciplinæ capita in V. libris Tuſculanarum Quæſt., in V. de Finibus, in II. de Divinatione, in libris aliis de Fato, de Senectute, de Amicitia, Paradoxis, præſertim verò in III. libris de Officiis, quos Ariſtotelem imitatus ad Marcum filium conſcripſit, Cives ſuos ad hæc ſeveriora ſapientiæ ſtudia mirificè excitavit; eamque doctrinæ gloriam, quod in votis habere ſe dixerat, languenti jam Græciæ prorſus eripuit; quod præſertim in libris Officiorum apparet, quibus, ſive rerum ordinem, ſive præceptorum gravitatem, ſive uberrimam rerum copiam conſideres, nihil eſt certè, quod ex illuſtrioribus Græcorum ſcriptis comparari poſſe videatur.

XXIV. Paucos tamen habuit Cicero, qui hanc doctrinæ gloriam æmulari contenderent, adeoque Græcia Romanos Cives Scriptorum numero mirificè ſuperavit, cùm nulla propemodum poſt Ciceronem Philoſophiæ ſcripta memorentur. Proximè poſt Ciceronis ætatem Neronis imperio fuit Seneca, cujus plurima, & eximia Moralis opera

(a) *Tuſc. IV. c. 3.*

omnium manibus teruntur, quibus ille varia Moralis capita uberrimè, graviſſimèque ex Stoicorum præſertim fontibus illuſtravit. Inter hæc principi loco CXXIV. Epiſtolas habendas eſſe intelligimus, quarum ſingulæ variis, ac innumeris Ethicæ luminibus ita exornantur, ut in qualibet ferè periodo grave præceptum aliquod offendatur. Epictetus etiam, ac Antoninus Cæſar Stoicæ diſciplinæ ſtudio celebres extitere, quorum ſcripta quædam adhuc ſuperſunt, in quibus purior, atque erroribus immunior Stoicorum doctrina conſpicitur.

XXV. Pulcherrimum quoque Moralis diſciplinæ, quæ apud Romanos floruerit, monumentum haberi poterunt veterum Juriſconſultorum reſponſa, quibus illi varias Ethicæ partes, ex ſeverioribus plerumque Stoicorum placitis, exornarunt. Atque integra fortaſſe illorum Opera (quod optandum maximè fuerat) ad hæc uſque tempora extarent, niſi Juſtiniani Cæſaris auctoritate Trebonianus quidam varia ſolùm illorum reſponſa in quædam capita digeſſiſſet; quo fieri oportuit, ut poſteri Juriſconſulti Digeſtum illud conſulerent, ac fontes ipſos negligerent, ut illi brevi ſenſim ex hominum manibus, animiſque prorſus exciderent. Quin etiam, cùm ipſos Digeſtorum libros veluti obſcura, confuſa, disjecta quædam, inter ſe aliquando diſſidentia capita conſpicerent, ex quibus integra morum, ſive Juriſprudentiæ doctrina hauriri non poſſet, innumeros Commentarios conſcripſere, quibus Digeſta ipſa illuſtrarent; etſi potiùs innumeris, minutioribuſque quæſtionibus plurimam certè nubem illis offuderint; ut accuratiſſimè Hotomanus (a), atque præſer-

(a) *in Anti. Trebon.*

ſertim in aureo prorſus Opere *de Juris origine* Gravina demonſtravit.

XXVI. Deinde verò cùm omnes ferè Romani Imperii provinciæ, atque imprimis Italia a barbaris, efferiſque gentibus diſcerpta foret, Moralis diſciplinæ ſtudium, quemadmodum artes omnes, languere cæpit, ac ferè prorſus extingui; ut pauci propemodum memorentur, qui de Philoſophiâ cogitaverint, ſi Boetium unum exceperis, qui varia Platonicæ, ac Peripateticæ doctrinæ capita illuſtravit. Arabes deinde Hiſpaniam ferro, flammâque invadentes Ariſtotelis Opera in Arabicam linguam pridem translata, variiſque Commentariis illuſtrata in Scholas invexere, quæ ſubinde ſenſim in celebriores Europæ Academias ita irrepſere, ut ubique ſolus Ariſtoteles audiretur; nulluſque de ſcientiis addiſcendis cogitaret, qui non ad Ariſtotelis, ejuſque Interpretum fontes accederet.

XXVII. Cùmque paullatim Peripateticæ, ſive Scholaſticæ Philoſophiæ ſtudium cum Theologiæ dogmatibus certo quodam fœdere conjunctum foret, quemadmodum omnia ferè Theologiæ dogmata ex Peripateticæ Philoſophiæ principiis dirimi, vel adornari ſolebant, ita prorſus Philoſophia ipſa, quæ ad mores pertinet, ex ipſis Theologiæ fontibus deducta eſt, ut quidquid de moribus Morales Philoſophi, ſive Theologi, quos *Caſuiſtas* etiam vocamus, pertractarunt, partim ex Ariſtotele, partim ex Sacrâ Scripturâ, partim ex Patribus, præcipuè verò ex Theologis ipſis, quorum unus alium exſcripſerat, derivetur. Atque utinam quidem non modò meliorem, nitidioremque ordinem, ſive delectum Morales illi Theologi (ſi graviſſimo hoc tamen Theologi nomine ſint appellandi) ſervaſſent; verùm etiam illorum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

aliqui gravem, ſeveramque hujus ampliſſimæ, ac divinæ propemodum diſciplinæ dignitatem novis, perditiſque opinionibus, quas non ſinè maximo dedecore invexere, ita impudentiſſimè non deturpaſſent, ut purior aliquando, ac ſeverior Ethnicorum ſententia non videretur! Sed hæc alibi fuſiùs cùm de opinionum delectu, ac de conſcientiâ, vel opinione probabili diſſeretur.

XXVIII. Illud itaque optandum, meritòque ſperandum maximè fuerat, ut quemadmodum duobus ab hìnc ſeculis præſtantiſſimorum Philoſophorum operâ artes omnes, & ſingulæ Philoſophiæ partes quodammodo reſtitutæ nobiliùs, atque illuſtriùs effulſerunt, ita quoque Moralis ipſa nitidiori, certiorique methodo traderetur; neque ex præconceptis Scholæ opinionibus, ſed ex ipſis potiùs naturæ luminibus, iis nempe virtutum, honeſtatiſque ſeminibus, quæ a naturâ ipsâ nobis indita ſunt, uberiùs deduceretur, ac adhibitâ quoque diſſerendi elegantiâ adornaretur. Quàm verò feliciter ejuſmodi ſpem impleverit, quàmque præclarè de Morali Philoſophiâ meruerit Verulamius, omnes apprimè norunt, qui ejus Opera accuratè obſervarunt, quibus ad diſciplinas omnes reſtaurandas, perficiendaſque plurimùm contulit, doctiſſimiſque viris ponè ſequentibus facem prætulit. Hoc certè duce integrum Moralis Syſtema novâ, clariorique methodo exponendum ſuſcepit celeberrimus Grotius, quod ille Peireſchii conſilio, ſummiſque omnium laudibus incredibili ingenii, eruditioniſque gloriâ perfecit in eximio Opere, quod *de jure belli, ac pacis* conſcripſit. Plurima quoque Moralis diſciplinæ capita Thomas Hobbes in Libello *de Cive* complectitur; quemadmodum Lokius *de Filiorum educatione*, ſive *de liberis educandis* ſubtiliter,

ter, & accuratè diſſeruit. Nullus tamen hanc uberrimam doctrinæ partem fuſiùs, nitidiùs, & accuratiùs pertractavit, quàm Samuel Puffendorfius partim in libello *de officio hominis, & civis*, partim etiam, ac præſertim in eximio Opere *de Jure naturæ, ac gentium*, quo nobiliora Moralis Juriſprudentiæ, ac Politicæ lumina, ſive præcepta complectitur, ut variis ſubinde locis oſtendemus. Plurima tamen ſunt, quæ ſapientiſſimis etiam viris exciderunt, quæque ſubinde perfici, vel reprehendi meritò poſſunt; præſertim ubi partium ſtudium, & novitatis amor illos abripuit, ut veterem, conſtantemque ſapientum hominum auctoritatem contemnerent, atque in primis Patrum doctrinam acriùs, atque liberiùs traducerent.

XXIX. Quamvis enim Moralis diſciplinæ ſtudium ſuis ex fontibus, naturalis nempe rationis luminibus, deduci debeat, morumque honeſtas ex ingenitis naturæ viribus ſatis intelligi, vel definiri facilè poſſit, puriùs tamen interdum, ac certiùs ex divino fidei lumine ita deduci debet, ut ſi quid ex ſacris Literis manifeſtiſſimè erudiamur, facilè deſeri, contemnique debeat quidquid humani ingenii ratio oppoſitum oſtendere videatur; aut, ſi fortaſſe tenue mentis humanæ judicium, quod ſenſibus, praviſque affectibus in errorem ſæpiùs abripitur, de rerum honeſtate, hominumque officiis fluctuare videatur, ad certiſſimum fidei lumen, veluti ad lydium lapidem, certioremque honeſti regulam referri debeat. Tantum itaque abeſt, ut ab ipſo divinæ Fidei lumine, veræque religionis doctrinâ in inquirendâ, ſive explicandâ morum doctrinâ vel leviter diffidere liceat, quin maximas potiùs, & immortales gratias Deo habere nos decet, qui veram religio-

nem, veræque fidei lumen nobis conceſſit (a); cùmque virtutum omnium ſemina cordibus noſtris impreſſerit, morumque honeſtatem oſtenderit, quâ beatitatem, ac felicitatem aſſequeremur, eximio quoque, ac immortali munere plurimas leges præſcripſit, quibus ad beatitatem ipſam faciliùs perveniamus; cùm præſertim nihil in iis offendi poſſit, quod cum ſuavioribus naturæ legibus, ipſoque rationis lumine mirificè non conſpiret, ut alibi manifeſtiſſimè demonſtrabitur, ubi de divinâ lege, ejuſque origine diſſeremus.

XXX. Quandoquidem itaque nos non modò Philoſophos, ſed Chriſtianos etiam, eoſque Catholicos eſſe ſentimus, ac mirificè gloriamur, atque ex Ethnicorum quoque Philoſophorum ſententiâ Moralis ipſa religioni conjungi debet (b), hunc ordinem in exponendâ, vel adornandâ Morali diſciplinâ ſervabimus, ut illius præcepta non ſolùm ex ipſo rationis lumine, ſed ex ſacris etiam Literis, Conciliorum decretis, melioribuſque Patrum auctoritatibus confirmemus, quos optimo, maximoque jure a primis uſque temporibus Catholica Eccleſia veluti Duces, divinæque legis Interpretes veneratur. Quo certè loco reprehendì plurimùm debet Phereponi, ac Barbeyracii ſententia, qui opiniones aliquot ex illuſtrioribus Eccleſiæ Patribus paullo liberiùs, & acriùs undique conquiſitas, ſimulque collectas exhibuit, ut oſtenderet illorum ſingulos in exponendâ morum doctrinâ a vero rationis, ac æquitatis lumine turpiter aberraſſe, ut ex illis proinde nulla Moralis diſciplinæ cognitio haberi poſſit. Quamvìs enim liberaliter concedatur Patres in præceptis aliquot exponendis, ſive quæſtionibus, quæ obiter excitatæ, ſive propoſitæ fuerant, dirimendis minùs accu-

(a) *vid. Lact. IV. c. 3.* (b) *vid. Aug. Civ. II. c. 4. 6.*

accuratè, & exactè, quàm fortaſſe par fuerat, loquutos eſſe, quis apertè non videat, nonniſi temere, ac impudenter ex paucis erroribus, quos præſertim tenuis humani ingenii vis, temporumque conditio leviores efficiat, quique in alium plerumque, mitioremque ſenſum facilè trahi poſſint, de universâ illorum doctrinâ, plurimiſque illorum Operibus judicium ferri *? Quod ſi in Morum doctrinâ, ac diſciplinis omnibus addiſcendis eos ſolùm ſuſpicere, amplecti, ac venerari debeamus, in quibus nulla erroris labes, atque ſuſpicio reperitur, quis demum haberi unquam poterit, cùm ſapientiſſimi quoque viri, ac illuſtriora ſapientiæ lumina ſubinde erraverint, atque a Pherepono, ac Barbeyracio reprehendantur; neque, ut arbitror, Phereponus ipſe, vel Barbeyracius hanc ſibi laudem concedi velit, ut nunquam erraverit, ſed incredibili quadam, ac inuſitatâ felicitate veritatem, honeſtatemque ſit aſſequutus? Nos certè, ut optimè olim, ſapienterque Auguſtinus, *ſolis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didicimus hunc honorem deferre, ut nullum Authorem eorum in ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſimè credamus. Alios autem ita legimus, ut quantalibet ſanctitate, doctrinâque præpolleant, non ideò verum putemus, quia ipſi ita ſenſerunt, vel ſcripſerunt* [a]. Sed hæc obiter, ut oſtendamus Patrum auctoritatem nullâ ratione contemni poſſe, eoſque proinde a nobis maximo in pretio, ac honore meritò haberi, ut contra Phereponum ereditiſſimè, & invictè demonſtravit Muratorius in eximio, & aureo Opere

---

(a) *Aug. epiſt. 19. ad Hieron.*

* Eſt iniqua in omni re accuſanda prætermiſſis bonis malorum enumeratio, vitiorumque ſelectio. *Cic. de Leg. III. c. 9.*

pere *de Moderatione Ingeniorum in negotio Religionis*. Plurima quoque variis in locis oportunè explicabimus, quæ ad Theologiam meliori fortaſſe jure ſpectare viderentur, non modò quòd illa ſubinde cum ipsâ morum doctrinâ facilè conjungi poſſint, plurimamque iis lucem afferre; verùm etiam quòd egregiis adoleſcentibus uberiùs erudiendis id plurimum conferat, qui, cùm auguſtiores, penitioreſque Theologiæ fontes attingere fortaſſe non poſſint, in iis tamen, vel leviter erudiri debuerant, de quibus ab aliis differi, vel frequentiſſime diſputari contigerit.

XXXI. Id unum ſupereſt, ut expoſitâ jam Moralis origine, ac methodo, quâ ſive a variis Philoſophorum ſectis, doctiſſimiſque viris pertracta eſt, ſive a nobis ipſis adornari debuit, aliqua de illius præſtantiâ, ac neceſſitate coronidis loco adderemus, ut adoleſcentium animi illius addiſcendæ amore vehementiùs adhuc incenderentur. Verùm quis pro rei dignitate ampliſſimæ hujus facultatis laudes, utilitatemque complecti poſſit? aut quis uberius, & illuſtrius aliquid afferre poſſe ſe putet, quod non fuerit a ſapientiſſimis viris, Platone præſertim, ac Cicerone graviter, & elegantiſſimè demonſtratum? Id unum obiter obſervaſſe juverit, quod a Quintiliano dictum accepimus, duabus nimirum partibus hominem conſtare, corpore, & animo, quarum utraque variis ægritudinibus turbari, vitiarique conſueverit; ideoque corporis tuendi cauſsâ Medicinam, animi purgandi, perficiendique Moralem inventam eſſe. Si itaque corporis medicina, tanto in pretio, ac honore meritò haberi ſolet, ut ejus utilitas Deorum immortalium inventioni ſit conſecrata (*a*); ejuſque præſtantia mirificè commen-

(*a*) *Cic. Tuſc. III. c. 1. 2.*

mendatur, cùm tamen fluxam, brevique interituram hominis partem tueatur, quo in pretio animi medicinam habere par fuerit, quæ nobiliori, cœleſti, immortali, ac divinæ prorſus hominis parti medetur? Si facultates omnes, ac diſciplinæ ſunt expetendæ, quòd mentis lumen excitent, ac aliquem nobis ad felicitatem aditum præbeant, quo amore Ethicam complecti deceat, quæ proximè ad beatitatem, felicitatemque nos dirigit? Si denique amore incredibili, diuturniſque laboribus Diſciplinas illas acquirimus, in quibus vix ulla veritatis ſpes obſervatur, atque perenni ſententiarum diſcrimine, naturæque tenebris circumfuditur, quo ſtudio facultatem illam proſequemur, in quâ clariſſimus, vividiſſimuſque veritatis ſplendor effulget?

XXXII. Quod enim opponere, ac indolere plerique ſolent morum diſciplinam incertam admodum, ac obſcuram eſſe, variis nimirum, innumeriſque opinionibus in utramque partem in illâ diſſeri, ut vix proinde ſcientiæ nomen illa mereatur, facilè dirimi, ſolvique poterit, ubi advertamus hanc obſcuritatem, ambiguitatemque non ex ipsâ Moralis naturâ, ſed ex affectibus, vitioſâque methodo, quâ pertractata fuerit, derivari. Ac certè *parvulos natura nobis igniculos dedit, quos celeriter malis moribus, opinionibuſque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat* (a). Sic etiam *in pueris virtutum quaſi ſcintillulas videmus, a quibus accendi Philoſophi ratio debet, ut eam, quaſi Deum, ducem ſubſequens ad naturæ perveniat extremum* (b). Itaque mirari non poſſumus, ſi incredibili hoc ſenſuum errore, praviſque affectibus

(a) *Cic. Tuſc. III. c. 1. 2. 3. vid. Laert. VII. ſeg. 87.*
(b) *id. de Fin. 5. c. 15.*

bus ita naturæ lumen offunditur, ut ſenſuum illecebris abrepti veram morum honeſtatem nitidè diſtinguere, ac liberè contemplari non poſſimus, unde obſcuritas in omnium animis, & ambiguitas oriatur. Atque illud ipſum libertatis deſiderium, aſſentandique cupiditas plurimos impulit, ut nova morum præcepta, non ad ſeveriores, ac immutabiles honeſtatis leges accommodatas inveherent; ſed quæ ex leviſſimis principiis ducta, tenuiſſimiſque conjecturis innixa facilè in utramque partem trahi poſſent; ideoque ſemper animum honeſtatis amore incenſum ancipitem, fluctuantemque relinquerent. Ceterùm ſi morum præcepta non ex lutulentis illis perditorum hominum lacunis, ſed ex puriſſimis ſapientum fontibus; non ex animi cupiditate, ſed ex ipſis virtutum ſeminibus, rationis, naturæque ductu deriventur *, dubitari ſanè non poterit, quin illa certiſſima ſint futura, eamque certitudinis, ac evidentiæ laudem habitura, quæ in Mathematicis ipſis facultatibus obſervatur (a), ut geometricâ proinde, nitidiorique methodo pertractari poſſe videantur: quod clariùs adhuc intelligi, deprehendique poterit ubi obſervetur quo rationum pondere, certiſſimiſque argumentis Moralium præceptorum bonitas oſtendatur.

XXXIII. Hoc uno tamen, maximoque diſcrimine morum doctrina a Mathematicis ipſis, aliiſque ſcientiis diſtinguitur, quòd illæ in ſolâ rerum cognitione poſitæ ſint, ideoque *ſpeculativæ* vocari meritò poſſint; Moralis autem, Medicinæ inſtar, non modò de rebus ipſis diſſerere, morum honeſtatem, ejuſque leges exponere debet, verùm etiam ad operationes, hoc eſt ad honeſtatis, & vir-

(a) *vid. Loke. Eſſais lib. IV. c. 3. §. 18.*
* Iſta *Natura* duce errari non poteſt. *Cic. leg.* I.

virtutis actus facilè, ac liberè peragendos dirigitur *, unde *practica*, vel *operativa* vocari conſuevit. Quamvis itaque Moralis præcepta, & cognitiones omnes certiſſimæ ſint, clariſſimis, ac evidentiſſimis rationibus oſtendantur, ut antea dicebamus, maxima tamen difficultas in iis exequendis offendi ſolet, quod ex variis rerum, hominumque circumſtantiis, ** ita nos ancipites, ac incertos efficiant, ut definiri ferè vix poſſit quid in illâ temporis, rerumque conditione, vel ſtatu potiùs eligere, ſive reſpuere debeamus; ideòque plurimi exiſtimant ad Moralem quidem ſpectare generalia quædam de moribus præcepta tradere, illa verò in ſingulis caſibus exequi ad Prudentiam pertinere. Quâ tamen ratione, quibuſque legibus hæc ipſa difficultas, & obſcuritas ab ipsâ quoque Morali ſuperetur, inferiùs oſtendemus, ubi de conſcientiâ dubiâ, & probabili diſſeretur ***. Illud interim obſervaſſe juverit, quod eſt ab Ariſtotele quoque obſervatum, quod accurata Moralis cognitio, ſive bonitas, atque malitia, quæ in humanis actibus reperitur, atque certiſſimè deprehendi poteſt, non ab omnibus, ſemperque cognoſcitur, ſed ab iis ſolùm, qui pacatâ, ac imperturbatâ mentis cogitatione actum ipſum, ejuſque circumſtantias conſideret. *Atque hinc*

* Ut Medicinæ uſus nullus eſt, niſi a corpore morbos abigat, ſic neque Philoſophiæ, niſi malum ex animo pellat. *Pythag. ap. Stobaum ſerm.* 8.

** Nocet interdum Reipublicæ Cato, dicit enim tanquam in Platonis Πολιτεία non tanquam in Romuli fæce ſententiam. *Cic ad Attic. vid. Empyr. Pyrrh. Hyp.* III. *c.* 24.

*** Infinita, inquis, præcepta ſunt. Falſum eſt, nam de maximis, ac neceſſariis rebus non ſunt infinita; tenues autem differentias habent, quas exigunt tempora, loca, perſonæ. Sed his quoque dantur præcepta generalia. *Sen. ep.* 94.

hinc fit, ut juvenis auditor Civilis, ſive Moralis, *idoneus eſſe non poſſit, quippe cum imperitus actionum vitæ ſit, ex quibus, & de quibus rationes conficiuntur. Adde quod cum perturbationes ſequatur, fruſtra, & inutiliter audiet; finis enim non cognitio, ſed actio eſt. Inter eſt autem nihil juvenis ætate, an moribus juvenilis aliquis ſit, non enim defectus penes tempus eſt, ſed quia & vivit, & ſingula perſequitur ex perturbatione (a).* Quod ſi Adoleſcentes ipſi ingenuo honeſtatis amore ad hanc diſciplinam acceſſerint, ac perturbatos animi motus partim puriori rationis lumine, partim etiam divinæ gratiæ viribus ſedaverint, etiam ſeveriora illius præcepta cognoſcere, honeſtatis, pravitatiſque diſcrimen percipere, perfectam denique Moralis ſcientiam aſſequi poterunt, ut Ariſtoteles ipſe, Plato, aliique Philoſophi docuerunt.

XXXIV. Nihil eſt autem cur de Moralis objecto, ejuſque fine fuſiùs diſſeramus. Illa nimirum, quæ ſuperiori loco jam diximus, apertè ſatis oſtendunt hanc unicè dirigendis, perficiendiſque moribus inſtitutam eſſe, ut virtutis amore, vitiorumque fugâ, perfectam hominis felicitatem, aut beatitudinem conſequamur. Finis itaque Moralis diſciplinæ eſt ipſa beatitudo, ad quam regiâ, tutiſſimâque viâ nos dirigit; objectum verò ſunt voluntatis actus, quatenus honeſtatis legibus perfici, vel ad finem dirigi, poſſunt; unde actus ipſi, vel operationes voluntatis dirigendæ, erunt objectum *materiale*; *formale* verò erit ipſa directio, perfectio, ſive, ut Scholaſtici loquuntur, *moralitas* illa, quæ in ipſis voluntatis actibus producetur; unde Quintilianus ipſe

(a) *Eth. Nic.* I. c. 3.

ipſe accuratè obſervat, quod Ηθος *nomine non tam mores ſignificari videntur, quàm morum quædam proprietas, affectuum videlicet lenitas quædam, & mitigatio* (a).

XXXV. Exinde verò facilè intelligi, deducique poterit Ethicæ diſciplinæ, ſive Moralis diviſio. Si enim ad beatitudinem, vel ultimum hominis finem illa nos dirigit honeſtate morum, de ultimo hominis fine, de ſummo bono, vel beatitudine diſſerere debet; deindè verò de humanis actibus, quibus veluti mediis eadem beatitudo, vel finis ultimus acquiratur. Cumque actuum honeſtas ex legibus deducatur, leges ipſas exponere debet, quibus actuum honeſtas cognoſcatur; atque illas etiam, quæ non modò ſingulis hominibus conveniant, ſed ſingulis etiam hominum generibus propriæ videantur.

XXXVI. In quatuor itaque partes, ſive Diſputationes univerſam Morum doctrinam, ſive Tractatum hunc dividemus; in quarum primâ de ultimo hominis fine, ac beatitudine diſſeremus. In alterâ loquemur de humanis actibus ac honeſtate, quæ in ipſos induci debet, atque de legibus unde honeſtas ipſa dimanat. In tertiâ de virtutibus, ac vitiis, ac affectibus diſputabimus. Ultimo tandem loco, vel Diſputatione IV. de Officiis agemus, ubi varia præcepta, quæ variis hominum conditionibus convenire debent, accuratiſſimè explicabuntur. Neque aliam certè Moralis diviſionem complexus eſt Ariſtoteles, quamvis ille diverſis nominibus libros inſcripſerit. Decem nimirum libris Moralium, quos Nicomacho filio illum ſcripſiſſe jam diximus, de beatâ vitâ, atque de moribus uberrimè diſſerit; eandem-

(a) *Lib. 6. c. 2.*

demque doctrinam VII. libris ad Eudemum repetit, atque in duobus etiam libris Magnorum Moralium, ut libellum de vitiis, ac virtutibus omittamus. Octo verò libris Politicorum, ſive de Republica, quemadmodum etiam duobus Æconomicorum, omnia complectitur, quæ ad Familiæ, ac Reipublicæ regimen, ideoque ad varia Civium, Principumque officia ſpectare poſſunt. Nitidior tamen, atque facilior illa diviſio nobis videtur, quam paullo ſuperiùs amplexi ſumus; nihilque nobis jucundius, aut illuſtrius unquam accidere fortaſſe poterit, quàm ſi egregiis adoleſcentibus, quibus hac methodo conſulere cordi fuerat, in inquirendo honeſtatis amore, perficiendiſque moribus conferre, facem, aut ſtimulos addere poſſimus. *Nihil enim tam præclarum, hominique conveniens eſſe poteſt, quàm erudire homines ad juſtitiam* (a); *meque ſatis vixiſſe arbitrabor, & officium hominis impleſſe, ſi labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cæleſte direxerit* (b).

ETHI-

(a) *Lact. Div. Inſtit. VI. c. 2.* (b) *id. de Opif. c. 21.*

ETHICÆ,

SIVE

MORALIS

DISPUTATIO PRIMA.

De ultimo fine, ſummo bono, fælicitate, ſive beatitudine hominis.

Ethicam, ſive Moralem a ſapientiſſimis viris ideo inſtitutam, ac illuſtratam eſſe jam diximus, ut illa honeſtate morum, certiſque legibus humanæ voluntatis actus, hominemque ipſum ad finem dirigeret; unde perfectio, beatitudo, ac felicitas hominis oriretur. Hinc Ariſtoteles, aliique plurimi, qui pulcherrimam hanc Sapientiæ partem uberiori, clarioriqne methodo pertractarunt, in ipſo Moralis diſciplinæ limine de hominis fine, de ſummo bono, de fælicitate copiosè differunt; ut apertè nobis oſtendant quò dirigenda ſit humani cordis cupiditas; unde legum vis, præſtantia, neceſſitas oriatur; quæ

denique charactere, ſive diſcrimine honeſtas ipſa cognoſci poſſit. Certè graviſſimus ille Philoſophus Cicero, qui plura de moribus elegantiſſimè, copioſèque tradidit, & quinque libros *de bonorum, malorumque finibus* reliquit, illum prudenter facere exiſtimat, qui *audire de fine, vel ſummo bono potiſſimùm velit; hoc enim conſtituto in Philoſophiâ, conſtituta ſunt omnia... nam ſummum bonum ſi ignoretur, vivendi rationem ignorari neceſſe eſt, ex quo tantus error conſequitur, ut quem in portum ſe recipiant, ſcire non poſſint; cognitis autem rerum finibus cum intelligitur quid ſit & bonorum extremum, & malorum, inventa vitæ via eſt, conformatioque omnium officiorum: eſt enim quò quidque referatur, ex quo id, quod omnes expetunt, beatè vivendi ratio inveniri, & comparari poteſt* (a). Illuſtriores itaque Philoſophorum opiniones de ultimo actuum humanorum fine, de ſummo bono, ſive de fælicitate hac primâ Diſputatione complectemur; oſtendemuſque in quo naturalis primùm hominis beatitudo, quæ ſolis nimirum naturæ viribus acquiri poteſt, ſupernaturalis deinde, quæ fidei lumine, divinæque gratiæ munere, comparatur, ſit conſtituta. *Hanc autem omnem quaſtionem de finibus bonorum*, & *malorum a nobis explanatam eſſe* ſequentibus Capitibus *arbitramur; in quibus, quantum potuimus, non modò quia nobis probaretur, ſed etiam quid a ſingulis Philoſophiæ diſciplinis diceretur, perſecuti ſumus* (b).

CAP.

(a) *Fin. V. c. 6. vid. & lib. I. c. 4.* (b) *Cic. Fin. I. c. 4.*

CAP. I.

An ultimus finis hominis, & humanorum actuum admitti debeat.

I. DE ultimo humanorum actuum, vel hominis fine meliori, quo poterit, ordine loquuturis celebris illa quæſtio dirimenda nobis occurrit, utrum humanis actibus extremum, aut finis aliquis ſit conſtitutus, ad quem illi naturâ ipsâ, vel ingenito quodam veluti pondere dirigantur; ut inde clariùs appareat quis ejuſmodi finis inter innumeras, ac diſſidentes adeo Philoſophorum opiniones haberi debeat. Atque, ut ab ipſo *Finis* nomine exordiamur, quamvis in Phyſicâ Generali Tractatu III. plurima ſint explicata ubi de Cauſsâ Finali, ſive de fine loquuti ſumus, aliqua tamen hìc obiter exponemus, quibus accurata finis cognitio, ejuſque varietas oſtendatur.

II. Finis itaque, ut ab Ariſtotele definitur, eſt *id, cujus gratiâ*, & amore *ſit aliquid* (a). Quando nimirum aliqua cauſsa, quæ cognitione prædita fuerit, operatur, alterius rei, vel objecti gratiâ operatur, ejuſque amore excitatur, impellitur, allicitur ad operandum; ſive ſe ipſam, operationem propriam, & effectum ipſum, qui ab operatione producitur, ad aliquid aliud veluti ſcopum dirigit. Id experiri, vel obſervare certè nos poſſumus in nobis ipſis dum non temere, & inconſultò, ſed prævià cognitione, conſilioque operamur. Semper enim objectum aliquod nos excitat, invitat, ac allicit ad ope-

(a) lib. II. Phyſ. c. 3.

randum; ſemper aliquid animo, vel oculis obverſatur, quod operando conſequi volumus; ſemper aliquid eſt, quod liberam, atque flexibilem animi vim in unam potiùs, quàm alteram partem inclinat; cumque operari, vel non operari poſſimus, nos ad operandum determinat. Illud itaque objectum, cujus amore operamur, vel quod in operando reſpicimus, *finis* vocatur.

III. Finis verò communiter in finem *cujus gratiâ*, & finem *cui* ſatis accomodè diſtingui ſolet. Finis ille, qui ab operante reſpicitur, inquiritur, amatur, & eligitur, dicitur finis *cujus gratia;* illa verò ſubſtantia, ſive ſubjectum, propter quod expetitur, ſive in cujus utilitatem inquiritur, finis *cui;* ut ex. gr. finis, cujus gratiâ medicus operatur, eſt *ſanitas* acquirenda; finis, cui ſanitas inquiritur, eſt *ægrotus*, qui ſanari debet. Dividitur etiam finis in finem *operis*, & *operantis:* finis operis eſt ille, ad quem opus ipſum ex naturâ propriâ, independenter ab operantis arbitrio, ſeu voluntate dirigitur, ut medicinæ finis eſt ſanitas acquirenda ab ægroto; finis operantis eſt ille, qui ab operantis arbitrio, ſeu voluntate eligitur: unde pro variâ operantis voluntate varius eſſe poteſt, ut medici finis eſſe poteſt aurum, aut gloria ipſa, quam medendo conſequi velit. Ultimò finis dividitur in finem *proximum*, ac *immediatum*, & finem *ultimum*, *ſive* remotum. Proximus, & immediatus eſt ille, ad quem proximè, & immediatè dirigitur opus, ut eleemoſina ad pauperis levamen; finis mediatus, remotus, ac ultimus eſt ille, ad quem ultimò dirigitur opus; cumque fines alii proximi ad hunc ultimum, remotumque finem dirigi poſſint, ipſe tamen ad finem alterum ulteriùs dirigi, vel ordinari non poteſt,

ut

ut eleemoſina, vel ipſum egeni levamen ad Dei gloriam: unde optimè finis ultimus definiri ſolet *id, quod expetitur propter ſe tantùm, & cujus amore, vel propter quod cetera, vel fines alii expetuntur*; vel, ut inquit Cicero, *id, quò omnia referuntur, neque id ipſum uſquam refertur* [a]. Porrò quod præter finem proximum, ac immediatum, finis etiam ultimus, atque mediatus admitti debeat clariſſimè demonſtratur ex ipſius finis naturâ. *Si enim agendarum rerum finis aliquis eſt, quem propter ipſum, & propter quem alia volumus, neque omnia ob aliud eligimus (in infinitum enim ita fieret progreſſus, vanuſque & inanis appetitus noſter eſſet), perſpicuum eſt etiam ſummum bonum atque optimum futurum (b)*; aliquid nimirum admitti oportere, ad quod cetera omnia dirigantur, ipſum verò non ordinetur, vel referatur ad aliud; ſed omnem potiùs voluntatis amorem, vel deſiderium omne ita compleat, atque perficiat, ut in illo voluntas ipſa jucundiſſimè quieſcat.

IV. His ita conſtitutis inquiritur, utrum voluntatis actus, ſive homines ipſi aliquem finem proximum, aut ultimum habere debeant, ad quem proximè, aut ultimò ex naturâ ipsâ, independenter ab hominis arbitrio, dirigantur; quemadmodum perſpectiſſimum eſſe jam diximus dari finem aliquem, ad quem liberi voluntatis actus ab homine operante liberè diriguntur.

Quâ quidem in re ſtatim occurrit ineptiſſima Epicuri ſententia, qui nullum eſſe finem rebus ab ipsâ naturâ, vel ab Artifice conſtitutum exiſtimavit, ſed omnia temere prorſus, & inconſultò produci; ut finis ille, qui a nobis concipitur, & cujus amore res factas eſſe putamus,

 rebus

(a) *Fin. II. c. 2.* (b) *Ariſt. Eth. Nic. I. c. 2.*

rebus ipſis poſterior fuerit: ut ex. gr. oculis nunc videamus non quòd oculi formati, vel deſtinati fuerint ad videndum, ſed quòd fortuitò eam partium texturam, varietatemque ſortiti fuerint, ex quâ fortuitò viſio conſequeretur; quod uberrimè ex Epicuri ſententiâ exponit Lucretius lib. IV. v. 832. cum ait

Nil ideo quoniam natum eſt in corpore, ut uti
Poſſemus, ſed quod natum ſit, id procreat uſum.
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata,
Nec dictis orare priùs, quàm lingua creata eſt;
Sed potiùs longè lingua proceſſit origo
Sermonem, multòque creata ſunt priùs aures,
Quàm ſonus eſt auditus, & omnia deniq; membra
Ante fuere, ut opinor, eorum quàm foret uſus:
Haud igitur potuere utendi creſcere cauſsâ.

Nec aliud certè ſentire, ſive docere poterat Epicurus, qui, cùm Deum ipſum, aut certè illius Providentiam apertiſſimè ſuſtuliſſet, ideoque ſingulas Univerſi partes, & effectus omnes, quos in pulcherrimâ rerum compage non ſinè maximâ admiratione conſpicimus, non a ſapientiſſimo quodam Opifice, ſed a fortuitâ ſolùm atomorum agitatione, & concurſu, cæcoque illarum impetu, & complexione productos eſſe putaret, illud etiam in hac hypotheſi aſſerere proinde debuit illos non ad finem aliquem dirigi, nec alicujus objecti gratiâ, & amore formatos eſſe, cùm nulla fuerit cauſſa, quæ finem illum in operando, vel producendo reſpiceret.

V. Quàm verò perdita, impia, ac ineptiſſima ſit hæc Epicuri ſententia fuſiùs, & opportuniùs alibi declaravimus in Phyſica Generali Tractatu II. Cap. 4. ubi de primâ cauſsâ, ejuſque providentiâ loqueremur. Ex incredibili nimirum pulchritudine, varietate, vel ordine, qui in ſin-

ſingulis Univerſi partibus, præſertim verò in animalium corporibus, obſervatur; ex admirabili, conſtantique periodo, ſive lege, quâ res omnes inditas ſibi vires axerunt, certoſque effectus producunt; atque ex incredibili, maximâque ſapientiâ, quæ in contemplandis, vel cognoſcendis illis requiritur, manifeſtiſſimè demonſtravimus, longè majorem, ac infinitam prorſus cognitionem, ſive ſapientiam eſſe, quâ illæ formatæ jam fuerint; ideoque non temere, & inconſultò, cæcoque atomorum impetu, ſed a ſapientiſſimâ cauſsâ productas eſſe, quæ cùm illarum ſingulas ad certum finem dirigeret, eam ſingulis partium texturam conceſſerit, quæ ejuſmodi fini conſequendo aptiſſima videbatur. Sic ex. gr., cùm oculus objectis omnibus circumpoſitis commodè videndis formatus eſſet, rotundam, facilèque mobilem figuram accepit; ſicuti, cùm radiis colligendis, perficiendæque viſioni deſtinaretur, variis humoribus rarioribus, denſioribuſque diſtinctus eſt: ſimili ferè ratione, cùm ignis agitandis, diſſolvendiſque corporum partibus, ſive corporibus comburendis deſtinaretur, tenuiſſimam partium figuram, perennemque motum accepit. Ac, ne plura commemorem, ſi creaturæ ſingulæ a ſapientiſſimâ cauſsâ finis alicujus gratiâ, & amore revera genitæ, ſive productæ forent, non alio certè meliori, commodiorique modo produci potuiſſent, quàm revera formatæ jam fuerint: ideoque concedi debet aut eandem eſſe fortuito caſui operandi vim, quæ in optimâ, ſapientiſſimâque cauſsâ reperiretur; aut certè res ſingulas ad certum finem ab ipsâ naturâ dirigi, hoc eſt ab auctore naturæ, vel Deo, qui illas non temere, & inconſultò, ſed admirabili prorſus ordine

ſapientiâ, vel arte, & alicujus finis gratiâ, & amore produxit.

VI. Quod ſi rebus omnibus, quæ a Deo productæ fuerint, atque inanimatis etiam corporibus finis aliquis eſt conſtitutus, ad quem illa ingenito veluti pondere, ſive naturâ ipsâ dirigantur, ambigere, vel ſuſpicari certè non poſſumus, quin homini quoque, pulcherrimo nimirum, perfectiſſimoque operi, quod ex Artificis manibus, operâ, ſive conſilio prodierit, finis aliquis habeatur, cujus gratiâ productus exiſtimetur; & quemadmodum homines dum ratione duce operantur, finem eligunt, ad quem opus dirigant, tantòque nobiliorem quantò nobiliùs operantur, quantòque preſſiùs rationis, ſapientiæque lumen ſibi divinitùs inditum ſequuntur, quis apertè non videat Artificem optimum, dum opus illud produceret, in quo pulcherrima ſui ipſius imago effulgere debuit, ad finem aliquem reſpexiſſe tantò ceteris corporum finibus nobiliorem, quantò Deus ipſe, vel accuratiſſima Dei imago, ceteris omnibus rerum generibus nobilior haberi debet? Clariſſimis itaque, certiſſimiſque rationibus erudimur finem aliquem proximum, atque ultimum admitti oportere, ad quem homines naturâ ipsâ dirigantur: cùmque res aliqua tum demum perfecta, beata, vel felix exiſtimetur, ubi finem ejuſmodi, ad quem naturâ duce dirigitur, ſit conſequuta, clariſſimum quoque, certiſſimumque eſſe debet dari ultimum, ſummumque bonum, ex cujus adeptione hominis perfectio, bonitas, beatitudo, felicitas oriatur.

VII. Antequam verò diligentiùs inquiratur quis hìc ultimus hominum finis, ſummum bonum, ſive felicitas haberi debeat, obiter obſer-

ſervaſſe juverit non omnia rerum genera eâdem ratione ad finem dirigi, ſed pro variâ potiùs rerum naturâ, variâ quoque lege, ac ferè impetu quodam ad finem ferri. Cùm itaque ex veteri Philoſophorum doctrinâ tria rerum genera diſtingui ſoleant, corpora nimirum inanimata, quæ nullo ſenſu, nullâque cognitione prædita ſunt, ut *arbores*, *ignis*, *lapides*, *&c.*; corpora animata, vel ſenſitiva, quibus cognoſcendi, vel ſentiendi vis ineſſe creditur, ut *animalia bruta*; homines denique ex corporeâ ſimul, & incorporeâ ſubſtantiâ compoſiti, ideoque ſpiritalis etiam, & incorporeæ cognitionis capaces, veteri quoque Philoſophorum judicio tribus modis res ad finem dirigi exiſtimantur; corpora nimirum inanimata *exequutivè* quòd finem ipſum ſibi a naturâ, vel a Deo conſtitutum non cognoſcant, neque appetant, ſed cæco quodam impetu a naturâ, vel Deo impellantur, ideoque non eligant finem, ſed divinum potiùs impulſum exequantur; animalia verò, quæ finem cognoſcunt, ejuſque bonitatem apprehendunt, *apprehenſivè* finem eligant, ejuſque amore operentur; homines denique, qui nobiliori quadam, & incorporeâ ratione finem cognoſcunt, varia media, quæ fini conſequendo conferant, ita ſeligunt, accuratèque diſponunt, ut inde faciliùs optato fine fruantur, *directivè* operentur. Veteri quoque Philoſophorum conſenſu pro vario rerum, vel cauſſarum genere diſtingui ſolet appetitus ille, impetus, aut amor, quo ad finem illæ diriguntur, ſive in finem ſibi a naturâ conſtitutum feruntur. Itaque res inanimatæ dicuntur appetere finem appetitu *naturali*, vel *innato*, quia nimirum non ſponte, ſed ingenitâ quadam vi, ac naturæ ductu ad finem diriguntur.

Ani-

Animalia bruta, quæ finem cognoſcere, ſenſibuſque prædita eſſe exiſtimantur, appetitu *ſentiente*, vel *ſenſitivo*, quòd in ipſis indifferens quædam eligendi vis admittatur. Homines denique, qui liberrimè prævio rationis lumine dirigüntur, appetitu *rationali*, qui *voluntas* etiam a pluribus appellatur, ſive potius voluntatis inclinatio, ſive propenſio quædam ad finem.

IX. Neque ab hac celebri rerum, vel appetitûs diviſione recentiores etiam, accuratioreſque Philoſophi diſſident, niſi quod animalia bruta nullâ cognitione, vel ſenſu prædita exiſtimant; ideoque in ipſis appetitum ſentientem non agnoſcunt, nec illa putant apprehenſivè ad finem dirigi, ſed aliorum corporum inſtar a naturâ ipſâ, juxta ſeveriores Mechanicæ leges, ad certos effectus, vel fines tendere: hoc uno diſcrimine quod cùm in ipſis nobilior partium textura, organorumque varietas obſervetur, quàm quæ in ceteris corporum generibus habeatur, illa nobiliori quadam ratione operari, atque appetitum hominis imitari quodammodo videantur.

X. Exinde verò facilè intelligitur, quod finis ille, ad quem ſingula rerum genera diriguntur, veluti bonum aliquod haberi, ſive vocari poteſt. Cùm enim bonum phyſicè, vel methaphyſicè conſideratum optimè ab Ariſtotele definiatur *id, quod omnia appetunt* (a), vel, ut inquit Cicero, *bonum appello quidquid ſecundùm naturam eſt, quod contra malum* (b), ſive nimirum id, quod ab omnibus veluti ſibi conveniens inquiritur, ad quod omnia veluti amo-

(a) *Ethic. Nicom. l. c. I.* (b) *Fin. V. c. ...*

amore quodam, & pondere feruntur, manifeſtiſſimè apparet, quod finis ipſe, ad quem ſecundùm naturam, vel naturâ res diriguntur, optimè illorum bonum, perfectio, felicitas appellatur. Quemadmodum itaque rerum finis aut proximus, aut ultimus eſſe poteſt, ut antea dicebamus, ita quoque rei bonum, aut proximum, aut ultimum, vel extremum eſſe poterit: proximum nempe, ad quod proximè res ipſa dirigitur; ultimum verò, vel extremum, ad quod ultimò res ordinatur, ad quod fines alii, vel alia bona proxima diriguntur, ipſum verò non dirigitur, nec ordinatur ad aliud. *Quærimus itaque quod ſit extremum, quid ultimum bonorum; quod omnium Philoſophorum ſententiâ tale debet eſſe, ut ad id omnia referri oporteat, ipſum autem nuſquam* (a). In quo nimirum veluti ſummo bono, extremo, vel ultimo fine hominis perfectio, ſive fælicitas ſit conſtituta, quæ celeberrima quæſtio ſequenti Capite examinabitur.

CAP.

(a) *Fin.* I. c. 9.

CAP. II.

Exponuntur variæ Philoſophorum ſententiæ de ultimo fine, de ſummo bono, de fælicitate hominis.

I. Ardens, & incredibilis ille fælicitatis amor, quem ſingulis hominum cordibus ingenitum eſſe jam diximus, Philoſophos omnes impulit, ut objectum, vel bonum illud accuratiſſimè inquirerent, quod beatam vitam efficeret. Cum tamen plurimi fælicitatem non in perenni quodam, ac immortali vitæ ſtatu, ut exiſtimari certè par fuerat, ſed in hac ipsâ mortalis, atque miſerrimæ vitæ conditione comparari poſſe putarent, neque tamen alterâ ex parte objectum, vel bonum aliquod invenirent, quo inſatiabilis, ac irrequieta cordis humani cupiditas expleretur, ideoque hominis perfecta fælicitas oriretur, in varias, ac diſſidentes adeo ſententias abiere, ut mirari certè, vel indolere quis poſſit, de re graviſſimâ ſapientiſſimos etiam viros mirificè diſſidere. Auguſtinus (a) certè ex M. Varrone commemorat ducentas octoginta octo Philoſophorum ſententias de ſummo bono, vel hominis beatitudine floruiſſe; quarum plurimæ a Laertio, Empirico, Plutarcho, Seneca, Cicerone (b), aliiſque Scriptoribus referuntur. Illarum ſingulas hic uberiùs exponere nec juvat, nec decet, cùm præſertim plurimæ aut obſcuræ adeo ſint, ut de ipſis

(a) *De Civit. XIX. c. 2.* (b) *Fin. 3. c. 21.*

ipſis quicquam certi conjici, vel definiri non poſſit; aut impudentes adeo, falſæque fuerint, ut ex omnium animis ferè exciderint; aut ad nobiliores alias inferiùs memorandas facilè revocentur. Illuſtriores itaque ſolùm Philoſophorum ſententias de ſummo bono, vel hominis fælicitate exponemus: cùmque tria bonorum genera ſatis accommodè diſtingui ſoleant (*a*), *corporis* nimirum, *fortunæ*, atque *animi*, ad hæc ipſa bonorum genera omnes Philoſophorum opiniones reducemus; cùm præſertim hominis fælicitatem in corporis, vel fortunæ, vel animi bono poſitam exiſtimaverint.

II. Atque, ut ab iis exordiamur, qui hominis fælicitatem in bono corporis collocarunt, a Scriptoribus omnibus erudimur, Ariſtippum, & Cyrenaicos non aliam hominis fælicitatem agnoviſſe, quàm quæ in ſummâ corporis, vel ſenſuum voluptate conſiſteret. Quemadmodum enim teſtatur Cicero, *ab Ariſtippo Cyrenaici, atque Annicerii Philoſophi nominati omne bonum in voluptate poſuerunt, virtutemque cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam quòd efficiens eſſet voluptatis* (*b*). Id expreſſiùs adhuc aſſeruit Quintilianus, quod Ariſtippus *ſummum in voluptate corporis bonum ponat* (*c*): *amplexus* enim *voluptatis ſenſum eſſe cum finem ac in eo eſſe felicitatem ſtatuit, ipſamque unicam durabilem dixit, id nempe, quod quivis profligatorum diceret. Conſentiens autem fuit ejus dogmati genus vitæ, quam nempe traduxit in omni luxu, ac in mediis unguentorum, veſtium, mulie-*

(*a*) *Plato ap. Laer. III. ſ. 81. Cic. Fin. V.* (*b*) *Offic.* III. *c.* 33. (*c*) *lib. XIII. c. 2. vid. Lact. lib. III. c. 7. & Laert. II. ſ. 87.*

lierumque deliciis (a), ut ex Laertio, Seneca, aliiſque intelligitur.

III. Perditam hanc, impuriſſimamque Ariſtippi ſententiam complexus eſt *Mahommedes* in *Alcorano*, libro nimirum, quo Turcicæ Religionis præcepta continentur. Ibi nimirum non aliam fælicitatem, vel anteactæ vitæ præmium *Deo devotis* hominibus, quos ille *Muſulmannos* appellat, pollicetur, quàm jucundiſſimas, & incredibiles corporis voluptates; ut proinde Paradiſus ille, cujus amore ad novæ, ſeveriorisque doctrinæ ſtudium Turcarum animos excitavit, epulis, cantibus, aliiſque impurioribus ſenſuum deliciis redundaret. In hac ipsâ tamen turpiſſimâ fælicitatis ideâ Mahomedes Ariſtippo melior haberi fortaſſe poterit, non modò, quòd animos immortales eſſe crediderit, ideoque ſinceram hominis fælicitatem in perenni, vel invariabili vitæ ſtatu reſervatam eſſe putaverit; verùm etiam quòd honeſtas plerumque, ſeverioreſque leges indixerit, quas Mahometani conſtanter admodum, ac religioſè exactâ jam ferè mille ducentorum annorum ſeriè conſervant. Incredibilis verò celeritas illa, quâ Mahomedes ipſe per ampliſſimas Orbis regiones Turcarum imperium, religionemque diffudit, etſi plerumque in ſenſuum licentiam, quæ Turcis ab Alcorano conceſſa creditur, refundi ſoleat; longè tamen veriſimiliùs partim ex armorum impetu, ac feritate deduci debet, partim etiam ex *poligamiâ*, vel multiplici uxorum numero, quem ſuis Sectatoribus ille conceſſit, partim ex ruditate, bonarumque artium neglectu, quarum ſtudia ſeveriùs prohibuit: neque enim ſolâ futuræ vitæ

(a) *Athen. lib. XII.*

vitæ voluptate, vel Paradiſi amore fieri fortaſſe poterat, ut aſperam hanc, & inſuavem vivendi rationem amplecterentur, accuratiſſimèque ſervarent (*a*).

IV. Nulli tamen hæc ipſa voluptatis doctrina frequentiùs adſcribitur, quàm Epicuro, qui proinde *turpiſſimæ voluptatis aſſertor* [*b*] haberi, vocarique ſolet. Atque incredibile eſt certè, cùm Epicurus hominis fælicitatem, vel ſummum bonum in corporeis voluptatibus poſuiſſe existimetur, quàm acriter in illum, ejuſque doctrinam non modò Eccleſiæ Patres, & Stoici, ſed ex omnibus etiam Philoſophorum Sectis plurimi exarſerint; ut illum veluti perditum, nefarium, impudentiſſimum, moralis, honeſtatiſque everſorem traducant. Porrò de ſolis corporis voluptatibus Epicuri ſententiam intelligi, vel explicari oportere, non modò ex Epicureorum moribus intelligitur, atque præſertim L. Piſonis, quo *nihil libidinoſius, nihil impurius, nihil intemperantius, nihil denique ſceleſtius cogitari poteſt, cùm magiſtris* Epicureis *utatur quaſi præfectis libidinum ſuarum, qui voluptates omnes veſtigant, atque odorantur, ſententiamque dicunt, & judicant quantum cuique libidini tribuendum videatur* [*c*]; ſed ex ipſis etiam Epicuri libris Cicero demonſtravit: *non enim verbo ſolùm ſummum bonum poſuit voluptatem, ſed explanavit quid diceret, ſaporem, inquit, & corporum complexum, & ludos, atque cantus, & formas eas, quibus oculi jucundè moveantur* [*d*]. Pluribus etiam in locis id expreſſiùs aſſerit Athenæus, quod nimirum ex Epicuri

(*a*) *Hotting. Hiſt. Orient. lib. II. c.* 1. (*b*) *Lact. III. c.* 17. (*c*) *Orat. poſt red. in ſen. Orat. pro Sext. & in Piſon.* (*d*) *Tuſc. III. c.* 20.

curi ſententiâ. *Omnis boni principium, radixque eſt voluptas ventris, & quæ eximia ſunt ſapientiæ præcepta, ad hanc referuntur*; quod, cùm Ulyſſes apud Homerum *vitæ finem eſſe delicias, & laſciviam* dixerit, hunc Epicurus veluti ducem, & præceptorem habuit (*a*) *decantatiſſimæ voluptatis*; quod Epicurei urbe Româ depulſi ſunt *ob voluptates, quarum erant ſuaſores*; quid enim innumera Plutarchi (*b*), Agellii (*c*), Plotini [*d*], Origenis [*e*], Auguſtini (*f*), aliorumque loca congeramus, quibus apertiſſimè demonſtratur Epicurum non aliam voluptatem veluti ſummum bonum, ultimumque finem agnoviſſe, quàm quæ in corpore reperitur.

V. Plurimi tamen veteres, recentioreſque Philoſophi hanc Epicuri ſententiam non de corporis, ſed animi ſolùm voluptatibus intelligendam eſſe arbitrantur, ut omnem proinde labem, ac infamiam Epicuri nomini temere, ac impudentiſſimè adſperſam diluere conentur. Certè Epicurus ipſe apud Laertium [*g*], & Ciceronem * ultimum finem, adeoque fælicitatem hominis aſſerit eſſe ſanitatem corporis, & tranquillitatem mentis; etenim quidquid agimus eò denique ſpectat ut neque doleamus, neque perturbemur: cùmque intelligeret voluptatis nomen in deteriorem ſenſum de ſolis nimirum corporis voluptatibus traduci poſſe, ſententiam ſuam clariùs adhuc exponens *cum dicimus*, inquit, *voluptatem finem eſſe, non luxorioſorum voluptates, eaſque*, *quæ*

(*a*) *Athen.* (*b*) *II. adv. Colot. & præc. ſanit.* (*c*) *lib. IX. c. 5.* (*d*) *Enn. II. lib. 9. c. 25* (*e*) *III. contra Celſum* (*f*) *lib. de Epic. & Stoic. c. 4.* (*g*) *lib. X. ſeg. 131.*

* Clamat Epicurus, is quem vos nimis voluptatibus eſſe deditum dicitis, non poſſe jucundè vivi, niſi ſapienter, honeſtè, juſtèque vivatur, nec ſapienter, honeſtè, juſtè, niſi jucundè. *Cic. Fin. I. c. 18.*

quæ in fruendo ſunt poſita, dicimus; ut quidam ignorantes, aut a noſtra ſententia diſſentientes, aut malè eam accipientes arbitrantur, ſed non dolère corpore, animoque tranquillum eſſe conjungimus. Non enim convivia, & comeſſationes, non puerorum, mulierumque congreſſus, non piſcium eſus, & ceterorum, quæ affert pretioſior menſa, ſuavem gignit vitam; verùm ratio ſobria, cauſſaſque perſcrutans cur quæque vel eligenda, vel fugienda ſint, opinioneſque expellens, per quas animos, ut plurimum occupat tumultus ...... docentes quod jucundè vivere poſſit nemo, niſi prudenter, & honeſtè, juſtèque vivat; nec contra prudenter, & honeſtè, juſtèque quin, & vivat jucundè: Virtutes enim jucundæ vitæ conjunctæ ſunt; jucundaque vita ſeparari a virtutibus nequit (*a*). Eadem quoque fusè apud Ciceronem, elegantiſſimèque exponit Torquatus, *ut tollatur error omnis imperitorum, intelligaturque ea, quæ voluptuaria, delicata, mollis habetur, diſciplina, quàm gravis, quàm continens, quàm ſevera ſit* (*b*). Quin etiam Seneca graviſſimus alioqui Philoſophus aſſerit *eſſe apud Epicurum duo bona, ex quibus illud ſummum, beatumque componitur, ut corpus ſinè dolore ſit, animus ſinè perturbatione* (*c*); quemadmodum Plutarchus ipſe fælicitatem, *beatamque vitam* ait ex Epicuri ſententiâ *conſiſtere in vacuitate doloris, ſedationeque affectuum, ac diſpoſitione illa animi, quæ ipſis naturæ finibus omnia circumſcribit* (*d*): quod Stobæus etiam (*e*), Ammonius [*f*], Lactantius ipſe (*g*), & Nazianzenus eximiè confirmant; quorum ultimus obſervat, quod Epicurus,

Ne hac voluptate improbam quis crederet

(a) *Laert. X. ſ.* 131. (*b*) *Fin. I. c.* 11. (*c*) *Epiſt.*66. (*d*) *De audien.Poet.* (*e*) *Ecl. Eth.* (*f*) *præf. categor.* (*g*) *Inſt.* III. *c.* 7.

Laudari, honeſtè, & continenter vivere
Inſtituit ille, dogma moribus probans. [a]

Et certè graviſſimis, honeſtiſque moribus fuiſſe Epicurum, ſobriam, auſteramque vitam tranſegiſſe, eximia denique virtutis dogmata exemplo ſuo confirmaſſe clariſſimis, certiſſimiſque rationibus erudimur, quas accuratè commemorant Eraſmus [b], & Gaſſendus [c], qui Epicuri Apologiam fæliciter adornarunt. Suſpicantur itaque Sapientes illi, quod Epicuri nomen, atque doctrina a Stoicis, aliiſque Epicuro infenſis iniquè expoſita, atque traducta fuerit; quod Epicurei, ut inquit Seneca, *non ab Epicuro impulſi luxuriantur, ſed vitiis dediti luxuriam ſuam in Philoſophia ſinu abſcondunt, & eò concurrunt ubi audiunt laudari voluptatem quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod, aut velamentum* (d); quemadmodum certè Piſo *ſimul atque audivit a Philoſopho tantopere voluptatem laudari, nihil expiſcatus eſt; ſic ad hanc illius orationem adhinniit, ut non magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis a ſe illum inventum arbitraretur* (e); quod denique Epicureorum dogmata, perditi mores, ac dedecus ita in Epicurum ipſum temere, ac immeritò translata fuerint, ut ille deinde a Patribus, aliiſque rem accuratè non perpendentibus veluti corporeæ voluptatis aſſertor cum Ariſtippo haberi conſueverit; cùm tamen plurima inter Epicurum, & Ariſtippum diſcrimina reperiantur, ut evidentiſſimè Laertius, atque Gaſſendus uberrimè demonſtrarunt. Itaque ex Epicuri ſententiâ fælicitas, vel ſummum bonum partim in corpore, partim, ac præſertim etiam, in animo ſitum eſt; ut

(a) *Jamb.* 18. (b) *in Epicureo*. (c) *in vita, & Apol. Epic. & Eth. lib.* 1. *c.* 3. (d) *de vit. beat. c.* 12. 13. (e) *Cic. orat. in Piſon.*

ut cùm Cyrenaici ſola corporis bona requirerent, Epicurus animi quoque bonum exigeret; ad quod corporis tranquillitas plurimùm conferret: in quo certè Epicurus a Stoicorum, Peripateticorum, aliorumque ſententiâ non plurimùm diſſidet, ut inferiùs oſtendemus.

VI. Atque iſti quidem perfectam hominis fælicitatem in corporis bono, ſeu voluptate poſitam eſſe voluerunt. Qui verò in fortunæ bonis, divitiis nimirum, honoribus, & famâ collocaverint, pauci quidem ex Philoſophis, plurimi tamen ex variis hominum generibus memorantur. Quot enim incredibilis, & inſatiabilis auri cupiditas incendit, ut divitiis undique conquirendis, vel corradendis inſudent; longa itinera, plenamque periculi aleam aggrediantur; noctes etiam ducant inſomnes; abſtinentiâ corporis excrucientur, ut uberiorem pecuniarum vim congerant, ſuavemq; ac jucundiſſimam voluptatem in inſpiciendis, & contrectandis illis percipiant; ut inde facilè intelligi poſſit, eos ſpem omnem, omnemq; amorem in divitiis veluti ſummo bono collocaſſe? Et certè ſi quis ingentes divitias congeſſerit, nihil eſt, quod illi deeſſe, vel optari poſſe videatur, cùm divitiis omnia cedant, aut, ſi quæ deſint, pecuniâ facilè comparentur;

——————— omnis enim res
Virtus, fama, decus, divina, humanaq; pulcris
Divitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam, & rex,
Et quidquid volet (a):

unde Ariſtoteles ipſe teſtatur, quod *ad hoc nummus inventus eſt, ut ſit quaſi fidejuſſor habendi pro eo quodcumque homo voluerit* (b).

(a) *Horat. Satir. lib. II. ſat. 3. v. 94.* (b) *Eth. Nicom. V. c.*

Huc etiam revocari poterit imperandi, vel dominandi cupiditas, quæ in Principibus reperitur, quorum ſtudia, conſilia, conatus omnes illò diriguntur, ut longè, latèque imperii fines extendant: ut certè fuit Alexander ille, qui cùm Anaxarchum de multiplici, vel infinito mundorum numero diſſerentem audiviſſet fleviſſe dicitur dignum lacrimis exiſtimans, quod cùm infiniti eſſent mundi, ipſe tamen nondum unius dominus foret.

Plurimos denique, non regni, non divitiarum, ſed ſola gloriæ, vel famæ cupiditas ita illexit, ut illius comparandæ ſtudio non modò divitias omnes, & regnum, ſed ipſam quoque vitam contempſerint, eamque vel in diuturno bellorum diſcrimine, vel in arduis quibuſq; rebus obeundis libenter projecerint, ut immortalem ſibi nominis gloriam apud poſteros compararent; cujuſmodi certè ſunt Heroes illi, quorum eximia facinora apud Græcos, præſertim verò apud Romanos mirificè commendata a Plutarcho, Valerio Maximo, aliiſque pluribus memorantur.

VII. Expoſitâ verò, vel explicatâ jam illorum ſententiâ, qui ſummum bonum in voluptate, ſeu bono corporis, atque fortunæ collocarunt, aut certè collocaſſe dicuntur, exponenda jam ſupereſt illorum opinio, qui hanc in bono animi poſitam exiſtimarunt. Ac inter illos haberi poterit Anaxagoras, qui hominis fælicitatem in cæleſtium rerum contemplatione poſitam eſſe putavit (*a*), cùm nempe *rogatus, cujus rei cauſsâ natus eſſet? inſpiciendi, inquit, cæli, & ſolis, & lunæ* [*b*], quod Lactantius (*c*) de cor-

(*a*) *Clem. Alex. Strom.* II. (*b*) *Laert. II. ſ.* 10. (*c*) *Inſtit. III. c.* 9.

corporeâ ſolùm cognitione intelligi oportere immeritò prorſus exiſtimavit. Haberi etiam poterit Poſſidonius, qui contemplationi tamen imperium ſupra irrationalem hominis partem adjungi oportere putavit. *Herillus* quoque *Carthaginenſis finem ſcientiam dixit, quod eſt ſemper vivere cuncta referendo ad vivendum cum ſcientiâ, ne ignorantiâ deiiciamur* (*a*), atque *hoc uno captus ſcientiam ſummum bonum eſſe defendit, nec rem ullam aliam per ſe expetendam* (*b*). Pythagoras autem non in quacumque rerum contemplatione fælicitatem poſitam eſſe exiſtimavit; ſed in illâ ſolùm, quâ virtutum perfectionem cognoſcimus; quemadmodum certè Plato, de quo deinde fuſiùs differemus, modò beatitudinem in intellectu, ſive ſapientiâ, modò in cognitione boni, quâ Deo ſimiles reddimur, collocavit (*c*); ut Academici recentiores a Carneade inſtituti in *cohibitione aſſensûs a viſis*.

VIII. Paulo nobilior eſt Apollodori ſententia, qui fælicitatem in *animi oblectatione* poſuit, quocumque demum ex fonte illa oriatur, cùm Lycus in vero animi gaudio, & Leucimus in rerum honeſtarum delectatione collocaverit. Democrito quoque fælicitas in *ἐυθυμία* vel *animi tranquillitate*, ſive *ſecuritate*, ut Seneca (*d*), & Cicero (*e*) interpretatur, vel *in bono, pacatoque animi ſtatu*, ut Diotimo (*f*) videbatur, vel denique in *immunitate a pavore*, ut Nauſiphanes exponit (*g*) conſiſtere exiſtimavit, de quâ *volumen* etiam *egregium* conſcripſit Heraclitum fortaſſe imitatus, qui *placabilitatem*, ſive *benè, quietèque compoſitum animi ſtatum* admiſit, a qui-

(a) Laert. VII. ſ. 165. (b) Cic. Fin. V. c.25. & in Lucut. (c) in Philabo (d) de vita beata c.12. & de Tranquil. & Laer. IX. ſ. 45. (e) Fin. V. c. 8. 29. (f) ep. Clem. Strom. II. (g) ibid.

bus deinde fortaſſe Pyrrho eruditus *ſtatum animi imperturbatum*, *atque tranquillum* accepit (*a*).

IX. Ex iis tamen, qui beatitatem in animi bono, vel perfectione collocarunt, nulli fortaſſe nobiliùs, atque magnificentiùs ſentire videntur quàm Stoici, qui beatitudinem ipſam in ſolâ virtute, ſive ſapientiâ animi ita conſtitutam eſſe volebant, ut ſi fortaſſe corporis, & fortunæ bona deeſſent, quinetiam ſi innumeris ægritudinibus, dolore, ac morte ſapiens premeretur, in ipſo quoque Phalaridis tauro, ſapientem beatum, ac fælicem eſſe dicebant *. Hinc plurima de leniendo, vel tolerando dolore, de contemnendâ morte, vel ſenſibilium rerum jacturâ graviter admodum ſeverè, adductoq; ſupercilio diſſerebant, ut apud Ciceronem, Senecam, qui Stoicæ diſciplinæ nomen dederat, Laertium, Epictetum, alioſque plurimos intelligimus. Corporis verò, ſive fortunæ bona adhibenda quidem eſſe dicebant, non optanda tamen, ac amanda; quippe quæ non *bona*, nec *mala*, ſed *neutra* ſint, nihilque ad ſapientiam, virtutem, beatamque vitam pertineant, aut aliquando potiùs illi adverſentur: unde exceptâ virtute, cui ſolùm *boni* nomen deberi putabant, quæ ſolent a ceteris bona appellari, *ut vita*, *ſanitas*, *voluptas*, *pulchritudo*, *vires*, *opes*, *gloria*, *nobilitas* (*b*), ipſi *commoda*, ſive *prapoſita* vocabant; quemadmodum exceptâ ignorantiâ, ſive malitiâ, quam ſolam veluti malum haberi *poſſe* jam dixerant, quæ ſolent a ceteris mala vocari, ut *mors*, *ægritudo*, *dolor*, *tur-*

pi-

(*a*) *ap. Empir. Hyp. l.* 4. (*b*) *Sen. Ep.*45 *& Laer. VII. ſ.* 102.

* Zeno finem ait conſentaneè ſecundùm naturam vivere, id autem eſt ſecundùm virtutem vivere, ad eam quippe natura nos ducit. *Laert. VII. ſ.* 87. *vid. Cic. Fin. IV. c.* 10.

pitudo, *infirmitas*, *inopia obſcuritas* (*a*), ipſi *rejecta*, vel *rejectanea* ſolùm, vel *incommoda* nominabant (*b*).

X. Ab hac illuſtri Stoicorum ſententiâ, quæ Cynicis etiam arriſerat, [*c*] non plurimùm diſſidet Ariſtoteles, qui ſummum bonum, ſive fælicitatem in illo collocatam eſſe putavit quod quis *ſecundùm naturam* viveret; ideoque beatitudinem *definivit eſſe animi quandam operationem ſecundùm virtutem* (*d*), vel *operationem animæ ſecundùm virtutem in vitâ undique perfectâ* (*e*); quemadmodum Piſo Peripateticus apud Ciceronem ex Ariſtotelis opinione nihil aliud eſſe arbitratur *vivere ſecundùm naturam* quàm *vivere ex hominis naturâ undique perfectâ*, & *nihil requirente* (*f*). Cum enim intelligeret Ariſtoteles ad perfectam hominis fælicitatem non modò fælicitatem animi, ſive virtutem requiri, ſed inſuper etiam plurima corporis, aut fortunæ bona, ſinè quibus humanæ naturæ beatitudo, ſive animi fælicitas facilè comparari, vel conſervari non poterat, perfectam hominis fælicitatem in vitâ undique perfectâ, & nihil requirente conſtituit (*g*): ideoque, licèt contemplationi, ac virtuti primas deferat *, illum tamen verè fælicem eſſe, vel haberi non putat, qui maximis doloribus, & ægritudinibus torqueatur. Id expreſſiùs adhuc exponit libro I. Eth. cap. 8. ubi commemorat ad vitam

(*a*] *Laert. VII. ſ.*102. (*b*) *vid. Laert. ibid. ſ.*105. & *Cic. Fin. III.*16. & *IV. c.*26 (*c*) *Laer. VI. ſ.*104. (*d*) *Eth. I. c.* 9. (*e*) *Eth. I. c.*7. (*f*) *Cic. Fin. V. c.*10. (*g*) I. *Eth. c.* 3. *vid. Laert. V. ſ.*30.

* Oportere exiſtimamus eſſe voluptatem cum fælicitate commixtam, & cum in confeſſo ſit ex operibus, quæ ſecundùm virtutem fiunt, illam, quæ ex ſapientia eſt, eſſe longè ſuaviſſimam, idcirco videtur ſapientiam admirabiles tum ſinceritate, tum ſtabilitate voluptates continere. *Ariſt. Ethic. X. c.* 7.

hanc undique perfectam tum interna animi, corporiſque bona, ut ſcientiam, prudentiam, pulchritudinem, ſanitatem; tum externa quoque fortunæ, ut divitias, honores, amicos, illa nimirum, ſinè quibus virtus acquiri plerumq; non poteſt, aut illa certè, quæ cùm optari meritò, vel inquiri ſubinde debeant, perennem animi tranquillitatem, ſive virtutem mirificè perturbarent: unde etiam aſſerit hæc diuturna, ſimulque conjuncta haberi oportere, quòd ſicut *una hirundo non facit ver* [a], ita ex aliquâ ſolùm fælicitate *, ſive bono perfecta fælicitas oriri non poſſit: quod ex Ariſtotelis ferè ſententiâ elegantiſſimè expreſſit Poeta cum ait

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundiſſime Martialis, hæc ſunt,
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis numquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Convictus facilis, ſinè arte menſa,
Nox non ebria, ſed ſoluta curis,
Non triſtis torus, attamen pudicus,
Somnus, qui faciat breves tenebras,
Quod ſis eſſe velis, nihilque malis,
Summum nec metuas diem, nec optes. [b)

Quæ cum ita ſint, ut Ariſtoteles ipſe concludit, *beatos ex vivis dicemus eos, in quibus ea inſunt, & inerunt, quæ a nobis ſupra dicta ſunt, beatos autem ut homines* (c). Ubi obſervaſſe juverit Ariſtotelem de illâ ſolùm beatitudine loquu-

(a) I. *Eth. c.* 7. (b) *Mart. lib.X epigr.* 47. (c) *Eth. Nicom.* I. *c.* 10.

* Felicem dicemus qui ex perfecta virtute operatur, externiſque bonis abunde fuerit inſtructus, non quolibet tempore, ſed perfecto. *I. Eth. c.* 10.

quutum eſſe, quæ in hac ipsâ mortali vitâ comparari poſſit, non quòd animi immortalitatem negaverit, ut plurimi exiſtimarunt; ſed quòd de perennis, ac immortalis vitæ fælicitate diſſerere alienam ab Ethicâ, ſive Philoſophiâ putaverit. Quemadmodum certè cum de naturali fælicitate loqueretur, nullam Dei, vel infiniti boni mentionem injecit, etſi fælicitatem ipſam veluti munus a Diis conceſſum haberi dixerit; ut *profectò, ſi aliud quoddam eſt hominibus a Diis immortalibus datum, fælicitatem datam eſſe par eſt credere, quâ nihil eſt melius in rebus humanis. Et fortaſſis quidem hoc aliàs conſideratu ſit opportunius, interim tamen illud conſtat, tametſi non ſit fælicitas res, quæ obtingat divinitus, ſed vel virtute, vel doctrinâ, vel exercitatione quæratur, nihil eâ poſſe eſſe divinius.* (a)

XI. Supremo deniq; loco celeberrima Platonis opinio nunc explicanda nobis occurrit, quæ ſuperiores omnes longiſſimè ſuperavit, atque de animi naturâ, ejuſque ſincerâ fælicitate præclarè adeo, atque honorificè ſenſit, ut ad ipſum fidei lumen proximè accedere exiſtimetur. Admirabilis itaque, ac divinus ille Philoſophus in hoc mirificè excelluit, atque inſigni diſcrimine a ceteris diſtingui debet, quod ſinceram hominis fælicitatem in hac mortali vitâ comparari non poſſe putavit; nec illam aliunde, quàm ab ipſo Deo, ſummo nimirum, immutabili, vel infinito bono repeti poſſe. Quamvis enim in hac ipsâ mortali vitâ fælicitatem aliquam acquiri poſſe crediderit, quæ partim in rerum contemplatione, Arithmeticæ ſtudio, Dei cognitione, partim etiam honeſtate morum, atque

(a) *vid. Eth. Nicom. I. c. 9.*

que virtute, quibus Deo ſimiles, & amici reddimur, conſiſteret; ſolidam tamen beatitatem, quæ proinde ſummum bonum, finis ultimus, atque perfecta fælicitas haberi poſſit, in altero solùm futuræ vitæ ſtatu, ſive perenni contemplatione, & amore, quo mens hominum ſummo bono, vel ipſi Deo arctiſſimè conjungetur, poſitam eſſe clariſſimè, & elegantiſſimè definivit. Ut enim innumera loca prætercam, quibus in Gorgia, aliiſque Operibus id expreſſit, locus illuſtris eſt in Phædone, ubi Socrates morti jam proximus, de animi immortalitate, futuro vitæ ſtatu, hominumq; beatitudine differens, *Anima*, inquit, *ſiquidem pura diſceſſerit, corporeum nil ſecum trahens utpotequa ſua cum illo invita communicaverit, ſed fugerit illud ſemper, ſeq; in ſe collegerit, tamquam ſemper id meditata, quod quidem nihil eſt aliud quàm rectè philoſophari, mortemque revera facilè commentari, anima, inquam, ſi ſic affecta diſceſſerit, nonne ad aliquid ſibi ſimile, divinum abit, divinum, & immortale, & ſapiens? quò cum pervenerit evadit felix ab errore, dementiâ, timoribus, duriſque amoribus, ceteriſque humanis liberata malis, revera reliquum tempus vitam cum Diis agit. Sin autem polluta, impuraque decedat, utpote qua corpus ſemper amplexa ipſum dumtaxat coluerit, & amaverit, ejuſque voluptatibus, & libidinibus quaſi veneficiis quibuſdam delinita fuerit . . . ſic, inquam, inſtitutam animam putaſne ipſam per ſe ſinceram evadere? nullo modo . . . in Deorum verò genus nulli fas eſt pervenire præter eos, qui diſcendi cupiditate flagrantes, & philoſophati ſunt, & puri penitus deceſſerunt . . .* Deindè verò id fuſiùs exponens, animorumque diſcrimen explicans aſſerit humanos animos corpore ſolutos ad

ſub-

ſubterraneum locum deferri, & *quando in eum locum defuncti pervenerint, quò dæmon unumquemque perducit, illic judicari, & qui honeſtè, ſanctèque, & qui aliter vixerint. Itaque quicumque in vita quodammodo tenuiſſe medium quoddam comperiuntur, purgantur pœnas dantes injuriarum, & cum purificati fuerint abſolvuntur, rurſuſque pro merito ſinguli benefactorum præmia reportant. Qui verò ob ſcelerum magnitudinem inſanabiles eſſe videntur, qui videlicet ſacrilegia multa, & magnas cædes iniquas, vel alia horum ſimilia perpetraverint, hos omnes conveniens ſors mergit in Tartarum, unde numquam egrediuntur... Qui autem piè præ ceteris vixiſſe inveniuntur, hi ſunt, qui ex his terrenis locis tamquam ex carcere ſoluti, atque liberati altiora tranſcendunt, puramque ſupra Terram habitant regionem, cujus pulchritudo neque facilis dictu eſt, neque præſens tempus ad dicendum ſufficeret: ſed horum, quæ narrata ſunt, gratiâ omni ſtudio eſt adnitendum, ut in hac vitâ virtutem, & prudentiam, ſapientiamque conſequamur. Præmium namq; pulchrum eſt, & ſpes eſt ingens.*

CAP.

CAP. III.

Veriſimilior opinio de ſummo bono, vel ultimo fine, cæteris confutatis, oſtenditur.

I. VIderi fortaſſe poterit in opinionibus illis, quas de ſummo bono, vel ultimo fine a Philoſophis inventas eſſe jam diximus, confutandis tempus, atque operam prorſus immeritò collocari: ſive quòd aliqua jam in explicandis illis attigimus, quibus ipſarum falſitas apertè ſatis oſtenditur; ſive certè quòd illæ evidenter adeo ab ipſo rationis lumine abhorreant, ut inquirenda nobis argumenta non ſint, quibus perdita illorum abſurditas uberiùs demonſtretur. Ut tamen hac etiam in parte ſolitâ methodo procedamus, atque ut optimæ, ſaniorïſque ſententiæ dignitas illuſtriùs adhuc, atque nitidiùs appareat, juverit aliqua complecti, quibus Ariſtippi, Epicuri, Zenonis, & Ariſtotelis opinio veluti falſa oſtendatur, omnium nempe, qui ultimum hominis finem, ſummumque bonum in aliquo creato, ſive finito bono collocatum eſſe putarunt.

II. Atque, ut eodem ordine progrediamur, quo Philoſophorum dogmata ſuperiori loco expoſuimus, quid Ariſtippi ſententiâ impurius, & abſurdius effingi poterit, in quâ hominis fælicitas in ſolâ corporis voluptate, ſenſuumque deliciis collocatur? Aut enim concedi debet incorporeum, & immortalem animum cor-

po-

pori conjunctum in homine non reperiri ; aut animum ipſum , per ſe nihil appetere , vel ad nullum finem dirigi ; aut certè nobiliorem hanc , divinamque hominis partem ad vilioris infimæque partis voluptatem turpiſſimè declinare *. Deinde verò quis aſſerat hominis fælicitatem communem eſſe cum brutis ? cùm ſanè voluptas illa , quæ in humano corpore percipitur , eadem prorſus , atque nobilior etiam a brutis comparetur, in quibus certè plurimi ſenſus , & organa humanis delicatiora , adeoque voluptati jucundiùs percipiendæ aptiora deprehenduntur , nec inſatiabilis illa aviditas reperitur , verecundia , pœnitentia , amittendæ voluptatis timor , futurique mali providentia , quæ ſingulas hominum voluptates amaritudine adſpergunt , ac inficiunt . Quid verò quod voluptates ipſæ turpiſſimæ ſunt , innatuſque pudor in iis cogitandis exoritur ? quod non ſinè dedecore , incommodo , legis injuriâ , vitæ periculo , corporis languore , mentis caligine deguſtantur ? quod amaros deinde fructus , animiq; dolorem excitant ** , quod non ſemper adſunt , cùmque fluxæ , caducæque ſint , celerrimè languere , vel interire ſolent ; tantùmq; abeſt , ut illæ irrequietam animi cupiditatem , omnemque voluntatis amorem impleant , ut faſtidium potiùs in illâ producant ; quod

* Epicurus in conſtitutione finis nil generoſum ſapit , atque magnificum . *Cic. Fin. II. c. 7.*

** Habet hoc voluptas omnis
Stimulis agit fruentes ,
Apiumque par volantum ,
Ubi grata mella fudit ,
Fugit , & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu .

Boet. Conſolat. III. metr. 7.

quod denique voluptates iſtæ dùm etiam ardentiùs inquiruntur, atque jucundiùs conſervantur vel invitos etiam repente nos deſerunt, ac effæto jam corpore dilabuntur (a)? Hæc ut opinor, aliaque id genus innumera, quæ poſſent afferri, manifeſtiſſimè evincunt Ariſtippi, Mahometis, & Epicuri quoque ſententiam, ſi corporis voluptas ab illo defendebatur, veluti perditam, atque impudentiſſimam habendam eſſe, lacrymiſque potiùs, quàm argumentis ex hominum cordibus veluti peſtem extirpandam *. Quod ſi non corporis, ſed animi potiùs voluptatem veluti ſummum bonum habuit Epicurus, non plurimùm certè ab Apollodori, Democriti, aliorumque ſententiâ diſceſſit; ideoque, ſicuti illorum opinio mox rejicietur, ita quoque Epicurus ipſe reprehendi meritò poterit.

III. Eadem ferè, quæ de corporis bono, vel fælicitate jam diximus, de illorum ſententiâ cenſeri poterunt, qui beatitatem in aliquo fortunæ bono, divitiis nimirum, honoribus, gloriâ poſitam eſſe dixerunt. Illa nimirum extrinſeca ſunt, nihilque in animo ponunt, quo melior ille, atque perfectior fiat; cùmque corporea ſint, vel certè corporeis ex rebus, vel ſenſibilibus oriantur, ideoq; incerta, caduca, ſuâq; naturâ facilè mutabilia, incorruptibilem, ac immortalem animi cupiditatem complere**, ſive ſatia-

(a) *vid. Boet. Conſol. III. proſa 7.*

* Architas Tarentinus nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem, homini dicebat a natura datam; cùmque homini ſive natura, ſive quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic divino muneri, ac dono nihil eſſe inimicum, quàm voluptatem. *Cic. in Caton.*

** Quod verò maximum, ac pulcherrimum eſt, id fortunæ committere, valde pravum eſt. *Ariſt. Eth.Nic.I.c.9.*

ſatiare non poterunt: quemadmodum ſanè, cùm neque ab omnibus comparari poſſint neque ab omnibus conſervari, veluti ſincera, & communis humanæ naturæ fælicitas haberi non poſſunt; quæ ejuſmodi eſſe debet, ut ab omnibus hominibus acquiri, nec ſemel adepta ab invitis unquam ammitti poſſit.

Deinde verò, quod ad divitias attinet, quis apertè non videat illas non ſinè maximâ ſolicitudine, & labore congeri, ac, ubi congeſtæ fuerint, maximo ſemper timore, & anxietate ſervari, ne quâ temporum viciſſitudine, hominum fraude, incendio, naufragio, tandemque morte ipsâ nobis invitis, atque mærentibus auferantur? quodque præcipuum eſt, tantum abeſt, ut adeptæ omne hominis deſiderium impleant, vel extinguant, ut acriùs potiùs illud excitent, vehementiùs accendant, atque inſatiabilem ſitim producant, juxta celebre effatum illud

Creſcit amor nummi quantùm ipſa pecunia creſcit *.

Quod ſi a pleriſque vehementiſſimè optari illæ ſolent, ceteriſque bonis omnibus anteferri, ſi denique

Et genus, & formam regina pecunia donet,

id ſolùm ex iniquâ hominum opinione dependet, qui corporeis, ac ſenſibilibus externarum rerum illecebris illecti, ac deliniti, non ſinceram, ſed fucatam hominis fælicitatem inquirunt. Ceterùm quàm multi memorantur, qui non modò divitias, & opes contempſerint, multòque jucundiùs deinde vitam peregerint, quàm ubi divitiis affluerent! Anarchaſis certè, & He-

* Divitiarum nullus eſt finis conſtitutus hominibus. *Solon ap. Ariſt. Polit. l. c. 5.*

Heraclitus regnum contempſit, ut rerum cognitioni liberiùs incumberet; Crates etiam Thebanus, Democritus, Anaxagoras *agros, & patrimonium ſuum reliquit, ut diſcendi, quærendiq; divinæ delectationi toto ſe animo dederet* (*a*); atq; ut innumeros alios omittam, Diogenes ille Cynicus incredibilem rerum venalium copiam conſpiciens jucundiſſimè exclamare ſolebat *quàm multis non egeo!*

Quid verò de honoribus, poteſtate, ac imperio putabimus, niſi quod illa divitiarum inſtar, cum labore poſſidentur, cum invidiâ conſervantur, eoſq; ipſos, quos exornant, onerant, & premunt [*b*]? Si enim imperium honeſtè, atque ad ſanctiſſimas æquitatis leges gerendum eſt, quàm variis curis, & ægritudinibus publico bono, ſive fælicitati conſulere debet Princeps, privatæque anteponere, &

Non ſibi, ſed toti natum ſe credere mundo.

Sin verò injuſtæ tyrannidis inſtar, imperio abutatur, quàm variis ſuſpicionibus, anguſtiis, timoribus illius cor torqueri, diſtrahi, cruciarique debet dum ſibi ab hoſtibus infenſis, ab amicis etiam continuò timeat; nec ullum proinde vitæ momentum ſit, in quo liberè, quietè poteſtate fruatur, ideoque fælix haberi poſſit. Id innumera quidem, omnibuſq; notiſſima Tarquinii, Cæſaris, Annibalis, aliorumque plurium exempla manifeſtiſſimè oſtendunt, nullibi tamen clariùs effulget quàm in Dionyſii vitâ, quam proinde Cicero elegantiſſimè exponit, ut oſtenderet ejuſmodi viros omnium miſerrimos, ac infæliciſſimos eſſe (*c*).

Hæc

(*a*) *Cic. Tuſc. V. c.* 39. *vid. Laert. II.* (*b*) *Sen. ad Polyb.* (*c*) *Cic. Tuſc. V. c.* 23.

Hæc omnia itaque fortunæ bona *caduca nimirum fragilia, puerilibuſque conſentanea crepundiis ſunt, quæ vires, atque opes humanæ vocantur. Affluunt ſubitò, repente dilabuntur, nullo in loco, nullâ in perſonâ ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt, ſed incertiſſimo flatu fortunæ huc, atque illuc acta quos in ſublime extulerunt, improviſo curſu deſtitutos profundo cladium miſerabiliter immergunt* (a). Niſi potiùs illa non verè bona, ſed potiùs indifferentia putaveris; ſiquidem

Perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet:
Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non utitur rectè, mala (b).

IV. Quid verò de nobili, graviſſimâque Stoicorum ſententiâ putemus, quam antiquis temporibus adeo mirificè floruiſſe jam diximus, cùm illi poſthabitâ corporis voluptate in ſolâ ſapientiâ, ſive virtute perfectam hominis fælicitatem collocarent? Non aliud certè, niſi quod a Cicerone dictum accepimus, fieri nimirum non poſſe, ut ab homine ejuſmodi ſapientia, ſeu virtus acquiratur, quæ nullis ægritudinibus, nullo dolore, nullo corporis incommodo perturbetur; ideoque vanam hanc eſſe ſapientiæ ſpeciem, nec ullâ ratione veluti ſummum hominis bonum, ultimumque finem haberi poſſe, cùm ab hominibus comparari, vel ſperari quoque non poſſit. Hinc Dionyſius Heracleotes, *cùm a Zenone fortis eſſe didiciſſet, a dolore deductus eſt; cùmque ex renibus*, aut oculi lippitudine, ut Laertius refert*, *laboraret, ipſo in ejulatu cla-*

(a) *Valer. Max. VI. c. 9.* (b) *Terent. Heaut. Act. I. ſc. 2. v.*

* Cum in oculorum dolorem incidiſſet, eo cruciatus acriter dolorem dicere noluit indifferentem. *Laert. VII. ſ. 166. & Cic. V. Fin. c. 31.*

mitabat falſa eſſe illa, quæ antea de dolore ſenſiſſet (a), atque deinde voluptatem eſſe ſummum hominis bonum aſſeruit. *In errorem* itaque *abſurdiſſimum lapſi ſunt* Stoici, *ut cùm aſſeverent etiam in Phalaridis tauro beatum eſſe ſapientem, cogantur fateri vitam beatam aliquando eſſe fugiendam. Exaggeratis enim malis corporis cedunt, atque in rerum moleſtiis graviſſimis abſcedendum ex hac vitâ eſſe decernunt (b). Nam ſi bonum liberi, miſera orbitas; bonum patria, miſerum exilium; bonum valetudo, miſerum morbus; bonum integritas corporis, miſera debilitas; bonum incolumis acies, miſera cæcitas. Quæ ſi poteſt ſapiens ſingula conſolando levare, univerſa quomodo ſuſtinebit? Sit enim idem cæcus, debilis, morbo graviſſimo affectus, exul, orbus, egens, torqueatur equuleo, quem hunc appellas Zeno? beatum, inquit, etiam beatiſſimum.. ſed, ſi ad populum me vocas, eum, qui ita ſit affectus, beatum nunquam probabis; ſi ad prudentes, alterum fortaſſe dubitabunt ſitne tantum in virtute, ut eâ præditi vel in Phalaridis tauro beati ſint; alterum non dubitabunt quin & Stoici convenientia ſibi dicant, & vos repugnantia (c), nam illud vehementer repugnat eundem & beatum eſſe, & multis malis oppreſſum (d).* Meliùs itaque Plato beatitudinem ferè ex Stoicorum ſententiâ definiens aſſeruit, *virtutem ſufficere quidem ad bene, beatèq; vivendum, ceterùm inſtrumentis indigere, corporis bonis, robore, ſanitate, integritate ſenſuum, & ceteris id genus. Exterioribus item, puta opibus, generis claritate, gloriâ. Ea etſi non affuerint, nihilominus tamen beatum eſſe ſapientem (e).*

V. Nobilior eſt itaque, & accuratior Ariſto-

(a) *Cic. Tuſc. II. c. 25* (b) *Auguſt. Ep. 154. al 52. init.* (c) *Cic. Fin. V. c. 28.* (d) *ibi c. 26.* (e) *Laert. III. ſ. 78.*

ſtotelis opinio, qui ad fælicitatem hominis non modò cum Stoicis virtutem ipſam, animique ſplendorem requirit, ſed ceteras etiam corporis, & fortunæ dotes, aut commoda, quibus integrè, perfectèque hominis natura ſatietur, ut poſſit homo beatus vivere *ex hominis naturâ undique perfectâ, & nihil requirente*. Ubi obſervari facilè poterit Ariſtotelem ſuperiores Herilli, Stoicorum, aliorumque ſententias ita complecti, ut cùm illi putaverint in ſolâ rerum cognitione, vel animi virtute, vel tranquillitate beatitatem conſiſtere, ipſe ad beatitatem hæc omnia requiri docuerit; ut ille fælix haberetur, qui nihil horum requireret, & cui nihil deeſſet, quod ad naturam hominis undique perfectam optari poſſe videretur.

VI. Illud tamen in hac ipsâ Ariſtotelis opinione reprehendi plurimùm debet, non modò quod ejuſmodi fælicitatem in hac ipsâ mortali vitâ acquiri poſſe putavit, ut in ſequenti Capite oſtendetur: verùm etiam, quod ipſam non in ſolo Deo, vel infiniti boni, ultimique finis poſſeſſione collocaverit. Quemadmodum enim mox oſtendetur, atque Ariſtoteles ipſe fatetur, perfecta fælicitas in *vitâ undique perfectâ* conſiſtit, *& nihil requirente*, quis verò hominis vitam, ac immortalem animum nihil aliud expetere, vel requirere exiſtimet, quàm ut beatitatem illam, & commoda, quæ in hac ſolùm labili, brevique, ac miſerrimâ vitæ conditione conſequatur? aut quis ullâ ratione fieri poſſe arbitretur, ut animus ille, qui ſe cæleſtis, divinæque originis eſſe cognoſcit, qui ſe Deo ſimillimum intelligit, qui ſe rebus omnibus corruptibilibus, atque creatis longè puriorem, nobilioremque ſentit, creatis ejuſmodi rebus, illa-

rumque amore, & uſu anguſtis veluti limitibus ſe circumſcribat? Ad nobiliora certè, ac magnificentiora nati ſumus, quàm ut ingenitam animis noſtris cupiditatem in hac vitâ perfici vel extingui poſſe putemus, quàm ut ipſa natura creatis, finitiſque rebus contenta *nihil undique requirat*, quàm denique ut vera fælicitas in iis omnibus, quæ ab Ariſtotele mirificè commendantur, poſita exiſtimetur.

VII. Quæ cùm ita ſint, eximium, ac divinum ferè Platonis ingenium ſatis mirari, vel commendare non poſſumus, qui, cùm ultimum hominis finem, ſummumque bonum inquireret, illud non in aliquo objecto, vel re collocavit, quæ in hac variabili, mortalique vitâ comparari poſſet; cùmque intelligeret nos a Deo veluti fonte, ſive principio profectos ad Deum ipſum veluti finem naturâ ipsâ dirigi, animoſque corpori ſuperſtites in illo puriori, nobiliorique ſtatu, quo a corporeis hiſce vinculis, veluti carcere ſolverentur, beatitatem eſſe habituros, Deum ipſum veluti ſummum bonum, finem ultimum, perfectamque hominis fælicitatem eſſe putavit. Atque hanc quidem Platonis ſententiam veram, ac ſinceram eſſe, atque ab omnibus admitti oportere non modò clariſſimis autoritatibus, ſed manifeſtiſſimis etiam rationibus erudimur.

1. Si enim finis ultimus hominis ille eſſe debet, ad quem ultimò a naturâ ipsâ, vel a Deo dirigatur; ille nimirum, cujus amore Deus hominem condidit; ejuſmodi certè finis aliud eſſe non poterit, quàm Deus ipſe *, qui non al-

* Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Prov. c. 16. v. 4.

alterius objecti amore vel gratia, ſed propter ſe ipſum ſolùm operari poteſt, ne ad aliquid vilius, & ignobilius ſe operando dirigatur, ergo Deus ipſe ultimus finis hominis haberi debet.

2. Deinde finis eſt ille, qui inquiri, appeti, vel amari poteſt, ideoque finis ultimus eſt ille, qui ultimò amari poteſt, omnemque amoris vim extinguere, ſive complere, unde etiam ſummum bonum vocatur; ſed Deus ſolùm infinita bonitas eſt, infinita bona complectitur, vel ut Auguſtinus ait, *bonorum ſumma nobis Deus eſt, Deus eſt nobis ſummum bonum* (a), ideoque *replet in bonis deſiderium noſtrum* (b), vel inſatiabilem humanæ voluntatis ardorem perfectè extinguit, ergo ille ſolùm finis ultimus erit, ſummumque bonum.

3. Et certè quid aliud irrequieta, & inſatiabilis illa cordis humani cupiditas, quâ ex unius objecti creati amore in objectum aliud repentè tranſilit, quid, inquam, aliud oſtendit, niſi quod in rebus ſingulis finita quædam, tenuis, ac limitata bonitas, vel amabilitas reperitur, quæ incredibili, vel infinito ferè cordis deſiderio ſatis complendo par eſſe non poteſt *; ideoque voluntas ipſa ad bonum infinitum tacitâ quadam, ſed forti, ac vehementi vi trahitur, ac impellitur, ut optimè proindè dixerit Auguſtinus *feciſti nos ad te, Domine, inquietum eſt cor noſtrum donec perveniat ad te* (c).

4. Nec aliud ſanè finis ultimus hominis eſſe poterat quàm primâ cauſſa, primumq; principium,

 a quo

(a) *de morib. Eccl. c.* 8. (b) *Pſal.* 102. *v.* 5. (c) *Conf. lib.* I. *c.* 1.

* Omnia, quæ ſumenda, quæque legenda, aut optanda ſunt, ineſſe debent in ſumma bonorum, ut is, qui eam adeptus ſit, nihil præterea deſideret. *Cic. Fin. IV. c.* 17.

a quo ipſe veluti fonte profluxit. Si enim res tantò nobilior, & perfectior eſt quantò nobiliùs atque perfectiùs participet eſſe cauſſæ, a quâ producitur, tantò perfectior erit homo, quantò magis participat eſſe Dei, quantò nimirum perfectiùs ipſi conjungitur, atque illo fruitur; ideoque fælicitas hominis, ejuſque beatitudo, ſive perfectio, nihil aliud erit, ut optimè Mirandulanus definit, niſi *reditus creaturæ intellectualis ad ſuum principium*, nec in alio conſiſtet, niſi in unione, quâ Deo arctiſſimè adhæret, qui proinde in Scripturis *alpha*, *& omega*, *principium*, *& finis* (a) appellatur. *

5. Quod ſi de creaturis omnibus hoc intelligi, ac verificari poteſt, meliori certè jure de homine intelligitur, in quo nobilior pars eſt incorporea, vel ſpiritualis; ideoq; perfectè fælix eſſe non poteſt, niſi præter eſſe, quod invariabiliter perſeverat (quæ ſola corporum perfectio, ſive fælicitas eſſe poteſt) intellectus etiam certiſſimâ, atque clariſſimâ veri cognitione illuſtretur, atque voluntas puriſſimo boni amore perficiatur; quod fieri certè non poterit, niſi *ipſe quæratur ubi ſecura ſunt omnia, ipſe cernatur ubi certa ſunt omnia, ipſe diligatur ubi recta ſunt omnia* (b).

6. Addi poſtremò poterit, quod homines innato quodam pondere, ac impetu in illa diriguntur, quæ ſibi ſimilia ſint, *ſinguli* enim, ut præclarè inquit Plato, *in id, quod ſibi ſimillimum eſt, naturâ feruntur* (c); ideoque perfecta fælicitas

---

(a) *Apocal.* c. 1. v. 8. (b) *Aug. de Civ.* VIII. c. 4. [c] *de Rep.* VI.

* Mens ſe vitiis exutam cognoſcet, conjunctamque cum divina mente ſe ſentiet, ex quo inſatiabili gaudio completur. *Cic. Tuſc.* V. c. 25.

citas hominis, ultimuſque finis conſiſtere debet in illo, quod homini ſimillimum ſit; ſed ejuſmodi objectum non aliud effingi poterit, quàm ſolus Deus, ad cujus imaginem, & ſimilitudinem factus eſt homo, quem eleganter exprimit homo intellectu, & voluntate, ergo in Deo ſolùm ſuprema hominum fælicitas, ſummumque bonum collocari debet, ut proinde optimè dixerit Plato *finem eſſe Deo ſimilem fieri* (a).

VIII. Hæc, aliaq; id genus plurima, quæ poſſent afferri, ſatis, ut opinor, ac evidentiſſimè oſtendunt ultimum finem, ſummumque bonum, ac fælicitatem hominis in ullâ creatâ re, ſive corporea, ſive ſpiritualis etiam, vel incorruptibilis illa ſit, collocari non poſſe, ſed in ſolo Deo, ad quem naturâ ipsâ dirigimur. Id unum itaque nunc explicandum ſupereſt quomodo hoc ultimo fine, vel ſummo bono, Deo nimirum, homo beatus, ac fælix eſſe poſſit, aut quomodo Divinam hanc fælicitatem acquirere, vel comparare ille poſſit, quod ſequenti Capite demonſtrabitur.

(a) *Laert. III. ſ. 78.*

CAP. IV.

Qua ratione, loco, vel tempore homo beatitudinem ſuperiùs expoſitam conſequatur.

I. SI fælicitas illa, finis ultimus, ſummumque bonum, cujus amore incredibili prorſus incendimur, ſive in corporis, aut animi voluptate, ſive in rerum contemplatione, ſive in ſapientiâ aut virtute, ſive denique in vitâ undique perfectâ conſiſteret, ut Ariſtippo, Epicuro, Herillo, Stoicis, & Ariſtoteli videbatur, exiſtimari facilè poſſet hanc ipſam hominis fælicitatem, finemque ultimum in mortalis etiam, vel corruptibilis vitæ ſtatu ab hominibus acquiri poſſe, ut illi proinde viventes adhuc beati, ſive fælices haberi meritò poſſent. Cùm verò ſincera fælicitas in ſolo Deo, veluti ſummo bono, vel ultimo fine conſtituta fuerit, ut ſuperiori Capite demonſtravimus, meritò inquiri poterit quomodo fælicitas illa a nobis comparetur, quibuſque viribus Deum aſſequamur, utrum nempe in hoc ipſo vitæ ſtatu fælices eſſe poſſimus, an tota potiùs fælicitas alteri, meliorique vitæ reſervetur? quod breviter, meliorique ordine præſenti Capite complectemur, illud iterum obſervantes nos de illâ ſolùm beatitudine, ſive fælicitate diſſerere, quæ ſolis naturæ viribus comparatur, ideoque *naturalis* vocatur, de *ſupernaturali*, quæ nimirum fidei lumine divinæ

vinæque gratiæ viribus acquiritur, inferiùs loquuturos; quemadmodum etiam humanos animos immortales, ideoque corpori ſuperſtites eſſe ſupponimus.

II. His ita ſuppoſitis, vel conſtitutis inquiritur utrum viventes homines fælices, ſive beati eſſe poſſint? Quâ quidem in re Ariſtoteles non ſinè maximo certè dedecore exiſtimavit homines in hac vitâ beatos, ac fælices eſſe, illâ nimirum beatitudine, quæ homines deceat, quæque illorum naturæ, vel conditioni conveniat, donari; cùmque in Ethicorum libris decem, quos antea numeravimus, de ultimo fine, ſummo bono, beatâ vitâ uberrimè, & ad ravim uſque diſſereret, non aliam certè beatitatem aſſeruit, quam quæ ab animo, dum corruptibili corpori conjungitur, acquiratur; eam verò *fælicitatem, quæ eſt poſt hanc vitam, nec aſſeruit, nec negavit* (a); quemadmodum alibi de morte diſſerens ait quod *illa maximè omnium rerum eſt horribilis, quippe cum terminus ſit, nihilque ampliùs homini mortuo neque bonum, neque malum eſſe videatur* (b) Quin etiam cum Ethic. I. c. 10. quæreret *vivi ne an mortui, ut Solon voluit, beati ſint dicendi?* non modò Solonem reprehendit, quod ille fælicitatem in hac ipſa mortalis vitæ conditione acquiri non poſſe putaverit, ſoloſque mortuos fælices eſſe, verùm etiam illius opinionem temere, ac iniquè explicavit, ac ſi nimirum Solon dixiſſet extremum mortalis vitæ diem expectandum eſſe, non quo beatitatem quis primùm aſſequeretur, ſed, quo velut arbitro cognoſceretur utrum ipſe in peractæ vitæ beatitate conſiſteret, ac fælix e vivis excederet, an verò

(a) *Div. Thom. IV. diſtin. 49. quæſt. 1.* (b) *Eth. Nic. III. c. 6.*

verò potiùs ex adeptâ jam beatitudine ante mortem excideret: cùm tamen ſapientiſſimus ille Philoſophus tunc ſolùm veram, ſinceramque beatitudinem acquiri poſſe crediderit *. Illud itaque Ariſtoteli vitio verti poterit, quod fælicitatem in hac ipsà vitâ comparari poſſe putavit; *res futuras nobis eſſe incertas*, *viderique* tamen *res noſtras ad mortuos nonnihil pertinere*, *ſed ita*, *&* *tantum*, *ut neque beatos non beatos efficiant*, *neque quidquam aliud tale* (*a*); ſuperſtites nimirum animos variâ filiorum, amicorumque fortunâ tangi, etſi neque proſperâ illorum fortunâ ex infælicibus fælices, neque adversâ ex fælicibus infælices fieri ſubinde poſſint, ſed invariabili ſemper, perennique ſtatu fruantur: illis propemodum ſimiles, qui in Theatro jucundum, aut injucundum rerum exitum contemplantur. Quin etiam ex hac ipsâ Ariſtotelis doctrinâ de animorum immortalitate contra Ariſtotelem ipſum clariſſimè demonſtratur, beatam vitam, vel finem ultimum in hac vitâ comparari non poſſe. Si enim animi corpori ſuperſtites eſſe debent, futuruſque eſt alter immortalis vitæ ſtatus, in quo ſinguli pro anteactæ vitæ ratione præmia, vel pœnas conſequantur, quis apertè non videat finem, qui in hac vitâ perfectè, vel beatè peragendâ a nobis inquiritur, ad alterius vitæ beatitatem veluti ad finem ultimum, ac ſummum bonum dirigi, adeoque *vivere ſecundùm naturam* ultimum hominis finem haberi non poſſe, cùm de ratione finis ultimi ſit, ut ad finem alium

(*a*) *I. Eth. Nic. c.* 11

* Ut tum denique judicetur beatuſne fuerit cum extremum vitæ diem morte confecerit, quod ille unus ex VII. Sapientibus non ſapienter Cræſum monuit. *Cic. Fin. III. c.* 22. *vid. Herod. I. c.* 32.

alium minimè dirigatur? Deinde ſumma fælicitas, ac perfecta beatitudo ejuſmodi eſſe debet, ut Ariſtoteles ipſe concedit, ut undique perfecta ſit, nihilque requirat: quis verò in hac vita, quæ innumeris ægritudinibus undique premitur, nihil requiri dixerit? aut, etiamſi fortaſſe omnia commoda vel perfectiones adeſſe poſſint; quis apertè non videat perenni ſaltèm ſolicitudine ac timore quodam cor perturbari ne ipſa aliquando ſint defutura; ut, ſi exempli gr. incolumis ſit, a morbo repente corripi vereatur; ſi divitiis, honoribus, ingenio excellat, ab invidis, rapacibus, nefariis hominibus ſibi non metuat; ſi denique voluptatibus, commodis, virtutibus omnibus fruatur, quæ comparari, vel optari fortaſſe poſſint, aſſiduè non ſuſpicetur, ne fælix illa fauſtitas irreparabili mortis injuriâ extinguatur*?

III. Atque iſta quidem in Ariſtotelis præſertim hypotheſi dicta ſint, qui fælicitatem in vitâ undique perfectâ conſtituit. Quid verò ſi illa in Deo ſolùm, ut fieri oportere jam diximus, collocetur? Non aliud certè, niſi quod perfecta, ſive completa fælicitas, Dei nimirum poſſeſſio, in hac vitâ haberi non poteſt, ſed aliqua tamen imperfecta ipſius poſſeſſio, adeoque fælicitas comparatur.

1. Et primò quod perfecta hominis fælicitas, vel Dei poſſeſſio in hac miſerrimâ vitæ conditione acquiri non poſſit clariſſimè demonſtratur ex iis, quæ ſuperiori Capite oſtendimus. Si enim perfecta fælicitas hominis conſiſtit in perfectiſſimâ contemplatione, vel cognitione, & amo-

* . . . . dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.
Ovid. Metam. III. v. 136.

& amore, quo nos ipſi Deo veluti ſummo vero, ſummoque bono conjungimur, quis apertè non videat levem prorſus, & imperfectam eſſe cognitionem, & amorem illum, quo Deum viventes adhuc complectimur? cognitionem quidem quòd mens ipſa corpori conjuncta, ſenſibuſque veluti vinculis illigata Divini vultûs imaginem nitidè contemplari non poſſit, ſed ex coporeis imaginibus veluti *per ſpeculum, & in ænigmate* Divini artificis imaginem ſibi impreſſam excitet; amorem verò partim quòd amor ipſe cognitioni reſpondeat, ideoque ex imperfectâ cognitione nonniſi levis, & imperfectus amor oriri poſſit; partim etiam quòd voluntas, & affectus ſenſuum illecebris, & eorum concupiſcentiâ abſtractus, & illectus, ad objecta corporea abripitur, ideoque a ſummi boni amore deflectit.

2. Deindè verò perfecta fælicitas invariabilis eſſe debet; atque, ut homo verè beatus ſit debet ipſi Deo arctiſſimè, ac inſeparabiliter adhærere; ſed, ut antea dicebamus, ſive intellectum, ſive voluntatem etiam conſideres, in quâ libertas reperitur, flexibilis nempe vis, quâm ſive ad Deum, ſive ad objecta creata dirigatur, nunquam, quandiu vivit, invariabiliter Deo ſolùm adhæret, ergo perfectè fælix, ſive beatus eſſe non poteſt.

3. Et ſanè quot experimur, nec ſinè maximo certè dolore conſpicimus, qui cùm divinarum rerum contemplatione, atque ſincero honeſtatis amore, virtutumque ſtudio ad Deum veluti ultimum finem dirigerentur, ipſique adhærerent, ſubdolâ deinde, ac inani voluptatis ſpecie, vel impetu abrepti, ex dulciſſimo hoc fælicis vitæ ſinu avulſi exciderunt? quoties nos ipſi nos experimur ab unius objecti amore in objectum aliud repente convolaſſe; ea improbaſſe, quæ pri-

dem

dem arctiſſimè complectebamur; illa odiſſe, quæ priùs ardenter amabamus? Itaque ſuſpicari ſemper, ac vereri facilè poſſumus, ne ſubinde a Dei, vel ultimi finis amore deflectamus; ideoque hæc ipſa perennis anxietas, ſollicitudo, vel timor amittendæ fælicitatis nos in hac mortali vitâ perfectè beatos eſſe non patitur.

4. Quin etiam tanta eſt in pleriſque, ac omnibus ferè anxietas illa, vel timor amittendæ fælicitatis, ut animus ipſe innumeris anguſtiis, & ægritudinibus undique preſſus exire de corpore trepidet, ac invitus ab illo, nec ſinè maximo plerumque dolore, ſejungatur. Quamvis enim intelligat ſe in corpore perfectè fælicem eſſe non poſſe, atque incredibili fælicitatis comparandæ deſiderio inflammetur, anteactæ tamen vitæ ſuſpicio, ideoque amittendæ illius fælicitatis timor ipſum ab exitu remoratur. Quod ſi peractæ vitæ innocentia, ſive Divinæ clementiæ bonitas illum futuræ beatitatis certiſſimum redderet, nihil dubito quin mortem alacri, ſerenoque vultu lætus aſpiceret, ultro expeteret, & cum Apoſtolo exclamaret, *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*.

5. Denique perfecta fælicitas, ſive Dei poſſeſſio, hominum *merces* (a), *bravium* (b), *corona juſtitiæ* (c), virtutis præmium, anteactæ vitæ terminus, laboriſque requies eſſe debet, ergo haberi non poterit, vel a ſupremo Judice conferri niſi peracto jam mortalis vitæ curſu, ſive poſt mortem.

IV. Itaque perfecta fælicitas hominis, ſive perfecta Dei, vel ultimi finis, ſummique boni

(a) *Gen. c. 15. v. 1.* (b) *ad Philp. c. 3. v. 14. & I. Cor. c. v. 24.* (c) *II. ad Tim. c. 4. v. 8.*

ni poſſeſſio alteri, meliorique vitæ reſervatur: ubi nimirum animus ab effæto jam corpore veluti carcere ſolutus, cæleſtem originem, ex quâ corpori conjungendus exciderat, repetat, vel humanus *ſpiritus redeat ad Deum*, *qui dedit illum* (a). Tunc enim puriſſimam, ac infinitam Dei lucem nitidiſſimè facie ad faciem contemplabitur; *ſimilis illi erit quia videbit eum ſicuti eſt* (b); quinetiam in Deum ipſum transformabitur, atque ſemotâ caligine immobiliter in perenni Divini ſolis obtutu ſemper alacrior, atque nitidior æternâ rerum omnium, primæ veritatis, quæ veritates omnes complectitur, adeoque ſimul æternâ cognitione, atque humaniſſimâ voluptate perfundetur; quemadmodum voluntas ipſa in ſummi boni, quod omnia, vel infinita bona complectitur, amore perenniter, ac invariabiliter defigetur, illius ardore ſemper uberiùs, atque vehementiùs accenſa novâ ſemper, vividiorique flammâ jucundiſſimè conſumetur; cùmque inſatiabilem amandi vim, quæ ſibi inerat, amandique cupiditatem in hoc infinito bono completam, atque ſatiatam ſenſerit, in illius amore immobilis, conſtantiſſimèque conſiſtet, unde incredibilis, ac infinita ferè voluptas orietur; *inebriabitur* enim *ab ubertate Domus Dei*, ac Deus ipſe *torrente voluptatis ſuæ potabit eam* (c); ut quemadmodum nempe Deus ſeipſum cognoſcens, ſeſeque diligens infinitâ fælicitate perfunditur, itaque quoque humanus animus cognitione, & amore Deo perfectè conjunctus, atque in Deum transformatus, eadem fælicitate fælix, atque beatus haberi poſſit.

V. Quod ſi perfecta, ſive ſincera fælicitas in Dei co-

(a) *Eccl. c. 12. v. 7.* (b) *Joan. ep.* I. *c.* 3. *v.* 2. [c] *Pſal.* 35.

cognitione, & amore conſiſtit, atque ab animo a corpore ſoluto comparatur, manifeſtiſſimè apparet beatitatem nobiliori ſolùm hominis parti vel animo, non corpori reſervari. Nec immeritò quidem: cùm enim operationes omnes ab animo in corpore peragantur, & animus ipſe corpore veluti inſtrumento ſubinde utatur, cujus ægritudine, & pondere ſæpiſſime premitur *, atque ad ſenſibilium amorem transfertur **, nihil eſt certè quod æterna fælicitas, ejuſque pars ulla corpori concedatur, quod illius aquirendæ capax eſſe non poteſt. Cùm tamen corpus altera humani compoſiti pars ſit, ejuſque ope virtutis actus in hac mortali vitâ ab animo peragantur, & infirmitas ipſa, vel ægritudo corporis ad honeſtatis gloriam mirificè conferat dum rebelles ipſius illecebræ virtutis operâ, divinæque gratiæ viribus ſuperantur, optimè a ſupremo Judice fieri potuit, ut animus a corpore ſolutus, perfectèque fœlix poſt aliquod temporis ſpatium iterum redivivo corpori conjungeretur, ut corpus ipſum aliquâ fælicitate, gloriæque dotibus exornaretur, quas ſequenti Capitè complectemur. Hæc admirabilis tamen corporum reſurrectio, atque iterata conjunctio cum ſpiritu, quemadmodum a ſolo divinæ voluntatis arbitrio pendet, ita ſolo fidei lumine nobis oſtenditur, ideoque naturalis hominis perfecta fælicitas, de quâ modò nos loquimur, animo ſolùm conveniret, atque

---

* Spiritus promptus eſt, caro autem infirma. *Matth. c. 26. v. 41*

Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. *Sap. c. 9. v. 15.*

** Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis ineæ, & captivantem me in lege peccati. *ad Rom. c. 7. v. 23.*

que ab illo non hac in mortali vitâ, ſed in futurâ ſolùm, ac immortali vitâ comparari poſſet.

VI. Sed quamvis perfecta fælicitas illa poſt mortem animo reſervetur, aliqua tamen fælicitas in hac etiam vitâ haberi poterit, ſive animus ipſe Deo veluti fini partim cognitione, partim amore, partim nimirum intellectu, partim voluntate conjungi poterit. Cognitione quidem, vel intellectu quatenus Deum ipſum, ejusque attributa cognoſcere, atque præclarè de illo ſentire poſſumus; amore verò, ſeu voluntate quatenus illum, ut optimum, beneficentiſſimumque patrem diligimus, illi ut legislatori ſubiicimur, ejuſque leges amplectimur, ideoque honeſtate morum, & virtutum ſtudio ita vitam noſtram dirigimus, atque componimus, ut ſoluto jam corpore illi perfectè conjungi, perfectamque beatitatem aſſequi mereamur.

VII. Quandoquidem verò naturalis ejuſmodi fælicitatis idea veluti primum Moralis, præcipuumque caput haberi debet, ex quo cætera vel uti ex uberrimo fonte derivent, juverit id expreſſiùs adhuc exponere, ut nitidè, clariſſimèque intelligatur quomodo humanus animus in hac ipsâ vitâ Deo veluti fini cognitione, & amore conjungatur, ideoque fælix, atque beatus haberi poſſit. Conſtanter itaque aſſerimus animum Deo conjungi ſi ex pulcherrimo rerum naturalium ordine Deum ipſum exiſtere cognoſcat; ipſum veluti primam cauſſam, primumque principium, & auctorem omnium veneretur; cuncta ab illo alicujus objecti amore producta eſſe, & ad finem dirigi intelligat; ipſum rebus omnibus veluti ſupremum moderatorem invariabili conſilio providere; nihil ipſo inconſulto, vel invito contingere, ſed effectus omnes ab illo diſ-

poni, certiſque legibus definiri; tantam eſſe illius potentiam, vel agendi vim, ut omnia ex nihilo produxerit, ideoque & in nihilum cuncta redigere poſſit; tantam ſapientiam, ut omnia noverit, atque in uno prorſus inſtanti præterita ſimul ac futura veluti præſentia contempletur; tantam bonitatem, atque perfectionem, ut nihil ipſo amabilius optari, vel excogitari unquam poſſit, perfectioneſque ſingulæ, quæ in variis creatarum rerum generibus tanquam diviſæ, ac diſperſæ reperiuntur, ab illo veluti fonte profluxerint; tantum, tamque accuratum conſilium, ut omnia, quæ nobis ſive jucunda, ſive injucunda contigerint, ab illo ſapientiſſimè non in malum, atque perniciem, ſed in bonum, fælicitatemque dirigantur; tantum amorem, vel in ſingulos benevolentiam, ut ſeipſum, perfectioneſque ſuas in alios effundere, ceteriſque communicare ardentiſſimè cupiat; tantam ſanctitatem, ut ſcelera pati non poſſit; tantam juſtitiam, ut iniquis pœnas, juſtis præmia decreverit; tantamque fidem, aut veritatem, ut neque fallere, nec falli poſſit, ideoque quod ſemel promiſerit, religioſè, conſtantiſſimèque perficiat; tantam benignitatem, ut infirmæ conditioni noſtræ perhumaniter ignoſcat, noſtriſque lacrymis, votis, ac precibus inclinetur; tantam miſericordiam ut ægritudinibus noſtris dulce, tutumque præſidium eſſe voluerit, nos ſcelera deflentes in dulciſſimo veluti paterno clementiæ ſinu amantiſſimè complectatur; tanto denique virtutum omnium ſplendore, vel cumulo præditum eſſe Deum, ut nihil ardentiùs ille deſideret, quàm nos ipſi ſimiles fieri, iiſdemque virtutum muneribus exornari. Ipſum deinde cognoſcet veluti ſummum legislatorem, ac moderatorem non modò ritus ali-

 quos,

quos, veramque religionem inſtituere, vel oſtendere debuiſſe, quâ a nobis coleretur; ſed quaſdam etiam puriſſimas, ſanctiſſimaſque leges rationis noſtræ lumini conſentaneas, noſtræque naturæ viribus exequendas præſcribere, quarum cultu, vel obſervantiâ non modò amorem ipſi, gratumque animum noſtrum oſtenderemus, ſed ipſam quoque fælicitatem, finemque ab ipſo conſtitutum veluti mediis aſſequeremur. Cùmque animus ipſe clariſſimo rationis lumine, vel intellectu hæc omnia ſibi perſuaſerit, atque ejuſmodi cognitione Deo veluti primæ veritati adhæſerit, voluntas ipſa Deo tanquam ſummo bono conjungi debet, ingenuo nimirum, ſinceroque amore, quo Deum velut auctorem, proviſorem, amantiſſimumque patrem veneretur, ac impenſe diligat, illi in omnibus obſequi ſtudeat, ipſum imitari, ipſique ſimilis fieri, vero religionis cultu ipſum colere, legeſque ſingulas ab illo præſcriptas accuratiſſimè ſervare velit; virtutis, ac honeſtatis amore ipſi placere, ideoque a vitiis omnibus abhorrere; ac ſi fortaſſe falsâ rerum imagine, & ſenſuum illecebris aliquando abſtracta ſceleris labem admittat, gravi doloris ſenſu tangi, veniam ab illo ſperare, effuſiſque lacrymis petere; externa corporis, fortunæ, amicorumque bona adhibere quidem, & inquirere, ſi Divinæ tamen legi cohæreant, ſi virtuti faciliùs comparandæ conferant, ſi nos a Deo, ultimoque fine non retrahant; quidquid proſperum, fauſtumque contigerit, ipſi receptum referre, quidquid etiam infauſtum, & injucundum ab illo recipere, a quo omnes corporis, fortunæ viciſſitudines ſapientiſſimè temperantur & admirabili, quamvis occultâ, ratione diriguntur; omnem denique vitæ curſum ita componere, ut invariabili quo-

dam

dam tenore ad Deum ipſum, æternamque gloriam certiſſimè, & conſtantiſſimè dirigatur.

IX. Quod ſi hæc perſuaſio, ſive conſilium altè mortalium mentibus, cordibuſque inſederit, quis apertè non videat tunc admirabili, meliorique modo, qui in hac mortali vitâ ſperari, vel optari fortaſſe poſſit, humanos animos Deo conjungi, ideoque aliquâ beatitudine, ſive fælicitate donari, quâ nulla melior, nulla nobilior inquiri poſſit, aut a Philoſophis ipſis, qui fælicitatem, ultimumque finem incredibili ſtudio ſcrutati ſunt, inventa fuerit; quæ denique potiùs fælicitates omnes, ac bona, quæ ab illis omnibus veluti finis haberi ſolent, in ſe mirificè complectatur? Si enim voluptas inquiri debet, ut Ariſtippo videbatur, quæ major, jucundior, ſtabiliorque voluptas, quàm quæ ex ſincero honeſtatis amore, virtutumque poſſeſſione oriatur, quam nullus irati Numinis timor conturbet, nullus mortis metus imminuat, nulla aviditas, ac inexplebilis bonorum cupiditas, nullum doloris, malorumque tædium inficiat? Si animi tranquillitas, atque ſuavitas cum Epicuro, atque Democrito optetur, quæ vita tranquillior iſta effingi poterit, in quâ nullâ formidine, vel amore, nulliſque caſibus animus perturbatur, ſed omnia vel proſpera, vel injucunda, veluti optimi, amantiſſimique patris munera, ad ſolam hominis fælicitatem occulto quidem, ac inſcrutabili, ſed admirabili tamen conſilio diriguntur? Si virtus, ſapientia, & honeſtas ipſa cum Stoicis inquiratur, quid magis honeſtum, decorum, laudabile haberi poterit, quàm Deum ipſum imitari, non vano, ac ſuperbo, ſed ſincero potiùs virtutum, ſive ſapientiæ ſplendore commendari? Si denique ſecundùm hominis na-

turam, naturâ nimirum undique perfectâ, nihilque requirente vivere cupimus, ut Ariſtoteles exiſtimavit, qui melius id fieri poterit, quàm ſi intellectu, & voluntate, nobilioribus nempe humanæ naturæ viribus, in ſummi veri cognitione, ſummique boni amore verſemur, atque ad finem homini naturâ ipsâ conſtitutum conſtantiſſimè dirigamur? Cùm itaque ſinguli fælicitatis, beatæque vitæ characteres, vel proprietates omnes in hac Dei cognitione, & amore manifeſtiſſimè reperiantur, dici profectò debet in hac ipsâ cognitione, & amore veram hominis fælicitatem conſiſtere; ideoque, cùm perfecta cognitio, & amor in alterâ ſolùm vitâ acquiri poſſit, perfectam quoque fælicitatem in illâ reſervari; cùm tamen aliqua Dei cognitio, & aliquis amor in hac ipsâ vitâ poſſit haberi, aliquam etiam fælicitatem in hoc mortalis vitæ ſtatu ab hominibus comparari.

X. Exinde verò facilè intelligi, deducique poterit, quod naturalis illa beatitudo, cujus amore omnes homines mirificè accenduntur, & cujus inquirendæ, comparandæque ſtudio excitantur, ab omnibus hominibus, ſolis naturæ viribus acquiri poteſt *. Si enim ad fælicitatem nihil aliud requiritur, quàm Deum cognoſcere, atque de illo præclarè ſentire, ipſum diligere, legeſque ab illo traditas ſervare, quis apertè non videat, hæc ab omnibus præſtari poſſe, ideoque ſingulos, ubi voluerint, fælices, ac beatos eſſe poſſe? Si Deum, ejuſque attributa cognoſcere debemus, illius certè imago in rebus

* Eſtque præterea fælicitas quiddam longè commune: diſciplina enim quadam, ac diligentia acquiri ab omnibus poteſt, modò ad virtutem conſequendam læſi, ac manci non fuerint. *Ariſt. Eth. Nic. l. c. 9.*

rebus omnibus obverſatur, ut ipſum non modò cernere, ſed etiam veluti contrectare liceat; ſi Deum ſequi, & amare jubemur, illius infinita bonitas, ac beneficentia nos ad ſui amorem non allicit modò, ac invitat, ſed invitos etiam quodammodo impellit: ut tantum proinde abſit cur mirari poſſimus aliquos Dei cognitione, & amore fælices eſſe, ut mirari potiùs, ac indolere debeamus cur non omnes fælices ſint, tantæque lucis ſplendore, & bonitatis amore non accendantur (a).

CAP. V.

De beatitudine hominis ſupernaturali, ejuſque dotibus.

I. HActenus de ſummo bono, vel hominis fælicitate, ad quam naturâ duce dirigimur, quæque ſolis naturæ viribus partim in hac mortali vitâ, partim, ac uberiùs etiam in immortali comparari poteſt, niſi pro rei dignitate, quantum certè inſtituta brevitas, operiſque noſtri conſilium patiebatur, loquuti ſumus. Quandoquidem tamen primi parentis peccato ita natura ipſa vitiata eſt, totumque humanum genus infectum, ut ſolis naturæ viribus leges omnes ſervare, ſcelera vitare, adeoque finem ſibi conſtitutum aſſequi nequeat, ſed aliquod etiam purius, nobiliuſque munus liberaliter hominibus conceſſum requiratur, quo peccati vulnera ſanentur, & voluntas homi-

(a) *vid. M. Anton. II. 9. 5.*

hominis ad malum pronior a vitio retrahatur, fælicitas ipſa veluti ſupernaturalis, gratiæ nimirum viribus, quæ totam naturæ conditionem ſuperant, acquiſita ſpectari poteſt. In hoc itaque Capite de beatitudine ſupernaturali ita diſſeremus, ut gratiæ neceſſitatem ad fælicitatem ipſam comparandam oſtendamus, deinde verò modum, quo Deo ſupernaturali fælicitate conjungimur, ſimulque reliquas cæleſtis hujus, ac ſupernaturalis beatitatis dotes complectamur. Quod etſi ad Theologos meliori fortaſſe jure ſpectare videatur, optimè tamen hoc etiam loco exponi poterit, non modò quòd in iis etiam adoleſcentes erudiri juverit, quibus præſertim uberrimos Theologiæ fontes adire non liceat; verùm etiam quòd, ut antea dicebamus, accuratè intelligi nequeat naturalis hominum beatitudo, niſi ſupernaturalis etiam exponatur, nec ſolo rationis lumine hac in parte progredi liceat, niſi divinus quoque fidei ſplendor acceſſerit.

II. Illud itaque tanquam certumhaberi, defendique poterit, hominum naturam innato veluti pondere ad fælicitatem dirigi, hanc tamen ſolis naturæ viribus, ſive intellectum, ſive voluntatem ipſam conſideres, a nobis comparari non poſſe. Cùm enim beatitudo in clariſſimâ, ac nitidiſſimâ Dei cognitione, & amore ſincero poſita ſit, quis ejuſmodi cognitionem, & amorem ſolis corruptæ naturæ viribus haberi poſſe putaverit? Et quidem, quod ad cognitionem pertinet, intellectu, rationiſque lumine Deum ipſum nonniſi veluti naturæ auctorem aſſequi poſſumus, atque in ipſo attributa ſolùm, vel perfectiones illas concipere, quarum imagines in creaturis ipſis veluti impreſſas conſpicimus, ut potentiam, unitatem, &c. quis tamen non intelligat in Deo

ve-

veluti infinito, vel incomprehenſibili perfectionum fonte plures alias perfectiones, vel operationes reperiri, quæ tenue, ac finitum rationis lumen excedant, quarum in creatis rebus veſtigium nullum appareat, quæ denique a Deo ſolùm revelari, nobiliorique, ſed obſcuro fidei lumine nobis oſtendi poſſint, ut Trinitatis, Incarnationis myſterium, &c.? Quod ſi hæc ipſa quoque a nitido, ac imperturbato rationis lumine deprehendi fortaſſe poſſent, quis non intelligat id præſtari non poſſe cum innumeris ægritudinibus, ſenſuum erroribus, densâque rerum caligine animus ita circumfunditur, ut in ipſis quoque naturæ effectibus inquirendis turpiſſimè labi conſueverit? Neceſſarium itaque fuit ad perfectam hanc Dei cognitionem fidei lumen, quo Deum ipſum certò contemplaremur. Quod verò de intellectu diximus, meliori jure de voluntate, ac amore intelligitur. Primi nimirum parentis peccato ita voluntas ipſa vitiata fuit, ut cum naturâ ipsâ ad malum, bonumque indifferens eſſe deberet, ſive potiùs ad bonum ipſum propenſior, nunc illam ad malum proniorem eſſe experiamur, ut a ſenſuum illecebris, corporis contagio, ſenſibilium rerum amore, graviſſimis undique difficultatibus ad malum vel invita quoque trahatur; ideoque præter ingenitum virtutis, & honeſtatis amorem certior alia, vel fortior gratiæ vis neceſſaria fuit, quâ ad bonum ipſum juxta Dei voluntatem, ſuaviter quidem, ac liberè, ſed tamen fortiter, inſuperabiliter, ac indeclinabiliter traheretur. Hinc ut optimè ait Auguſtinus (a) *ſubventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter, & inſuperabili-*

 ter

(a) *de corrept. & gr. c. 12.*

ter ageretur; cùmque *omnes homines naturali inſtinctu immortales, & beati eſſe vellent, & eſſe poſſent*, tamen *ſummum bonum præſtari hominibus non poteſt niſi per Jeſum, & hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura noſtra ſanatur* (a).

III. Neque tamen hinc fieri exiſtimes, quod ſi fælicitas etiam naturalis ſinè gratiâ perfectè acquiri non poteſt, illa naturalis & homini debita vocari non poſſit; quemadmodum enim Auguſtinus ipſe declarat, *poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem natura eſt hominum, habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratia eſt fidelium* (b); unde anima naturaliter *eſt gratiæ capax, eo enim ipſo quod facta eſt ad imaginem Dei capax eſt Dei per gratiam, ideoque naturaliter beata eſſe poteſt, cùm naturaliter gratiam ipſam habere poſſit, ſine quâ beata eſſe non poteſt* (c). Ceterùm ſi fælicitatem ejuſmodi, quæ non ſolùm naturæ viribus, ſed etiam fidei, vel gratiæ munere comparatur, naturalem, ſive potiùs ſupernaturalem vocare libeat, perinde eſt; id unum certò, conſtanterque tenendum eſt illam ſinè gratiâ acquiri non poſſe. Quandoquidem verò gratia illa non ex naturæ merito vel conditione, neque ſemper, aut omnibus præſtari debet, nulloque naturæ ſtudio, ſive conatu acquiri poteſt, ſed ex ſolo dumtaxat Dei miſerentis arbitrio aliquando ſolùm, & quibuſdam hominibus liberaliter conceditur, manifeſtiſſimè apparet, quod non omnes homines erunt beati, aut certè beatitatem hanc conſequentur, ſed illi ſolùm, qui invariabili divino decreto ad gloriam ipſam

(a) *Lib. IV. contra Julian. n. 19. al. c. 3.* (b) *de præd. Sanct. n. 10. al. c. 5.* (c) *D. Thom. I. ſecunda quæſt. 113. art. 10.*

ipſam electi, deſtinatique fuerint, quorum mentibus divinum fidei lumen affulſerit, quorum voluntas in bono confirmata fuerit, quorum natura ſauciata, Redemptoris gratiâ ſanata fuerit, ut illi ſimiles, regnique cæleſtis cohæredes fierent; ut inquit Apoſtolus, *quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus; quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit* (a); ceteri verò, quibus hoc gratiæ munus negatum ſit, ut in communi proinde naturæ vitio, vel damnationis maſsâ relicti fuerint, ab hac perenni gloriâ, ſive fælicitate excludentur.

IV. Atque, ut eximium iſtud, ac admirabile perditorum, electorumque diſcrimen illuſtriùs intelligi poſſet, graviſſima, ac celeberrima quæſtio proponenda videretur cur ex hominibus aliqui ſolùm ad gloriam, ceteris rejectis, eligantur; cur aliquibus ſolùm, non omnibus, fidei, vel ejuſmodi gratiæ donum ab amantiſſimo, juſtiſſimoque patre concedatur, ut aliqui proinde ſolùm, non omnes, fælicitatem humanæ naturæ debitam, atque incredibili amore exoptatam conſequantur? Verùm, cùm illa accuratè, & uberrimè pertractata fuerint in Metaphyſicâ ubi de Divinâ præſcientiâ, prædeſtinatione, & decretis, ex Theologorum, atque Philoſophorum etiam ſententiâ diſſeruimus, hanc iterum proponere, ſive dirimere nec juvat, nec decet. Id unum repeti, vel obſervari poterit, quod ibi clariſſimè demonſtravimus, omnes homines debitam ſibi fælicitatem partim naturæ viribus, partim auxilio gratiæ com-

(a) *Roman. c. 8. v. 29. 30.*

comparare poſſe, adeſſe nimirum ſingulis gratiam *ſufficientem*, quâ præcepta ſervare, vel honeſtè vivere poſſint; non omnibus tamen *efficacem* gratiam, quâ actualiter præcepta ſervent, honeſtèque vivant, concedi, ideoque non omnes ad gloriam electos eſſe; quod ineffabili, quidem & arcano, ſed æquiſſimo tamen Dei conſilio factum oſtendimus; quo nec hominum libertas, nec Dei ſanctitas, aut æquitas offendatur. Ceterùm quod ad hunc quidem locum pertinet, ſive omnibus gratia, ſive non omnibus concedatur, ſive omnes beatitatem, ſive non omnes aſſequantur, perinde eſt; intelligi nimirum, & explicari facilè poterit ſupernaturalis illa fælicitas, quam plurimi liberali gratiæ munere conſequantur, vel a quâ ceteri, denegatâ gratiâ, excludantur.

V. Quid verò ſupernaturalis illa fælicitas eſſe poterit, niſi perfectiſſima conjunctio cum Deo, quæ partim ex ſupernaturali ſplendore, quo mens hominum perfundetur, Deumque cognoſcet; partim ex puriſſimo amore, quo voluntas ardebit, Deumque ineffabili dilectione complectetur, oriatur? Quemadmodum enim antea demonſtravimus, gratiæ auxilio naturæ vis ita perficitur, ut homo perfectiùs Deo cognitione, & amore conjungatur; idque fæliciter aſſequatur, quod debilibus naturæ viribus acquiri non poteſt. Si itaque beatitudo, quæ naturæ viribus inquiritur, in ſolâ cognitione, & amore conſiſtit, ſupernaturalis etiam beatitudo in puriori cognitione, & amore collocabitur.

VI. Intellectus itaque, ubi a corpore ſolutus erit, in pulcherrimo divinæ naturæ objecto aciem defiget, atque, ut illam intueri, vividiùſque ontemplari poſſit, clariſſimo quodam, novoque lumine perfundetur, ac illuſtrabitur, quod

proin-

proinde *lumen beatificum*, vel *lumen gloriæ* vocatur; ut quemadmodum nempe ſingulis hominibus naturæ, ſive rationis lumen impreſſum, vel inditum eſt, ut ait Propheta *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine (a)*; & electis, ſive vocatis ad fidem aliud fidei lumen affulſit, *lumen ad revelationem gentium (b)*, quo nimirum gentibus myſterià naturæ lumini impervia revelarentur, ita quoque intellectui primæ veritati, vel fini perfectiſſimè conjungendo lumen aliud accedat, quo divinum lumen, ſive Deum ipſum, facie ad faciem contempletur, ut idem Propheta ait *in lumine tuo videbimus lumen (c)*. Ex quo intelligitur, non modò, quod *qualibet intellectualis creatura indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum (d)* ut contra Beguinas, & Beguardos in Viennenſi Concilio definitur, ideoque etiam inutiliter prorſus inquiritur utrum poſſibilis ſit ſubſtantia ſupernaturalis, cui viſio beatifica debeatur; verùm etiam, quod fidei lumen in patriâ non remanet, ſive cum lumine gloriæ conjungi non poteſt: fidei nempe lumen obſcurum, ac inevidens eſt, *videtque per ſpeculum in ænigmate*, gloriæ verò lumen evidentiſſimum eſt, & Deum facie ad faciem contemplatur.

VII. Quod ſi intellectus ipſe lumine gloriæ illuſtratus Deum contemplando ipſi perfectiſſimè conjungetur, ipſa quoque voluntas Deum amando ipſi arctiſſimè adhærebit; & quemadmodum triplici lumine Deum cognoſcere poſſumus, ut antea dicebamus, ita quoque triplex erit amor ille, quo Deum diligemus; naturalis nempe ab ipsâ na-

(a) *Pſal. 4. v. 7* (b) *Luc. c. 2. v. 32.* (c) *Pſal. 35. v. 10.* (d) *in Clement. lib. V. Tit. 3. de hæret. c. 3.*

naturâ elicitus, aut ſupernaturalis ortus a gratiâ, vel Dei *charitate*, *quæ in cordibus noſtris diffunditur per Spiritum Sanctum*, *qui datus eſt nobis* (*a*), aut beatificus, quo voluntas Deo veluti ſummo bono clariſſimè cognito perenniter conjungetur: hoc inſigni tamen diſcrimine, quod fidei quidem lumen, ſive cognitio ceſſabit, neque cum gloriæ lumine conjungetur; naturæ tamen, vel etiam charitatis amor, quo voluntas hominum accenditur, *nunquam excidet* (*b*), ſed permanebit, ac ſuperaddito patriæ amore vividiùs accendetur. Itaque tunc a Deo *refecti*, *& gratiâ majori perfecti vacabimus in æternum*, *videntes quia ipſe eſt Deus*, *quo pleni erimus quando ipſe erit omnia in omnibus .... ibi vacabimus*, *& videbimus*, *& amabimus*, *& laudabimus*, *cccc quod erit in fine ſinè fine* (*c*).

VII. Quandoquidem verò ad hominis fælicitatem non modò Dei cognitionem, & amorem requiri diximus, ſed voluptatem etiam, aut gaudium, quod ex cognitione, & amore veluti uberrimo fonte oriatur, gravis exinde quæſtio inſtitui ſolet, in quo præſertim intellectûs, an voluntatis actu, cognitione nimirum, vel amore, vel gaudio fælicitatis eſſentia conſiſtat? Plurimi arbitrantur fælicitatem in gaudio, delectatione, vel fruitione conſiſtere, quod non modò variis Scripturæ locis aſſeritur ubi æterna fælicitas *gaudium* (*d*), *torrens voluptatis* [*e*], vocatur, ſed innumeris etiam Patrum authoritatibus confirmatur: unde Auguſtinus ait *Domine ... ipſa eſt beata vita gaudere ad te*, *de te*, *propter te*, *ipſa eſt*, *& non altera ... & qui non de te gaudere vo-*

(*a*) *Rom. c. 5. v. 9.* (*b*) *Corinth. I. c. 13. v. 8.* [*c*] *Auguſt. Civit. lib. XXII. c. 30.* (*d*) *Matth. c. 25. v. 24. Joan. c. 16. v. 22.* (*e*) *Pſal. 35. v. 9.*

volunt, quæ ſola vita beata eſt, non utique vitam beatam volunt (a).

IX. Quamvis tamen ad beatitudinem gaudium, atque jucundiſſima voluptas requiratur, ſi tamen ſubtiliùs, & accuratè loqui velimus, voluptas ipſa, vel gaudium veluti beatitudinis cauſſa, & eſſentia, ſive conſtitutivum haberi non poterit; ſed potiùs velut effectus aliquis ex beatitudine profluens, ſive proprietas ad fælicitatem inſeparabiliter conſequens. Anteqnam enim animus voluptate, vel gaudio perfundatur, concipi debet ipſum ſummo bono, vel ultimo fini conjunctum eſſe, ex cujus poſſeſſione gaudere poſſit. Hinc optimè obſervat D. Thomas, quod *delectatio advenit voluntati ex hoc quod finis eſt præſens, non autem e converſo ex hoc aliquid ſit præſens, quia voluntas delectatur in illo* (b). Cum itaque Patres, ſive divinæ Literæ fælicitatem in voluntate, vel gaudio poſitam eſſe teſtantur beatitudinem ipſam rethoricè potiùs deſcribunt, quàm ſubtiliter, & eſſentialiter definiant; vel exprimunt id, quod clariùs intelligi, ac vividiùs amari poterat, & in quo velut ultimo complemento humani cordis cupiditas quieſcere, ſatiarique debuerat: cùm præſertim Patres, ac Scriptura ipſa demonſtret gaudium, ac voluptatem ex vultu, vel viſione Dei oriri.

X. Paullo nobilior eſt altera opinio, quæ a Scotiſtis defenditur, beatitudinem in actu voluntatis, vel in amore conſiſtere. Cùm enim beatitudo poſita ſit in arctiſſimâ, perfectiſſimâque unione, quâ mens humana ſummo bono conjungitur, quonam actu potiùs, inquiunt illi, unionem hanc peragi poſſe putabimus, quàm amo-

(a) *Conf. lib. X. n. 32. al. 12.* (b) *I. ſecundæ quæſt.* . . *art. 4.*

amore, cujus eſt non modò amantem cum objecto amato conjungere, unde ille *vis unitiva* [*a*], *junctura quadam duo copulans* (*b*) appellatur; ſed etiam amantem in amatum admirabili quadam lege ſubinde transformare, unde anima dicitur eſſe magis ubi amat, quàm ubi animat (*c*)? Deinde verò cùm anima Deo veluti ſummo bono conjungi debeat, atque bonum ipſum voluntatis actu, vel amore acquiratur, fieri profectò debet, ut perfecta fælicitas in amore conſiſtat. Denique fælicitas in illo conſiſtere debet, quod ultimò inquiri, appeti, vel obtineri poteſt, ſed præter intellectûs operationem, quâ Deus cognoſcitur, ſupereſt etiam voluntatis actus, quo diligatur, ergo in hoc ultimo voluntatis actu, vel in amore fælicitas ipſa conſtitui debet.

XI. Plurima tamen huic Scotiſtarum ſententiæ opponi ſolent, atque illud in primis, quod ſumma fælicitas, vel eſſentia beatitudinis in illo actu conſiſtere debet, quo primùm fælicitatis objectum conſequimur, vel quo Deo primùm conjungimur; ejuſmodi verò non eſſe voluntatis actum clariſſimè oſtenditur, non modò, quòd ille viſionem, vel cognitionem ſupponat, intellectum nempe Deo clariſſimâ cognitione conjunctum, verùm etiam quòd voluntatis actus eſt appetere, & velle rem conſequendam, ad illam tendere, & inclinari; non illam poſſidere, vel conſequi. Et certè amor ille, quo in patriâ Deum veluti ſummum bonum complectemur, ejuſdem naturæ, vel eſſentiæ erit ac amor ille, quo in viâ Deum diligimus, ideoque ab ipſo non *ſpecie*, ſed ſolùm perfectiori, nobiliorique

(*a*) *Dionyſ. de Div. nom. c.* 4. (*b*) *Auguſt. de Trinit. VIII. c.* 10. *vid. D. Th.* 1. *ſecunda quæſt.* 28. *ar.* 2. (*c*) *Plato in Conv.*

que gradu diſtinguitur, itaut amor vitæ ſupereſſe debeat in patriâ, vel, ut inquit Apoſtolus, *charitas nunquam excidere* [a]: ſi itaque amor viæ ultimi finis aſſecutio dici, vel haberi non poteſt, nec etiam amor patriæ finem aſſequi, vel poſſidere poterit, ideoque beatitudinem conſtituere. Amor itaque rem amatam cum amante conjungit, non *effectivè*, ſed *affectivè* ſolùm, in quo affectu, vel inclinatione, ſeu pondere perfecta hominis fælicitas eſſe non poteſt. Deinde verò, cùm fælicitatis objectum, vel finis ultimus ſit ſummum bonum, non quatenus ſolùm appetitur, ſed potiùs ut ab hominibus comparatur, in illo hominis actu fælicitas conſtitui debet, quo bonum ipſum acquiritur; cùm itaque voluntatis actu bonum appetamus, non conſequamur, in voluntatis actu fælicitas collocari non poterit: quod eleganter etiam innuere videtur Anſelmus dum ait *perverſus ordo eſt amare ut intelligas, rectiſſimus verò intelligere ut ames* (b). Amor itaque, vel voluntatis actus eſt id, quod ultimò optari, vel obtineri poteſt veluti beatitudinis perfectio, vel complementum; tantum tamen abeſt, ut ille proinde veluti fælicitatis eſſentia putari poſſit, ut aliquid potiùs ad primum fælicitatis actum, ideoque ad eſſentiam beatitudinis, conſequens haberi debeat. Quod ſi fælicitatis eſſentia neque in gaudio, neque in amore conſtitui poteſt, id unum ſupereſt ut in ſolâ cognitione, vel actu intellectûs poſita exiſtimetur. Illo nimirùm ipſi Deo veluti ſummæ veritati primùm conjungimur, illi ſimiles reddimur, illi immobiliter, ac invariabiliter adhæ-

(a) *Corinth. I. c. 13. v. 8.* (b) *Anſelmus lib. II. cur Deus homo.*

adhæremus, illo infinitam Dei bonitatem, ac attributa nitidiſſimè contemplamur; ut inde ardens amor, ineffabilis voluptas, ac jucundiſſima quies, ideoque perfecta fælicitas oriatur.

XII. Et plurimum certè decere, vel oportere videbatur perfectiſſimam hominis fælicitatem in perfectiſſimâ hominis operatione conſiſtere, ultimumque hominis finem, quò actus omnes diriguntur, pulcherrimo mentis actu comparari. Ejuſmodi verò eſſe intellectûs, vel cognitionis actum, non modò clariſſimè apparet, ex eo, quòd *mens ſit eorum, quæ nobis inſunt, præſtantiſſimum* [a], ut in Metaphyſicâ demonſtravimus, verùm etiam, quòd intellectûs cognitione, ſive *ſecundùm hanc viſionem maximè Deo aſſimilamur* (b). Quod ſi rationibus divina authoritas adjungi debeat, quid aliud divinæ Literæ nobis oſtendunt, niſi quod *adimplebimur lætitia cum vultu Dei* [c], *quod ſatiabimur cum apparuerit gloria Domini* (d), *quod cum apparuerit ſimiles ei erimus quia videbimus eum ſicuti eſt* [e], *quod hæc eſt vita æterna ut cognoſcamus Deum verum* (f); unde Auguſtinus exclamat *quid aliud eſt beatè vivere, niſi æternum aliquod cognoſcendo habere* [g]? *omnium* quippe *rerum præſtantiſſimum eſt quod æternum eſt, & propterea id habere non poſſumus niſi eâ re, quâ præſtantiores ſumus, ideſt mente*; quemadmodum alibi dixerat, quod *hoc eſt plena beatitudo, & tota glorificatio hominis videre faciem Dei ſui* (h), *& tota merces noſtra viſio eſt* [i], totaque *hæreditas intelligendo, & videndo Deum poſſidere* (k).

XIII.

(a) *Ariſt. Eth. X. c.* 7. (b) D. Th. III. *contra Gent. c.* 51. (c) *Pſal.* 16. *v.* 10. (d) *Pſal.* 16. *v.* 15. (e) *Joan. Ep.* 1. *c.* 3. *v.* 2. (f) *Joan. c.* 17. *v.* 3. (g) *lib.* 83. *quæſt. qu.* 35. (h) *Solil. c.* 36. (i) *in Pſ.* 90. (k) *in Pſal.* 5.

XIII. Sed explicatâ jam primâ fælicitatis cauſsâ, & origine, ſive in quo poſita ſit beatitudinis eſſentia, plurima nunc veluti coronidis loco exponenda nobis occurrunt, & quæſtiones aliquæ dirimendæ, quæ circa beatitudinem fieri poſſunt.

Illud itaque in primis inquiri poteſt, utrum animus a corpore ſolutus ſtatim, ac repente fælicitatem hanc conſequatur? Qua quidem in re Pythagoras, aliique plurimi, qui metempſychoſim, vel animorum tranſmigrationem admiſerunt, animos ex moriente corpore in corpus aliud migrare putarunt, in quo anteactæ vitæ ſcelera expiare poſſent, ut tandem puri ad Deum reverterentur. Longè nobiliùs Plato putavit animos a corpore ſejunctos iterum Deo conjungi, cùmque a Deo veluti Univerſi mente, ſpiritu, vel animâ excerpti forent, ideoque *Divinæ particula auræ* dicerentur, in hanc iterum Univerſi mentem, vel ſpiritum illos redire. Ac certè ſi naturali ratione dirimenda res fuerit, neceſſariò dicendum eſt, quòd animus omni vitiorum labe purgatus, virtutumque ſplendore ornatus ſtatim ac divellatur a corpore finem ſuum, ſive debitam ſibi fælicitatem aſſequatur, ut ex illuſtri Platonis loco, quem ſuperiùs attulimus, intelligi poteſt.

XIV. Divino tamen Scripturæ teſtimonio erudimur, quod homines illi, qui ante Chriſti Servatoris adventum obiere, ſive ex electâ Judeorum gente fuerint, ſive inter Ethnicos etiam populos ſanctitatis, ac innocentiæ laude floruerint, poſt mortem non ad cæleſtem gloriam æternæ fælicitatis compotes, ſed potiùs ad ſinum Abrahæ deducebantur, infernum nempe, ac ſubterraneum locum, ad quem Chriſtus ipſe deſcendiſſe

dicitur, ut illis Meſſiæ adventum ardentiſſimè optantibus, jam ſe adveniſſe, humanique generis redemptionem perfeciſſe oſtenderet; quemadmodùm peracto jam quadraginta dierum ſpatio, *quo præbuit ſeipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis apparens eis, & loquens de regno Dei (a)*, dum cælum candidâ nube circumfuſus conſcenderet, omnes etiam beatos ſpiritus ex Abrahæ ſinu ad cæleſtem gloriam, vel Paradiſum propriâ veluti morte jam reſeratum deduxit. Deinde verò, poſtquam Chriſtus *primogenitus ex mortuis (b)*, ſive *primitiæ dormientium reſurrexit a mortuis* [c], omnes illi, qui corpore exceſſerint, ſtatim in cæleſtem gloriam transferuntur, ubique clariſſimâ Dei viſione beatitudinem conſequuntur, Hinc Stephanus dum morti proximus foret *oculos intendens in cælum vidit Jeſum ſtantem a dextris Dei*, dumque lapidaretur, *invocavit, & dixit, Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum (d)*, quippe qui ab Apoſtolis, divinoque fidei lumine eruditus intelligeret animos, vel ſpiritus corpore excedentes in Cælum repente ſuſcipi.

XV. Non defuere tamen vel primis etiam Eccleſiæ ſæculis, qui cæleſtem gloriam, Deique viſionem animis a corpore jam ſolutis per aliquod temporis ſpatium differri putarent; atque aſſererent homines poſtquam redivivi, iterumque corpori in generali carnis reſurrectione conjuncti forent, in terris mille annorum ſpatio cum Chriſto regnaturos eſſe, antequam ad cæleſtem gloriam transferrentur, unde *Chiliaſtæ*, vel *Millenarii* ſunt appellati. Non omnes

tamen

(a) *Act. c. 1. v. 3.* (b) *ad Coloſſ. c. 1. v. 18.* (c) *I. Corint. c. 15. v. 20.* (d) *Act. c. 7. v. 55. & 58.*

tamen eâdem ratione fælix illud mille annorum regnum explicabant, ſed impuriſſimus ille Cerinthus, qui circa 100. annum a Chriſto nato hæreſim excitavit, integrum ſpatium illud in corporeis voluptatibus, omnibuſque ſenſuum deliciis inſumendum eſſe putavit; eodemque tempore Judæi, ex quorum fontibus, ſive figmentis Cerinthi errorem profluxiſſe Hieronymo auctore erudimur [a], Davidis regnum inſtaurandum, Moſaicam legem reſtituendam, ejuſdemque legis ritus, cæremonias omnes, & ſacrificia in Templo Hieroſolymis iterum nobiliorique ſplendore ædificando (b); renovanda fore ſomniarunt; quod quantum a divinâ Scripturarum authoritate, rationiſque lumine abhorreat, manifeſtiſſimâ apparet.

Alii verò mille annorum regnum in ſolâ animi tranquillitate, puriſſimis nempe deliciis, ac jucundiſſimâ ſpiritûs quiete collocarunt. Quos inter excelluit, maximâque ſanctitatis gloriâ, diſſerendi acumine, Scripturarum cognitione floruit Papias Hieropolitanus Epiſcopus, quem Divus Joannes Evangeliſta, ut Irenæo, ac Hieronymo videtur, vel alter certè Joannes præsbyter, ut alii exiſtimant, erudivit. Hic itaque cum *mediocri admodum ingenio præditus foret, cùmque ea, quæ arcano quodam ſenſu, & exempli cauſſa ab* Apoſtolis *dicebantur, non ſatis pervidiſſet* [c], non modò in Millenariorum errorem incidit, verùm etiam auctoritate, & exemplo plurimos in illum abripuit, atque in primis Irenæum, ac Tertullianum; cùm præſertim variis Scripturæ authoritatibus uteretur, atque in primis celebri

(a) *Hieron. in Jerem. c. 19.* (b) *ibid.* [c] *Euſ. Hiſt. Eccl. lll. c. 139.*

Apocalypſis loco ubi *reſurrectio prima*, *& ſecunda* memoratur; *prima*, & *ſecunda mors*, *vita*, *regnum*, quo electi *regnabunt cum Chriſto mille annis*, & cum conſummati fuerint mille anni ſolvetur Satanas, vel Antichriſtus, ſeducet gentes, unde electis reſurrectio ſecunda, perditis verò, qui Antichriſto adhærebunt, mors ſecunda orietur *(a)*.

XVI. Quamvis tamen hæc opinio *utcumque tolerabilis* (b) videretur primis Eccleſiæ temporibus, cum nondum accurata Scripturarum ſententia ſatis explorata foret, nihilque ab Eccleſiâ definitum haberetur, cùm tamen deinde clariſſimis Florentini, ac Tridentini Concilii decretis expreſſum fuerit beatorum animos a corpore ſolutos repente in cæleſtem gloriam transferri, ubi perenni fælicitate, Deique viſione fruantur, Millenariorum ſententia nullâ ratione, vel authoritate defendi poterit; eodemque jure refelli debet illorum opinio, qui nonniſi poſt diem judicii beatorum animas ad cæleſtem gloriam admitti putarunt, quod etſi Joanni XXII. Romano Pontifici creditum exiſtimetur, ipſe tamen non modò literis ad Pariſienſis Academiæ Socios, Galliarumque Regem datis aſſeruit ſe utramque partem Theologis diſſerendam proponere, nullique potiùs palmam concedere voluiſſe; verùm etiam morti proximus ſincerè, conſtanterque profeſſus eſt beatorum animos omni culparum labe ſolutos æternâ fælicitate donari, quod deinde Benedictus XII. expreſſiùs adhuc, & illuſtriùs definivit.

XVII. Quod ſi humanus animus dum corpore

(a) *Apoc. c.* 20. (b) *Aug. Civ. XX. c.* 7.

re excedit, ab omni quidem ſcelere, gravique culpâ immunis, ideoque Deo charitatis, & gratiæ vinculo conjunctus ſit, ſed aliquâ tamen leviori culpâ adſpergatur, ſive pœnam gravioribus culpis debitam hac in vitâ non peregerit, in cæleſtem quidem patriam, vel regnum cælorum, in quod *non intrabit aliquod coinquinatum* (a), admitti non poterit; neque tamen ad æternam damnationem, quæ gravioribus ſolùm peccatis debetur, expelli: ſed ad *purgatorium* ignem, quo nimirum breviori, longiorique temporis intervallo, acriori, mitiorique dolore a levioribus culpis, aut graviorum culparum pœnâ purgatur, ut deinde impollutus, ac innocens ad patriam transferatur. Et ſanè purgatorium hunc ignem exiſtere, ſive dari peccata, quæ poſt mortem, ſive in futuro ſæculo deleantur, clariſſimè Chriſtus oſtendit ubi aſſeruit quod *quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro* (b); *neque enim de quibuſdam veraciter diceretur quod non eis remittatur neque in hoc ſæculo, neque in futuro, niſi eſſent quibus, etſi non in iſto, tamen remittitur in futuro* (c).

XVIII. Neque purgatorio ſolùm igne leviora ſcelera, vel remiſſorum ſcelerum pœna, ſed piis etiam, ac ardentibus vivorum orationibus, eleemoſinis, præſertim verò ſacrificio deletur. Hinc Judas *Machabæus collatione facta duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium . . . ſancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a*

(a) *Apoc. c. 21. v. 27.* (b) *Matth. c. 12. v. 32.* (c) *Auguſt. Civ. XXI. c. 24.*

peccatis ſolvantur (a). Quod autem in veteri lege a Juda factum accepimus, *hoc a Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qui in corporis, & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque offerri commemoretur* (b); neque enim alium *exiſtimamus ad mortuos pro quibus curam gerimus, pervenire, niſi quod pro eis ſive orationum, ſive eleemoſynarum ſacrificiis ſolemniter ſupplicamus, quamvis non pro quibus fiunt, omnibus proſint, ſed pro iis tantùm, quibus, dum vivunt, comparatur, ut proſint. Sed quia non diſcernimus qui ſint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia poſſint, & debeant pervenire. Melius enim ſupererunt iſta eis, quibus proſunt. Diligentiùs tamen facit hæc quiſque pro neceſſariis ſuis, quò pro illo fiant ſimiliter a ſuis* (c).

XIX. Quemadmodum verò de futuro defunctorum ſtatu nihil certò definire poſſumus, ut ab Auguſtino erudimur, niſi fortaſſe fidei lumen, Divina revelatio, vel Eccleſiæ authoritas accedat; ita quoque beati, vel quicumque mortalem hanc vitam reliquerint, nihil prorſus percipiunt, quæ in hac vitâ peragantur, niſi fortaſſe Deus aliquid ipſis revelare voluerit. Credibile eſt enim Deum aliqua ſpiritibus corpore ſolutis oſtendere, quod ſæpius ab illo factum pluribus Scripturæ teſtimoniis accepimus. Hinc Theologi exiſtimant piorum preces, ac vota beatis innoteſcere, ut iis excitati divinam opem implorent; unde Sanctorum invocatio, reliquia-

---

(a) *Machab. II. c. 12. v. 46.* (b) *Aug. ſer. 172. n. 2. alias ſer. de verb. Ap 32. c. 2.* (c) *idem lib. de cura geren. pro mort. n. 22. al. c. 18.*

liquiarium cultus, aliaque id genus certiſſima Catholicæ Eccleſiæ dogmata veteri, conſtantique traditione derivata deduci debent.

XX. Ubi verò poſt ſupremum diem beatorum animi iterum redivivo corpori conjuncti fuerint, nihil erit, quod in perenni patriâ mente cognoſcere, vel contemplari illi poſſint, niſi ſola divina eſſentia; quemadmodum corporeis oculis Chriſti, aliorumque beatorum corpora incorruptibilia, immortali luce donata, variiſque dotibus exornata ſpectare poterunt. *Sicut enim anima divinâ viſione fruens quadam ſpirituali claritate replebitur, ita per quandam redundantiam ex animâ in corpus ipſum, corpus ſuo modo claritatis gloriâ induetur* (a). Porrò, quæ ſint ejuſmodi beatorum corporum dotes, fusè Theologi diſſerunt, quos adire juverit, ſi plura hac in parte quærantur. Nobis id unum innuiſſe ſufficiat ejuſmodi corporum gloriam inæqualem eſſe futuram, tantòque nobiliorem quantò nobiliori modo in virtutibus acquirendis, perferendiſque doloribus animo contulerint, ſive certè quantò nobiliori, beatiorique animo conjungantur. Quamvis enim eſſentialis illa fælicitas, quam in clarâ Dei viſione, ardentiſſimoque amore conſiſtere diximus, æqualis in omnibus ſit futura, ideoque beatorum animi æqualiter fælices haberi debeant; aliqua tamen inæqualitas, ſive gloriæ diſparitas in dotibus eſſe debet, ut ille, qui peculiari quodam merito, ſive virtutis ſplendore cæteros in hac mortali vitâ ſuperaverit, clariori quoque præmio, ſive coronâ donetur, ut ipſa anteactæ vitæ *merces (b)*,

(a) *D. Th. IV. cont. Gent. c. 86. vid. Aug. epiſt. 56. ad Dioſc.* (b) *Gen. c. 15. v. 1.*

corona juſtitiæ (*a*) dicatur, atque unicuique reddatur ſecundùm opera ejus. Hinc Chriſtus aſſeruit *in domo Patris ſui manſiones multas eſſe* [*b*], atque hoc etiam ſenſu dixit Apoſtolus *quod ſicut ſtella differt a ſtellâ in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum* (*c*), ſive quod hominis redivivi fælicitas pro variâ meritorum, virtutumque ratione diſpar, ac inæqualis erit, ut fusè exponit Auguſtinus (*d*).

XXI. Neque tamen hinc ullus in Beatis invidiæ, aut, mæroris ſenſus oriri poterit; quòd cùm ſinguli intelligant gloriam meritis debitam ſingulis conferri, quilibet propriâ, ſibique debitâ fælicitate contentus erit, nec uberiorem, ſibique indebitam optare poterit: quemadmodum ferè ſi pater filiis omnibus ex eodem panno ita veſtem concesserit, ut natu major, atque procerior majorem, natu minor, humiliorque minorem accipiat, filius certè natu minor ampliorem majori veſtem invidere, ſibique optare non poterit, quòd illam ſibi convenientem, corporiſque moli parem non eſſe intelligat. Quin etiam ex uberiori aliorum gloriâ major in ſingulis fælicitas, atque lætitia orietur, ut præclarè docuit Auguſtinus. *Gaudium verò*, inquit, *quale, aut quantum ubi tale, & tantum bonum invenitur? Cor humanum, cor indigens, cor inexpertum, eruptum, imò obrutum ærumnis, quantum gauderes ſi his omnibus abundares? Interroga intima tua ſi capere poſſunt gaudium ſuum de tanta beatitudine ſua. Sed certe ſi quis alius, quem omnino ſicut teipſum diligeres, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minùs gauderes*

pro

(*a*) *II. ad Tim. c. 4. v. 8.* (*b*) *ibid.* [*c*] *Corinth. c. 15. v. 41.* (*d*) *lib. de Virgin. n. 26.*

pro eo, quàm pro te ipſo. Si vero vel duo, vel tres, vel multò plures haberent id ipſum, tantumdem pro ſingulis, quantum pro te ipſo, gauderes, ſi ſingulos, ſicut te ipſum, amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum, & hominum ubi nullus minùs diliget alium quàm ſe ipſum, erit gaudium innumerabile. Si ergo cor hominis de tanto ſuo bono vix capiet gaudium ſuum, quomodo capax erit tot, & tantorum gaudiorum in illa perfecta fælicitate? Ubi, ſicut unuſquiſque plus amabit ſinè comparatione Deum, quàm ſeipſum, & omnes alios ſecum, ita magis gaudebit abſque æſtimatione de Dei fælicitate, quàm de ſua, & omnium aliorum ſuorum (a). Quod ſi fortaſſe in beatiſſimâ, ac fælici illâ patriâ, atque immenſo voluptatis oceano aliquis mærori, ſive dolori locus ſupereſſet, non aliud certè quis conqueri, vel indolere poſſet, quàm quod infinitum illud, ſummumque bonum, quod clariſſimè tunc contemplatur, in mortali vitâ non ſatis, non pro rei dignitate, non quantum amari poterat, amaverit, ideoque cum Auguſtino exclamaret *ſerò te amavi bonitas tam antiqua* (b).

XXII. Verùm nec innocens etiam hìc mæror, aut deſiderium haberi ibi poterit, cùmque ſumma fælicitas, ut inquit Cicero, ſit *ſecretis malis omnibus cumulata bonorum poſſeſſio* [c], ſive ex Platone *voluptas ſine pœnitentia* (d), ideoque ex bonorum omnium cumulo, omnique malorum privatione oriatur, illud omne excludere debet, in quo leviſſima mali ſpecies, appareat; unde etiam beatorum animus certiſſimus eſſe debet non modò hac ipsâ fælicitate ſe ſpoliari non poſſe

(a) *Auguſt. de Spirit. c. 64.* (b) *Conf. X. c. 6.* (c) *Cic. Fin. 2... c. ...* (d) *Stob. ſerm. 101. vid. Aug. Civ. lib. XXII. c. 20. & D. Th. 1. ſecunda qu. 5. art. 2.*

poſſe (graviſſimum nempe malum, dolorisque cauſſa foret beatitudinis amittendæ timor, *neque ullo modo eſſe poſſet vita veraciter beata, niſi fuerit ſempiterna* [a]) ſed illam quoque minui, vel doloris contagio infici non poſſe: unde cæleſtis illa fælicitas *hæreditas incorruptibilis, incontaminata, immarceſcibilis* (b), ac æterna appellatur.

Hæc qui tacitâ quadam, & accuratâ contemplatione ſecum ipſe perpenderit, nullus dubito, quin cæleſtis ejuſmodi patriæ, æternæque fælicitatis amore non ardeat; quin actus omnes ſeverâ, & eximiâ morum honeſtate ad ultimum hunc finem, ſummumque bonum conſtantiſſimè dirigat; quin ſingula creata bona contemnens ad nobiliora quædam, ac diviniora ſe natum intelligat; quin denique perennis patriæ deſiderio, ac tranquilliſſimi portûs ſpe diſſolvi cupiat, ac eſſe cum Chriſto.

XXIII. Quòd ſi fortaſſe alicujus animum æternæ fælicitatis amor, ſummique boni poſſeſſio non moveat, atque ad mores ritè componendos, vitamque honeſtè peragendam non impellat, movere certè poterit incredibilis, ac æterna calamitas, æternus dolor, ſummumque malum, ad quod impii veluti ad finem ultimum diriguntur. Quid verò ſit ultimus ille malorum finis, clariſſimè deduci poterit ex iis, quæ ſuperiori loco de ſummo bono, vel bonorum ſine jam diximus. Si enim piorum fælicitas in clariſſimâ Dei cognitione, & amore conſiſtit, quâ Deo conjunguntur, in jucundiſſimâ voluptate, quâ illorum animus uberrimè perfunditur, in pacatiſſimâ animi tranquillitate, in ſummâ cor-

po-

(a) *D. Aug. Trin. XV. c. 8. vid. Th. I. ſecunda qu. 5. art. 4.*
(b) *Petr. Ep. I. c. 1. v. 4.*

poris quiete, in perfectiſſimo denique bonorum omnium cumulo ſinè ullâ admixti mali, ſive doloris ſpecie, quid aliud malorum finis eſſe poterit, quàm perennis, ac æterna alienatio a Deo, ejuſque privatio *, irrequietus animi furor, ac odium, quo ſe, Deumque acerbiſſimè proſequuntur, dirus amiſſæ fælicitas dolor, & ægritudo, omnium denique malorum cumulus ſine ullâ boni ſpe?

XXIV. Quid verò ſi adjeceris æternum ignem, qui a vindici Omnipotentis irâ ſuccenſus *ardebit uſque ad inferni noviſſima* (*a*), illorumque animos, & corpora *mirabiliter crucians* [*b*] efficiet ut perenniter in *illâ flammâ crucientur* (*c*)?

Duplex itaque impiorum pœna diſtingui poterit, altera nimirum *damni*, quæ in ſolâ Dei privatione conſiſtit; altera *ſensûs*, quæ ex igne orietur: quarum ultima, etſi graviſſima ſit, a primâ tamen longiſſimè ſuperatur, ut innumeris Patrum authoritatibus facilè oſtendi poſſet.

Quemadmodum vero juſti qui ſinè ullâ peccati labe, vel pœnæ reatu exceſſerint, ad cæleſtem gloriam repente transferuntur, ita propemodum impiorum animi corpore ſoluti *mittuntur in tenebras exteriores* [*d*], atque ſupremo judicii die corpori jam redivivo conjuncti diſcedent *maledicti in ignem æternum* (*e*); & ſicuti pro variâ meritorum ratione varios beati fælicita-

(*a*) *Deut. c.* 32. *v.* 22. (*b*) *Job. c.* 10. *v.* 16. (*c*) *Luc. c.* 16. *v.* 24. (*d*) *Matth. c.* 23. *v.* 13. [*e*] *Matth. c.* 25. *v.* 41.

* Beatitudinis igitur illorum cauſſa eſt adhærere Deo, quocirca iſtorum miſeriæ cauſſa ex contrario eſt intelligenda, quod eſt non adhærere Deo . . . . immutabili bono, quod uſque adeo bonum eſt, ut ſine illo creatura rationalis, vel intellectualis miſera eſſe neceſſe ſit. *Aug. Civ. XII. c. 1.*

citatis gradus acquirunt, ita pro variâ ſcelerum gravitate, variis doloribus impii cruciabuntur, quemadmodum denique juſtorum fælicitas exigit, ut illi certiſſimè norint ſe ab ejuſmodi gloriâ excidere non poſſe, ita ſumma damnatorum infælicitas exigit, ut illi clariſſimè intelligant, nullam ſibi ſpem fore ut aliquando pœnæ vel minui, vel interrumpi, vel extingui poſſint. *Fruſtra itaque nonnulli, imo quam plurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus ſine intermiſſione perpetuos humano miſerantur affectu, atque ita futurum eſſe non credunt; non quidem Scripturis divinis adverſando ſed pro ſuo more dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo ſententiam, quæ optant in eis terribiliùs eſſe dicta, quam veriùs. Non enim obliviſcetur, inquiunt, miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſerationes ſuas. Hoc quidem in pſalmo legitur ſancto: ſed de iis ſine ullo ſcrupulo intelligitur, qui vaſa miſericordiæ nuncupantur, quia & ipſi non pro meritis ſuis, ſed Deo miſerante de miſeria liberantur. At ſi hoc ad omnes exiſtimant pertinere, non ideo neceſſe eſt, ut damnationem opinentur poſſe finiri eorum, de quibus dictum eſt exibunt iſti in ſupplicium æternum, ne iſto modo putetur habitura finem quandoque fælicitas etiam illorum de quibus e contrario dictum eſt juſti autem in vitam æternam.*

XXV. Sed hæc certiſſima ſunt ut de iis diſſerere nefas ſit. Illud potiùs inter veteres Eccleſiæ Patres, & Theologos diſputatur, qua pœnâ puniri debeant infantes illi, qui cum ſolâ originalis peccati labe moriuntur? Plurimi nimirum exiſtimant illos ſolâ pœna damni torquendos eſſe, quippe qui propriâ voluntate nunquam peccaverint, ideoque mitiori pœnâ damni affi-

ei debeant; non verò pœna ſensûs, quæ gravioribus culpis, quas nimirum homo propriâ voluntate admiſerit, convenire videtur: unde illos non in inferno, ſed in Abrahæ ſinu, vel *limbo* collocant, ubi nullo doloris ſenſu afficiantur, quin etiam ex Catharini ſententiâ tenui quadam, ac naturali beatitudine fruantur. Veteres tamen Eccleſiæ Patres hoc inferni, limbique diſcrimen nullibi agnoſcunt, pueroſque originalis peccati ſcelere infectos utrâque pœnâ, damni nimirum, & ſensûs, aliorum damnatorum inſtar, torqueri putant; mitiori tamen ſensûs dolore, quàm qui cæteris infligatur. Itaque *mitiſſima ſanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt; & in cæteris, qui addiderunt, tantò quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quantò hìc minorem habuit iniquitatem* (a): quòd Auguſtinus expreſſiùs alibi exponens *Venturus Dominus*, inquit, *& judicaturus de vivis, & mortuis, ſicut Evangelium loquitur, duas partes facturus eſt, dexteram, & ſiniſtram. Siniſtris dicturus ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Dextris dicturus venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Hanc regnum nominat, hanc cum Diabolo damnationem; nullus eſt relictus medius locus ubi ponere queas infantes* (b).

ETHI-

(a) *Aug. in Enchir. c. 24. al. c. 93.* (b) *ſerm. 294. alias 14. de verb. Apoſt. n. vel c. 3.*

ETHICÆ, SIVE MORALIS

DISPUTATIO II.

De Actibus humanis, eorumque bonitate, ſive malitia.

QUis ultimus hominum finis, quod ſummum, perfectumque bonum haberi debeat, ex quo deinde humanis animis beatitudo, ſive fælicitas oriatur, ſuperiori loco, ſive Diſputatione I. expoſuimus. Perſpicuus itaque rerum ordo, atque inſtituta methodus exigit, ut explicato, vel invento jam fine, nunc de variis mediis diſſeramus, quibus ipſe finis acquiri poteſt; quandoquidem ita naturâ ipsâ comparatum eſſe intelligimus, ut finis ille, ad quem dirigimur, non-

niſi

niſi mediis, atque inſtrumentis quibuſdam, ac veluti adminiculis comparetur. Cum itaque ſummum hominis bonum, ſive perfecta fælicitas humanis actibus comparetur, ſive actus humani ſint illa media, quibus finem naturâ nobis conſtitutum aſſequimur, ita de ipſis humanis Actibus in hac alterâ Diſputatione diſſeremus, ut expoſitâ primùm illorum naturâ, varietate, proprietatibus, de ipſorum deinde bonitate, ſive malitiâ loquamur; cùmque bonitas ipſa, ſive malitia ex legibus oriatur, de legibus, illarumque vi diſputabimus; ut uberrima deinde lux oriatur, quâ ſingulorum actuum honeſtas, atque perverſitas accuratiſſimè diſtinguatur, & animus ipſe nitidè, clariſſimèque intelligat quâ demum viâ ſupremum finem, ſummum bonum, Deumque ipſum fæliciter conſequatur.

CAP. I.

De actus humani natura, ac varietate.

I. NItidus rerum diſſerendarum ordo, atque incredibilis ipſarum varietas requirit, ut de humanis actibus, illorumque bonitate, ſive malitiâ loquuturi, ab actûs humani definitione exordiamur, ut inde varietas omnis, quæ in ejuſmodi actibus obſervatur, intelligi, exponique poſſit.

II. Actus itaque *humanus* eſt ille, qui fit, exoritur, ſive producitur ab homine operante humano modo, præviâ nimirum cognitione, & conſilio; ſive qui fit ab homine quatenus homo, vel rationalis eſt, ideoque rationis lumine,

ac ductu operatur [a]. Cæteræ nimirum operationes omnes, quæ fiunt quidem ab homine, ſed inconſultò ſinè ullâ præviâ cognitione, vel attentione, dicuntur operationes *hominis* quatenus homo aliorum corporum, vel brutorum inſtar cæco quodam impetu, varioque ſpirituum animalium motu impellitur ad operandum *. Hinc facilè apparet operationes illas, quæ propriè, ac rigorosè dicuntur hominis, Ethicæ legibus perfici, vel dirigi non poſſe, quippe quæ ſinè conſilio, ſive ratione producantur; ideoque nullâ ratione ad Moralem, vel Ethicam pertinere, quæ proinde ſolùm de humanis actibus diſſerere, illorumque ſpecies omnes exponere, ſive complecti debet. Et quamvis etiam cognitiones illæ, quæ producuntur ab intellectu, humanæ vocari poſſent, cùm tamen illæ ad *verum* veluti objectum, non verò ad *bonum* dirigantur, cùm non liberæ, ſed neceſſariæ ſint, neque proinde dirigi, variari, vel impediri poſſint, Ethicæ, ſive Moralis legibus ſubjici non poſſunt; niſi fortaſſe quatenus ignorantia, ſive cognitio ad actûs humani honeſtatem, pravitatemque conferat, ut inferiùs oſtendetur. Itaque de ſolis voluntatis actibus diſſeremus, iis nimirum, quibus humanus animus ad bonum, vel malum amando, vel fugiendo dirigitur, ejuſque diviſionem, ac varietatem in ipſo Diſputationis limine exponemus.

III. Actus humanus communi Philoſophorum

(a) *vid. D. Th. I. ſecunda quæſt. 1. art. 2.*

* Illæ actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt; ſi autem aliæ actiones homini conveniant, poſſunt dici quidem hominis actiones, ſed non propriè humanæ cùm non ſint hominis in quantum homo eſt. *D. Th. I. 2. q. 1. art. 1.*

rum omnium conſenſu diſtingui ſolet in *elicitum*, vel *interiorem*, atque *imperatum*, vel *exteriorem*. Elicitus, interior, immanens, vel immediatus actus eſt ille, qui fit ab ipsâ ſolâ voluntate, atque in voluntate ipsâ remanet, ut *velle*, *amare*, *&c.* Imperati verò, exteriores, tranſeuntes, vel mediati dicuntur illi, quos voluntas quidem eligit, vult, atque imperat, ſed a corporeis tamen potentiis, ſeu viribus exercentur; unde illi extrinſecùs etiam apparent, ut *oculos movere*, *currere*, *ſcribere*, *&c.*

De exterioribus, aut mediatis actibus, qui nimirum remotè ſolùm, atque mediatè a voluntate producuntur, nihil ferè dicendum nobis ſupererit, cùm actus illi, quatenus ab animâ producuntur, in Phyſicâ ſint explicati; quatenus verò ad Ethicam, ſive Moralem ſpectare poſſent, ad interiores ipſos ſatis accommodè revocentur, cùm tota illorum bonitas, atque malitia ex ſolis interioribus, ac immediatis actibus oriatur.

IV. Quod verò ad interiores ipſos, & elicitos humanæ voluntatis actus pertinet, illorum plurimi a Philoſophis, ac Theologis etiam diſtingui ſolent. Clarior tamen, & accuratior diviſio cenſeri poterit illa, quæ ſex voluntatis actus enumerat, quorum tres circa finem, tres circa media verſentur, quibus finis ipſe comparetur. Itaque *volitio*, *intentio*, & *fruitio* reſpiciunt finem; *conſenſus* autem, *electio*, & *uſus* verſantur circa media, quæ ad finem ipſum conducunt. Et ſicuti voluntatis actus miro quodam fœdere cum intellectûs actibus conjunguntur, atque ab illis aliquâ ratione dependent, ut nihil a voluntate amari, eligi, ſive produci poſſit, quod non antea cognitum, ſibique ab intellectu propoſitum

ſit, juxta celebre effatum illud *nihil volitum, quin præcognitum*, ita ſex ejuſmodi voluntatis actibus ante enumeratis ſex alii correſpondent in intellectu, *apprehenſio*, *judicium*, *conſilium*, *diſcretio*, *imperium*, *directio*, itaut tres primi ſimiliter circa finem, reliqui circa media verſentur. Ita verò voluntas cum intellectu conſpirat, ut quilibet voluntatis actus prævio quodam intellectûs actu veluti lumine, ac duce dirigatur; quemadmodum etiam in quolibet actu intellectûs voluntatis imperium, & applicatio requiritur, quâ mens ipſa vaga, & indifferens determinetur ad operandum. Sed clariùs id apparebit ſi naturalis illa ſeries obſervetur, quâ nos aliquid efficere, vel operari ſolemus; nitidè nimirum in illâ conſpicitur ordo, ſive connexio, quæ inter actus ejuſmodi reperitur.

V. Dum itaque excitamur, vel impellimur ad operandum primò requiritur, ut ab intellectu cognoſcatur bonum illud, cujus amore voluntas operari debet, ſive quod operando voluntas ipſa conſequitur; & ejuſmodi objecti perceptio *apprehenſio* dicitur. *Apprehenſionem*, quâ bonum ipſum percipitur, ac voluntati proponitur, repente ſequitur, ipſique correſpondet in voluntate *volitio*. quâ voluntas ipſa in bonum ſibi propoſitum complacentiâ, & amore quodam inclinatur; &, ſi amor ille vel complacentia fortis, vivida, ac efficax ſit, intellectus applicatur ad inquirendum utrum bonum illud expediens, adeptuque poſſibile ſit? unde ſequitur in intellectu *judicium*, quo bonum ipſum veluti poſſibile, ipſique conveniens proponit, ac exhibet voluntati; quæ vividiùs adhuc in bonum ipſum inclinata, bonum *intendit*, conſtituit nimirum bonum aſſequi mediis, quæ ad finem ipſum conducant. Itaque intentioni voluntatis

tis proximè adhæret in intellectu *conſilium*, ſeu *conſultatio*, quâ intellectus voluntatis imperio applicatur ad inquirenda media, quæ fini conſequendo magis conferant; quâ peractâ producitur in voluntate *conſenſus*, quo voluntas ipſa media ab intellectu propoſita probat. Cum tamen media ipſa varia eſſe poſſint, neque tamen omnia ſimul adhiberi, debet intellectus aliquod ex illis eligere, quod aptius, vel convenientius ſit, atque illud a ceteris diſcernere, ſive ſecernere, quod *diſcretione* peragitur; ubi verò medium unum diſcretum fuerit, ac voluntati propoſitum, voluntas illud eligit, atque amplectitur, unde actus ille *electio* vocatur. Electo medio intellectus ipſe conſiderans finis bonitatem, mediique convenientiam voluntatem fortius allicit ad operandum, ac veluti imperio quodam determinat; atque huic intellectûs *imperio* correſpondet in voluntate *uſus*, quo illa medio propoſito, ac electo utitur ad operandum. Quod ſi actus, & opeperatio non ſit immanens, ſed ab externis etiam potentiis exeri, vel perfici debeat, tunc intellectus *dirigere* etiam debet potentiam illam, quam deinde voluntas applicat ad operandum. Ultimò tandem ex operatione finis ipſe comparatur, in quo veluti optato ſinu voluntas jucundiſſimè quieſcit, unde *fruitio*, quies, atque jucunditas in illâ producitur.

VI. Quamvis autem in quolibet actu incredibilis adeo varietas diſtingui poſſit, plerumque tamen repente, ſinè ullo diſcrimine, vel temporis intervallo actus peragitur, ut inde maxima, ac infinita ferè mentis vis, ac celeritas mirificè effulgeat; niſi fortaſſe putaveris illorum aliquos paullò ſubtiliùs ab intellectu noſtro diſtingui, cùm in ceteris illi contineantur, vel ad cæte-

ros revocari facilè poſſint. Verùm hæc minutiùs inquirere nec juvat, nec decet. Nobiliores potiùs intellectûs, vel voluntatis actus hìc exponemus, ex quibus maximus ſplendor accedet iis, quæ ſunt alibi diſſerenda, & quorum ope quæſtiones aliquæ dirimuntur, quæ ſolent a Scholaſticis agitari.

VII. Volitio itaque, ut ab illâ exordiamur, eſt voluntatis actus, quo voluntas ipſa amore, & complacentiâ quadam bonum ſibi ab intellectu propoſitum reſpicit nullâ habitâ ratione mediorum; unde *velleitas* etiam, ſive *volitio ineſficax* appellatur: ut ea proinde, quæ ſimplici volitione volumus, quaſi non velle videamur, ut de pigro dicit Salomon, *vult, & non vult piger* (a). Quod ſi vividior ſit illa volitio, & media inquirat ad operandum, tunc erit *intentio*, actus nimirum voluntatis, quo in finem per certa media tendimus; ſive amor efficax finis, atque mediorum, quæ ad finem illum conducunt.

Conſilium, deliberatio, vel conſultatio dicitur illa, quâ ex variis mediis illud, quod aptius, facilius, & convenientius eſt, inquirimus; unde conſenſus, qui deinde ſequitur in voluntate, definitur actio voluntatis, quæ conſentit intellectui judicanti medium aliquod ceteris convenientius eſſe. Undè clariſſimè apparet operis pravitatem non in conſilio, vel deliberatione, ſed in conſenſu tantùm conſiſtere, itaut niſi conſultationi conſenſus acceſſerit, nulla pravitas in opere deprehendatur; hinc inferior illa hominis pars, vel appetitus ſenſuum illecebris allici, vanis, praviſque imaginibus phantaſia per-

(a) *Prov. c. 13. v. 4.*

perturbari, intellectus ipſe de mediis ad opus aliquod perpetrandum diſſerere, vel conſultare poterit; niſi tamen voluntas, quæ tranquillo, ac imperturbato loco reſidens, veluti a puriori cælo ſenſus fervere, ac agitari videt, conſenſerit, nulla voluntati peccati, vel vitii labes adſpergitur. Quandoquidem tamen voluntas ipſa ingenito veluti pondere ad malum impellitur, atque a conſilio ad conſenſum repente tranſilit, non modò voluntas aſſenſum cohibere debet, verùm etiam intellectum ipſum ad imagines alias, & objecta convertere, ut fuſiùs alibi demonſtrabitur.

Porrò hinc intelligitur, quid ſit electio, & quomodo ab Ariſtotele ſatis accomodè definiatur *deſiderium præconſiliati* (a), aſſumptio nempe unius medii præ aliis juxta conſilium, quod in intellectu præceſſerit. Uſus denique eſt voluntatis actus, quo voluntas ipſa corporeis potentiis ſibi ſubditis utitur ad operandum.

VIII. Sed hæc clariora certè ſunt, quàm ut fuſiùs exponi debeant. Id unum potiùs explicandum ſupereſt, ad quam nimirum potentiam ſpectare, ſive referri debeat *imperium?* cùm Philoſophi hac in parte diſſideant, ut plures illud ad intellectum, ad voluntatem cæteri ſpectare velint. Cùm enim in imperio cognitio quædam, & ordo requiratur, videtur illud ab intellectu pendere; cùmque vis, & authoritas aliqua ſimiliter in imperio obſervetur, illud ad voluntatem potiùs referri poſſe putaveris. Sed hæc ipſa quæſtio dirimi facilè poterit, atque diſſidentes illæ Philoſophorum ſententiæ facilè conciliari ſi cum D. Thoma, aliiſque pluribus obſervetur, imperium partim ad intellectum,

(a) *Eth. III. c. 2. & 3.*

partim etiam ad voluntatem pertinere; ad intellectum quidem, quatenus nitidè rem voluntati proponit, ut ignorantia prætendi non poſſit: ad voluntatem verò quatenus illa efficaciter applicat potentias ad operandum. Cæterùm ſive imperium ipſum ſit actus intellectus, qui perficiatur a voluntate, ſive potiùs ſit actus voluntatis, qui dirigatur a previâ cognitione, perinde eſt; cùm tamen imperii vis, & uſus non in ordinatione, ſed præſertim in applicatione conſiſtat, imperium ipſum ad voluntatem potiùs, quàm ad intellectum revocari poſſe videtur.

IX. Atque ejuſmodi quidem ſunt actus eliciti, qui proximè, & immediatè ab ipsâ voluntate producuntur, atque ita in liberrimo voluntatis arbitrio contineri dicuntur, ut illis quandocumque, & quomodocumque libuerit, imperet, illos elicere, revocare, invertere repente poſſit, nec unquam invita ad illos eliciendos adigatur, vel impellatur. Secus verò, longèque aliter de actibus imperatis, aut actibus etiam illis, ad quos voluntatis imperium extenditur, dicendum. Illi nimirum ita voluntatis imperio ſubiiciuntur, ut plerumque invitâ quoque voluntate in nobis excitentur, nec niſi ægrè a voluntate ſedari, dirigi, componique poſſint; quinetiam ſubinde, niſi aut vividior, fortiorque voluntatis motio, aut potiùs Divinæ gratiæ robur acceſſerit, voluntas ipſa a ſenſibilibus affectibus, appetitûs impetu, ſpirituum motibus, corporeorum imaginum illecebris abſtracta, & illecta in malum abripiatur. Hinc meritò Apoſtolus querebatur *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*

is (*a*); atque iterum alibi *non quod volo bonum, hoc facio; ſed, quod nolo, malum hoc ago* (*b*).

X. Quod ſi voluntas, aut ratio corporeis ſenſuum affectibus imperare, vel dominari non poteſt; multò certè minùs ſpirituum motibus imperabit, quippe qui non liberè, non ſpontè, non lentè, ac tranquillè excitentur, ſed neceſſariò ab exteriori ſolùm principio, vel cauſsâ, objectis nimirum, quæ internis, externiſque ſenſibus obverſantur, cæco quodam impetu, ac perturbatâ ſerie producantur; juxta admirabilem, divinamque legem, quam a divino Artifice in variâ partium texturâ, corporiſque organizatione conſtitutam eſſe demonſtravimus. Itaque nec obliviſci rerum, nec recordari poſſumus cum volumus, nec aliquid cogitare, niſi rei illius imago cerebro impreſſa priùs excitetur; neque apertis oculis, ac luce perfuſis imperare ne videant, neque demum quis cogitans ſtaturæ ſuæ cubitum adiicere; illa nimirum, aliaque id genus ſexcenta, a ſolâ partium texturâ, vel corporis conditione dependent, neque in illo admirabili veluti fædere, quod a ſapientiſſimo Opifice corpus inter, atque animam ſancitum eſt, continentur; ut ab animâ proinde vel inconſultâ, vel etiam invitâ, ac reluctante peragi perfectè poſſint. Hinc operationes ejuſmodi, quæ voluntatis imperio nullâ ratione ſubiiciuntur, *involuntariæ*, *naturales*, ac *neceſſariæ* dicuntur, ideoque, cùm a legibus dirigi, vel ab Ethicâ perfici non poſſint, ab Ethicâ conſiderari non debent; quæ proinde *voluntarias* solùm, *liberas*, bonitati, atque malitiæ ſu-

(*a*) *ad Rom. c. 7. v. 23.* (*b*) *ibid. v. 19.*

ſubjectas conſiderat. Quâ verò ratione operationes aliquæ liberæ, ſeu voluntariæ cenſeri poſſint, fuſiùs, & accuratiùs ſequenti Capite demonſtrabitur.

CAP II.

De humanis actibus liberis, ſive de libertate humanorum actuum.

I. QUæ de liberis hominum actibus, ſive de humanorum actuum libertate nunc explicanda ſuſcipimus, partim clariſſima ſunt, intimoque ſenſu a rudioribus etiam hominibus cognoſcuntur, ut nitidiùs explicari vix poſſint; partim etiam obſcura adeo, & ambigua ſunt, ut inde errores plurimi veluti ex fonte prodierint. Ut omnis itaque obſcuritas, & ambiguitas evitetur, atque in re graviſſimâ, quæque totius ferè Moralis diſciplinæ caput cenſeri debet, meliori, clariorique ordine procedatur, juverit in ipſo Diſputationis limine varias, plurimaſque voces exponere, quæ a Philoſophis, ac Theologis adhiberi ſubinde ſolent; deinde verò libertatem illam oſtendere, quæ in homine admitti debet; ut cætera poſtremò nativâ quadam ſerie, ac veluti ſponte dimanent, quibus humanorum actuum libertas uberrimè cognoſcatur.

II. Atque illud in primis obſervari poterit humanos actus *voluntarios*, ſive *involuntarios* eſſe. Voluntarii dicuntur illi, qui a voluntate proficiſcuntur, qui a volentibus fiunt, in quos voluntas ipſa propenſione, inclinatione quadam, ac veluti pondere fertur, ſive certè

ab iis non abhorret, nec illos invita peragit. Involuntarii verò dicuntur illi, qui ſinè ullâ mentis cognitione, vel inclinatione, animo nimirum inconſulto, vel invito, ac reluctante producuntur. Hinc optimè voluntarium ab Ariſtotele definitur id, quod fit a *principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio* (a); illud nimirum, quo fit ab ipsâ voluntate, vel agendi vi, quæ in hominibus reperitur, ipſoſque ad agendum inclinat ubi mens ipſa cognoverit omnia, quibus eadem àctio continetur; objectum nempe, finem, circumſtantias omnes, & accidentia, quæ operationi arctiſſimè adhærent, eamque veluti comitantur; quemadmodum etiam Ariſtoteles ipſe definit involuntarium *id, quod fit, vel vi, vel ignorantiâ* (b): in quo nempe nulla cognitio, nulla voluntatis propenſio, ſed potiùs averſio, ac repugnantia quædam reperitur. Atque in ejuſmodi quidem humanorum actuum diſcrimine omnes Philoſophi mirificè conſpirant; & quamvis illorum plurimi in libertatis ideâ nitidè explicandâ diſſideant, ut inferiùs oſtendetur, omnes tamen in voluntariis, vel involuntariis actibus definiendis conveniunt.

III. Celebri deinde Philoſophorum omnium ſententiâ voluntarium, ſeu voluntarius actus diſtinguitur in *liberum*, atque *ſpontaneum*. Spontaneus actus dicitur ille, qui fit ab animâ dum non ab extrinſecâ quidem vi, ſive principio cogitur, aut impellitur ad operandum, neque tamen voluntas ipſa eſt indifferens, aut ſeipſam determinat ad operandum; ſed ingenito quodam pondere, vel propenſione ita fertur ad ope-

(a) *Ethic. Nic. III. c. 1.* (b) *ibid.*

operandum, ut actum ipſum prohibere non poſſit. Hinc operatio, vel actus ille, qui ſpontaneus eſt, dicitur expers, immunis, aut *liber a coactione*, cùm extrinſecam vim prorſus excludat, quâ voluntas hominis invita, ac reluctans contra propenſionem, inclinationemque ſuam cogatur, adigatur, ac impellatur ad operandum. Indifferens verò, vel perfectè liber eſt ille, qui ita eligitur a voluntate, ut voluntas ipſa indifferens omnino ſit ut illum exerat, aut ab illo deflectat; ut ſi nimirum voluntas operari velit, operetur, ſin verò potiùs non operari velit, non operetur * ; unde actus ille non modò liber, & immunis a coactione eſſe debet, nec ab homine invito, vel reluctante produci poteſt, verùm etiam quamcumque determinationem, vel neceſſitatem excludere, ut flexibilis proinde, ac liberrima voluntatis vis in utramque partem inflecti poſſit, nec alia de cauſsâ operetur, niſi quòd liberè hoc unum potiùs, quàm aliud elegerit, ſeque applicaverit ad operandum; unde actus ipſe *liber a neceſſitate* vocari ſolet, vel etiam liber *libertate indifferentia*. Hoc itaque inſigni diſcrimine ſpontaneus actus a libero diſtingui poteſt, quod in libero voluntas indifferens eſſe debet, atque ita operari, ut etiam non operari potuerit, actum ipſum ſuſpendere, invertere, ſeque ad actum alium etiam oppoſitum repente transferre poſſit, a nullâ demum extrinſecâ, vel intrinſecâ vi, propenſione, vel pondere, ſed a proprio ſolùm flexibili, elicito, fortuitoque amore determinetur ad operandum; at in ſpontaneo non ab

* In quibus enim in noſtra poteſtate ſitum eſt agere, ſitum eſt etiam non agere; & quibus non agere, ſimili modo etiam agere. *Ariſt. Ethic. Nic. III. c. 5.*

ab extrinſecâ quidem, ſed tamen ab intrinſecâ vi, ideſt ab ingenitâ naturæ inclinatione determinetur ad operandum, ut neque diſſentiri, neque reſpuere ſubinde poſſit, ſed neceſſariò determinetur. Id optimè profectò noverat, & accuratè obſervaverat Ariſtoteles aſſerens, quod *electio*, vel actus liber, *ſpontaneum quodam eſſe apparet, non idem tamen prorſus eſt; ſpontaneum enim latiùs patet; nam & ſpontaneum cum pueris, & reliquis animalibus commune eſt, electio minimè, & quæ de improviſo fiunt, ſpontanea ſunt, non autem ex electione* (a) illud itaque inquiri, vel explicari nunc debet an utraque libertas illa in homine admitti debeat, quoque diſcrimine ſpontanei a liberis actibus diſtinguantur, ut exinde cætera coronidis loco inferantur, quæ ad libertatem humanorum actuum ſpectare poſſunt.

IV. Quâ quidem in re non modò veteri, conſtantique Philoſophorum omnium conſenſu, ſed experimento ipſo, clariſſimiſque rationibus erudimur dari in nobis libertatem a coactione, vel plurimos ſpontaneos actus a nobis exeri, ſive produci, quos etſi non eligamus, a nullâ tamen extrinſecâ vi cogimur ad operandum. Quis enim bonum invitus amare poteſt, ſi ingenitâ quadam vi, ac propenſione ad amorem boni dirigitur? quis invitus beatitatem, fælicitatemque deſiderat, ſi naturâ ipsâ incredibilem beatitatis inquirendæ amorem nobis impreſſit? Quis dum amore, irâ, variiſque affectibus trahitur, impellitur ad operandum juxta celebre effatum illud *trahit ſua quemque voluptas*, non ſponte trahitur, ac intrinſeco quodam, tacitoque pondere inflectitur ad operandum? In his itaque, aliisque innu-

(a) *Eth. Nic. III. c. 2.*

numeris caſibus, homo non cogitur, aut invitus ad amorem impellitur; neque tamen amorem illum eligit, aut ab illo deflectere, vel illud non amare poteſt, ſed potiùs ingenitâ quadam vi determinatur ad amorem, ut non amare non poſſit: quemadmodum etiam beati Deum non invíti, ſed libentiſſimè diligunt, neque tamen ab illo amore ceſſare unquam poterunt; ac intellectus ipſe veritatibus ſibi propoſitis, clariſſimèque cognitis non liberè, ſed neceſſariò, ſed ſponte tamen, libentiſſimeque aſſentitur. Id aliis quoque exemplis oſtendi poſſet; iis præſertim, quæ ex inanimatis corporibus afferri ſolent, ut ex. gr. quod aqua ſponte in declivia, vel ad oceanum excurrat, quod gravia ſponte deorſum dicidant, flamma ſurſum avolet, quod animalia bruta ſponte moveantur; ideoque, cùm plurimas id genus operationes in hominibus etiam videamus, in ipſis quoque *ſpontaneitas*, ut barbarè loquuntur ipſi, ſive libertas, & immunitas a coactione concedi debeat. Verùm ejuſmodi exempla non ea certè ſunt, quæ nitida, vel accurata videantur, cùm illa corpora non ab intrinſecâ vi, ſed ab extrinſeco potiùs principio moveantur, ideoque nullâ ratione cum intrinſecâ hominum voluntate conferri debeant. Cæterùm alia argumenta quærere nec juvat, nec decet, cùm experimento ipſo clariſſimum, certiſſimumque ſit ſpontaneam hanc agendi vim in hominibus obſervari, ut nullus proinde Philoſophus, vel hæreticus illam negaverit, ſive in dubium revocaverit.

V. Illud hìc potiùs inquiri debet, utrum libertas etiam, & immunitas a neceſſitate, ſive libertas indifferentiæ in homine concedi debeat? in quo graviſſima, ac celeberrima quæſtio inter Philoſophos, atque Theologos reperitur. Plurimi

rimi nimirum exiſtimant in homine perfectè liberum, indifferens, atque flexibile arbitrium reperiri, quod neceſſitatem omnem, omnemque extrinſecam, vel intrinſecam quoque determinationem excludat; alii verò arbitrantur hominem ſponte ſolùm, non liberè operari, non ab intrinſecâ quidem, ſed ab extrinſecâ tamen vi cogi, vel impelli, ad operandum, ut indifferens ille non ſit, ſed ineluctabili quodam, ac inſuperabili pondere determinetur; eamque neceſſitatem, ſive determinationem oriri aut a ſideribus, aut a fato, quo omnia ſancita fuerint, aut ab originalis peccati contagio, concupiſcentiâ, & affectibus, qui exinde prodiere; aut a divinâ, ac invariabili præſcientiâ; aut denique a præviâ, phyſicâ, ac ineluctabili motione, quâ Deus voluntates humanas applicat, atque determinat ad operandum.

VI. Atque, ut eodem ordine progrediamur, celebris, & antiquiſſima eſt illorum opinio, qui res omnes, atque humanas etiam voluntates ab ineluctabili quodam Fato dirigi, definiri, vel deſtinari putabant, ut nullâ ratione ab homine, vel a Diis ipſis inverti poſſent; ſed quidquid in Fati decretis, adamantinis veluti characteribus, deſcriptum fuerat, inſuperabiliter, ac neceſſariò fieri, vel evenire deberet, ideoque nihil contingens, fortuitum, vel liberum foret, atque homines ipſi occultam hanc Fati vim tacitâ, & occultâ propenſione ſpontè non tamen liberè exequerentur (a). Hinc Fatum ipſum *lex naturæ*, *Univerſi comes*, *Neceſſitatis filius* vocabatur, atque a Chryſippo præſertim definiebatur *ſempiterna quædam, & indeclinabilis ſeries rerum, & ca-*

(a) *Plut. de Fato.*

& catena volvens ſemetipſa ſeſe, & implicans per æternos conſequentiæ ordines ex quibus apta, connexaque eſt (*a*): hinc *ſortem Fato deſtinatam ne ipſi quidem Deo defugere poſſibile eſt* (*b*), ut Cræſi legatis oracula exprobrantibus reſpondiſſe fertur Apollo Pythius; ac Jupiter ipſe queritur Sarpedonem filium a morte ſe liberare non potuiſſe, quòd illa Fato decreta jam foret; hinc denique Cyniſcus ille apud Lucianum Jovi inſultans ajebat *non timere ſe ejus fulmina ſi in Fatis quidem non ſit ut hac ratione pereat; quippe & Jovem, & ceteros Deos eſſe ipſi alligatos Fato, illoſque ſimul, ac homines ideo conſervos eſſe Parcarum, ut ne Dii quidem moliri quid poſſint, niſi quod Parcæ decreverint*. Hæc, aliaque id genus plurima de Fati viribus, atque immutabili decreto, ac proinde de ineluctabili neceſſitate, quæ ab illo Diis, ac hominibus inferebatur, fuſiùs, & uberiùs, apud Poetas, vetereſque Philoſophos, Plutarchum inprimis, ac Ciceronem in libris, quos illi *de Fato* conſcripſerunt, intelligi poterunt, illa nimirum hic fuſiùs exponere inutile videretur. Quid enim unquam abſurdius effingi poterit, quàm Fatum illud Diis ipſis imperans, cujus *Dii*, ut lepidis Luciani verbis utar, *miniſtri ſint*, *immo neque aliud quàm inſtrumenta, ut ſecuris, ac terebra?* quis apertè non videat hoc Fatum purum nomen eſſe, quod cæca, ſubdola, ac ſuperſtitioſa vanitas invexit; & quemadmodum Ethnici in Deorum viribus, ac naturâ explicandâ miſerè, ac ineptiſſimè errarunt, ita quoque in Fato hominum, Deorumque cervicibus imponendo turpiſſimè deliraſſe? Hinc ex veteribus plurimi Fati

(*a*) *ap. Agel. VI. c. 1.* (*b*) *Herodot.*

Fati nomine non aliud, quàm ipſam Deorum, ſupremique Numinis voluntatem intellexere, ut (a) Homerus certè de Fato loquens ipſum *divinam voluntatem* appellat, atque ex Stoicorum ſententiâ Lucanus ait quod Jupiter

Finxit in æternum cauſas, quæ cuncta coercet,
Se quoque lege tenens, (b)

quod *ille* nimirum *ipſe omnium Conditor, ac Rector ſcripſit quidem Fata, ſed ſequitur, ſemper paret, ſemel juſſit* (c), atque expreſſius adhuc apud Laertium, idem eſſe Fatum cum Deo, cum Jove, cum Mente dixerunt. Quo certè loco reprehendi minimè poſſent, atque ſi *Jovem Fatum dixeris, non mentieris* (d), *ſi Deum velis Fatum dicere, non errabis* [e]; ſed de hoc Fato, ſive Divino decreto mox diſſeremus. Interim obiter memoranda, ſimulque explodenda eſt illorum opinio, qui res omnes, & humanos actus ex ſideribus ita pendere putarunt, ut ex illorum aſpectibus certiſque motibus orirerentur, ac [f] Lacheſis

Fata quoque, & vitas hominum ſuſpendat ab aſtris

Quæ leviſſima opinio, a Babiloniis, & Aſſyriis derivata, adeo quorundam hominum animis inſedit, ut Aſtrologi Judiciarii in ipſis ſideribus varios hominum caſus veluti deſcriptos legere, ac prædicere ſe poſſe glorientur, quod quidem quàm impudens, falſumque ſit ſatis oſtendimus, ubi de Aſtrologiâ judiciariâ, ejuſque vanitate diſſeruimus.

VII. Alii deinde, etſi voluntates hominum ita libe-

(a) *Iliad. A.* (b) *lib. . . . v. . . .* (c) *Senec. de Prov. c. 5.* (d) *de Benef. IV. c. 7.* (e) *Quæ. Nat. II. c. 45.* (f) *vid. Cic. de Fato c. 6.*

liberas, ac flexibiles eſſe putaverint, ut neque a Fatis, neque a ſideribus, neque ab ullâ extrinſecâ vi cogi poſſent, eas tamen ab originali peccato ſic affectas, ac ſauciatas eſſe dixere, ut libertatem omnem, atque indifferens agendi arbitrium amiſerint. Hinc variis in locis Auguſtinus aſſerit, quod *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus* (a), quod *libero arbitrio malè utens homo & ſe perdidit, & ipſum; illa enim eſt pœna peccati juſtiſſima, & amittat unuſquiſque quo bene uti noluit* [b]. Et certè ſi arbitrii vis, atque indifferens illa libertas requirit, ut animus æquabiliter ad oppoſita inclinet, propoſitis nempe duobus objectis perfectè indifferens ſit ad utrum libuerit eligendum, quis apertè non videat hanc arbitrii vim, ac libertatem in homine vitiatam, ac deletam eſſe oportere, cùm nos in malum tacito quodam, ſed ingenito, ac vehementi pondere abreptos eſſe ſentiamus? Quid enim aliud a Sacris Literis erudimur dum expreſsè docent, quod *ſenſus hominis proni ſunt in malum ab adoleſcentia ſua* (c)? quid aliud Apoſtolus ubi dicebat *non quod volo bonum, hoc facio, ſed, quod nolo, malum, hoc ago; ſi autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum* (d), atque expreſſiùs id explicans ait *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis* (e); quid, inquam, aliud hæc, & id genus innumera nobis oſtendunt, niſi quod primi parentis peccato ve-

(a) *Epiſt.* 107. *ad Vital.* (b) *Euch. c.* 36. (c) *Geneſ. c.* 8. *v.* 21. (d) *Roman. c.* 7. *v.* 19. 20. (e) *ibi v.* 23.

hemens adeo corporeæ voluptatis ardor, & concupiſcentiæ fomes in corpore eſt accenſus, ut ab illo vel inviti quoque alliciamur, ac impellamur ad ſenſibilium rerum amorem? Atque ejuſmodi certè rationes, & argumenta Calvinum, alioſque plurimos impulere, ut liberum arbitrium rem *eſſe* crederent *poſt primi hominis lapſum de ſolo titulo, vulneratam illam fuiſſe libertatem, imò confectam, & extinctam* (a); unde Lutherus Auguſtinum impugnans, qui de *libero arbitrio* ſcripſerat, de *ſervo arbitrio* librum edere non erubuit; quibus conferri, vel accenſeri poterunt alii, qui peccati vim, & arbitrii vulnera, naturæ lapſæ miſeriam nimiùm, ac frequentiſſimè exaggerant.

VIII. Sed argumenta, vel authoritates illæ tanti certè non ſunt, ut ſi libertas, vel indifferens animi vis homini ſemel indita concedatur, eadem ſolâ peccati labe extingui, ſive deleri potuiſſe exiſtimetur. Quis enim peccato, quod ita liberè, & contingenter ab Adamo commiſſum eſt, ut etiam non committi potuerit, libertatem ipſam deleri, vel extingui potuiſſe putaverit, ſi revera libertas ipſa veluti proprietas, & perfectio quædam inſeparabiliter, ac neceſſariò humanæ voluntati conceſſa jam fuerit? quinam fieri potuiſſe putemus, ut potentia quædam ad oppoſitos actus indifferens, & quæ naturâ propriâ ad utrumque dirigebatur, eâ ſolùm de cauſsâ deleta, vel extincta fuerit, quod ad unum potiùs, quàm ad aliud ſeſe liberè determinaverit? Certè ſi libertas ipſa, quæ in Adamo ad bonum, ſive malum indifferens, perfectè fuerat, extingui debuiſſet ex eo quod li-

(a) *Calv. contra Pigh. vid. Inſtit. II. c. 2.*

berè malum elegerit, eodem jure extingui debuiſſet ſi liberè bonum eligens, in bono perſtitiſſet; quod ſi hoc dici, vel effingi, non poteſt, nec illud etiam effingi poterit ſolius peccati viribus arbitrii libertatem extinctam eſſe. Quod verò coniiciunt arbitrii libertatem poſt peccatum, non ex ſolius peccati viribus, ſed juſto Dei judicio in admiſſi peccati pœnam ereptam eſſe, id nitidè, ac certò ex divinâ revelatione, vel Sacris Literis oſtendi debet; quæ tantùm abeſt ut ereptam peccato homini libertatem inſinuent, ut illam potiùs peccato ſuperſtitem ſæpiſſimè, ac manifeſtiſſimè aſſerant, ut inferiùs oſtendemus. Cum itaque Auguſtinus, aliique ereptam, amiſſam, vulneratam, extinctam hominis libertatem aſſerunt, ita intelligi debent, ut perfectiſſima libertas illa, vel animi indifferentia, quâ æqualiter hominis voluntas ad utrumque flexibilis erat, vitiata fuerit, ut deinde ad malum potiùs propenderet; quemadmodum ante peccatum ita libero voluntatis arbitrio ſenſus, atque corporea cupiditas ſubiiciebatur, ut ab illâ diſſentiri non poſſet, deinde verò in ſpiritum, nobilioremque hominis partem rebellis, illum ſenſibilibus illecebris delinitum ad corporea ſenſim abripiat, ab amore cæleſtium avocet, ac degenerem ad terrena deprimat; quæ tamen omnia, etſi libertatem ipſam minuere, lædere, vulnerare poſſint, quod experimento ipſo fateri cogimur, ipſam tamen funditus delere non poterunt. Et ſanè quis apertè non videat hominis voluntatem, dum ſuavioribus etiam, ac vividioribus ſenſibilium illecebris allicitur, dum corporeæ voluptatis æſtu percellitur, dum ab inferiori, ac rebelli ſenſu in malum abripitur, reſiſtere tamen, vel

diſſentiri poſſe, & amorem aliò convertere; & quamvis extrinſecus incendatur, puriori tamen, ac ſerenâ mentis conſtantiâ in propoſito conſiſtere; quod non modò plurimis Scripturæ locis, & exemplis oſtendi poſſet, ſed ex iis etiam, qui in profanâ hiſtoriâ frequentiſſimè deprehenduntur, qui ſolâ inanis gloriæ ſpe incredibili quadam conſtantiâ, ac ſi plumbei, vel ſtipites forent, omnes voluptatis, vitæ, fortunæque illecebras atroci animo contempſere.

Quod ſi primi peccati contagio infecti ſæpiſſimè labimur, & *unuſquiſque tentatur a concupiſcentiâ ſuâ abtractus, & illectus (a)*, id unum inferri poterit nunc arbitrii libertatem immiinutam, ac vitiatam eſſe, ideoque homines uberiori nunc, vividiorique gratiâ indigere, quâ pronior in malum voluntas in bonum dirigatur, non verò quod indifferens arbitrii libertas extincta jam fuerit: unde Auguſtinus ipſe *libertas* inquit *periit per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ dicente Domino ſi vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis (b)*; atque alibi ſententiam propriam exponens, *peccato Adæ*, inquit, *liberum arbitrium de hominum naturâ periſſe non dicimus (c); quis enim noſtrum, dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano [d]?* quod innumeris aliis in locis expreſsè docet, ut de Auguſtini certè ſententiâ dubitari non poſſit. Sed hæc clariora certè ſunt, quàm ut fuſiùs ediſſeri, vel explicari jam debeant.

 IX.

(a) *Jac. epiſt. can. c.* 1. *v.* 14. (b) *lib.* I. *contr. duas epiſt. Pelag. n.* 5. *al. c.* 2. (c) *lib.* II. *contr. duas epiſt. Pelag. c.* 5. (d) *ibid. lib.* II. *c.* 1.

IX. Longè gravior eſt altera difficultas illa, quæ contra liberum hominis arbitrium ex divinâ præſcientiâ deduci ſolet. Cùm enim certum, perſpectumque ſit Deum ab æterno nitidâ, clariſſimâque cognitione futura omnia, vel actus omnes prævidiſſe, qui a variis hominum voluntatibus in variis temporis, loci, rerumque circumſtantiis fieri, ſive produci debuerant, eoſque potiùs ſibi præſentes unico veluti intuitu conſpexiſſe; atque alterâ ex parte certum ſimiliter, compertumque ſit divinam hanc cognitionem certam adeo, ac invariabilem eſſe oportere, ut nullâ ratione mutari poſſit, ideoque res ipſæ non aliter fieri, ſive contingere debeant, quàm ſicuti ſemel ab æterno cognitæ, ſive prævisæ fuerant, quînam fieri poterit, ut actus humani, quos modò exeri, ſive produci contigerit, liberi, & contingentes ſint, ſi non aliâ ratione peragi, vel ſequi poſſunt, quàm ut a Deo prævisi, vel cogniti fuerint? Alterutrum itaque neceſſariò dicendum erit, aut divinam præſcientiam variari poſſe, Deumque in propriâ cognitione decipi, ſi res liberè, & contingenter eveniant, ideoque fieri, vel non fieri, ſive diverſo modo produci poſſint, quàm ut a Deo prævisi jam fuerint; aut certè ſi divina cognitio falli, variarique non poſſit, nihil liberè, vel contingenter fieri poſſe: adeoque invariabilem Dei præſcientiam cum libero rerum eventu conjungi non poſſe; cùmque divinæ præſcientiæ vis, ac certitudo negari non poſſit, arbitrii libertas, rerumque contingentia negari debeat.

Hujus argumenti vim, quod apud Stoicos celebre fuerat, optimè agnovit Cicero (*a*), atque de-

(*a*) *de Fato*.

deinde variis Scripturæ authoritatibus vividiùs adhuc illuſtrarunt Theologi; cùmque argumentum ipſum diluere, ſive divinam præſcientiam cum futuris rerum eventibus, vel libero voluntatis arbitrio conjungere, vel conciliare niterentur, mirum certè in quas hypotheſes abjere: quæ licèt alibi fuſiùs, & oportuniùs explicatæ jam fuerint ubi de ſcientiâ Dei loqueremur, juverit tamen hìc etiam aliqua ſolùm obiter attingere, ut clariùs libertatis origo oſtendatur.

X. Plures itaque in illâ ſententiâ, vel opinione verſantur, ut Dei cognitionem invariabilem eſſe velint, neque tamen humanam libertatem lædi, nec ab illâ fieri poſſe arbitrantur, ut actus humani liberè, vel contingenter non eveniant, quòd cognitionem illam ab ipſis actibus jam liberè futuris pendere velint, neque res ideo futuras exiſtiment quia a Deo cognitæ, vel definitæ jam fuerint, ſed potiùs illas a Deo cognoſci, vel definiri, quia a Deo in liberis hominum voluntatibus veluti futuræ cognoſcebantur. Illi nimirum exiſtimant Deum ab æterno nitidâ, ac infinitâ comprehenſione accuratiſſimè exploraſſe quid homines ipſi in variis loci, temporis, rerumque circumſtantiis ſolis arbitrii viribus, atque flexibili voluntatis potentiâ eſſent facturi; cùmque in ipſis hominum voluntatibus veluti cauſſis futuros omnes hominum actus prævidiſſet, hac ſcientiâ duce hunc potiùs quàm alium actum futurum certò, ac invariabili decreto definivit. Ejuſmodi verò cognitio, quæ a ſcientiâ *ſimplicis intelligentiæ* diſtinguitur, ab illâ nimirum, quâ Deus poſſibilia in ſeipſo, vel omnipotentiâ propriâ cognoſcit, & ſimul etiam a *ſcientiâ viſionis*, quâ nimirum Deus futura, vel

exiſtentia a ſe decreta, vel immutabili decreto conſtituta contemplatur, *ſcientia media* appellatur, quæ ſingulos hominum actus liberè futuros in ipſis hominum voluntatibus ſcrutatur.

Ac negari certè non poterit, quin hac hypotheſi liberum voluntatis arbitrium cum divinâ præſcientiâ mirificè non conſpiret, atque invariabilis ipſa Dei cognitio nihil libero, vel contingenti humanorum actuum eventui detrahat; quippe quæ actus ipſos non potiùs futuros, quàm non futuros efficiat, ſed jam liberè futuros a ſola hominum voluntate dependentes extrinſecè contemplatur.

XI. Tantum tamen abeſt, ut ejuſmodi concordiæ, vel ſcientiæ genus admitti poſſit, ut potiùs hypotheſis illa, cui innititur, veluti falſa, & abſurda manifeſtiſſimè demonſtretur. Humana ſiquidem voluntas adeo indifferens eſſe debet, ut nihil actualiter velle, vel operari illa poſſit, niſi priùs ab ipſo Deo veluti primâ cauſsâ excitata, vel applicata fuerit ad operandum; ideoque tantum abeſt, ut Deus ab æterno coniicere, vel contemplari potuerit quid homo ſolis arbitrii viribus facturus eſſet, ut nitidè potiùs, clariſſimèque cognoverit hominem nihil efficere, vel cogitare unquam poſſe, niſi indifferens illa arbitrii vis præviâ, ac efficaciſſimâ divinâ motione, ſive decreto determinetur; quod quidem clariſſimis alibi, certiſſimiſque rationibus, & Scripturarum authoritatibus demonſtratum eſſe putamus, ut ab ingenuo Philoſopho, veræque doctrinæ amatore negari non poſſit. Innumeris itaque Scripturæ locis, atque rationibus erudimur, quod omnia, quæ in rerum naturâ ſubinde fieri conſpicimus, & ipſi quoque liberi, vel contingentes humanæ voluntatis actus ita ab

æter-

æterno decreti, vel definiti fuerunt, ut non aliâ ratione, nec aliâ de cauſsâ fieri poſſint, niſi quòd ab æterno invariabili divino decreto ſancitum eſt, ut fierent; quod invariabilis divina cognitio ab invariabili ſui decreto dependet, in quo omnia tam neceſſaria, quàm libera veluti medio contemplatur; quod denique liberæ voluntates humanæ in ſingulis actibus præviâ, phyſicâ, efficaciſſimâ divinâ motione applicantur ad operandum, neque priori motioni reſiſtere, diſſentiri, vel ad oppoſitum inflecti poſſunt, niſi novâ motione excitatæ, vel applicatæ fuerint ad reſiſtendum.

Quæ ſi vera cenſeri debeant, ut ipſi certè cum meliori, antiquiori, nobiliorique Philoſophorum, ac Theologorum parte veriſſima fore putavimus, quis non intelligat humanæ libertatis arbitrium non adeo facilè intelligi, & explicari, ſive cum invariabili, prævio, indeclinabili divinæ voluntatis decreto conciliari poſſe? quemadmodum certè Calvinus, Lutherus, atque Janſenius, cum divinæ gratiæ, ſive motionis efficaciſſimæ neceſſitatem agnoſcerent, arbitrii libertatem vel prorſus deletam, vel maximè vitiatam, ac imminutam eſſe dixerunt; Pelagius verò, Semipelagiani, & qui nuper illorum veſtigiis inſtitere, cùm liberum arbitrium admitterent, intrinſecam gratiæ vim, divinæque præmotionis neceſſitatem negarunt. Atque ejuſmodi difficultatem non modò nos ipſi ingenuè profeſſi ſumus cum de præviâ divinâ motione loqueremur, ſed clariſſimis etiam Scripturæ locis, & Auguſtini authoritatibus demonſtravimus.

XII. Exinde tamen hæc celeberrima Auguſtini, Thomiſtarum, vel noſtra hypotheſis reii-

ci non debet, ſed illa potiùs mirificè confirmatur. Illa ſiquidem characteres omnes habere, conſpicitur, qui ſæpius veræ ſententiæ, vel hypotheſi a Sacris Literis tribuuntur. Quid enim aliud Apoſtolus dum flexibilem arbitrii libertatem cum divinâ gratiâ conjungere nititur, frequentiùs inculcat, quam quod *incomprehenſibilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus* [a], quod omnia ex *altitudine ſapientiæ, & ſcientiæ Dei* pendent, ut in divinæ voluntatis abyſſo veluti abſcondita deliteſcant? Quid aliud Auguſtinus aſſeruit quàm Deum *miro, & ineffabili modo* ipſas hominum voluntates indeclinabiliter, inſuperabiliter trahere; & hanc quæſtionem *ubi de libero arbitrio voluntatis, & Dei gratiâ diſputatur, ita ad diſcernendum difficilem eſſe ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia, videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri* (b).

Quid denique aliud innumeris aliis tum Scripturæ, tum Conciliorum authoritatibus evidentiſſimè demonſtravimus, quàm Deum ab æterno ſingula decreviſſe, res non aliter fieri, vel evenire poſſe, quàm ſicuti a Deo definitæ, ſive decretæ jam fuerint, liberè tamen illas contingere, ſive perfectam in homine libertatem ſupereſſe, quâ actus ejuſmodi a Deo decretos, atque invariabiliter futuros, ipſa liberè producere, vel non producere poſſit, præviam nempe, ac efficaciſſimam Dei motionem cum arbitrii libertate conjungi *.

XIII.

(a) *Rom. c. 11. v. 33.* (b) *de gr. c. 47. & contr. Julian. IV. c. 8.*

* Quocirca nullo modo cogimur aut retenta præſcientia Dei tollere voluntatis arbitrium aut retento voluntatis arbitrio Deum negare futurorum præſcium. Sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter, & veraciter confitemur. *Aug. II. de hær. Pelag. c. 1. & III. de lib. arb. cap. 3.*

XIII. Quamvis itaque debilibus mentis humanæ viribus admirabilis illa concordia, ſive connexio nitidè non cognoſcatur; ſi tamen alterâ ex parte clariſſimis, certiſſimiſque rationibus oſtendatur præviam, & inſuperabilem hanc Dei vim admitti oportere, neque tamen hominis libertatem auferre, quid eſt cur miram, ac ineffabilem hanc concordiam agnoſcere, ſive fateri dubitemus? ſi illa in altitudine ſapientiæ, & ſcientiæ Dei veluti abyſſo quadam deliteſcit, ſi ex infinitâ Dei, atque omnipotentiſſimâ poteſtatê veluti fonte dimanat, quis eam ſubtiliùs inquirere, ſive nitidiùs intelligere poſſe ſe putet, niſi ſe divinæ ſapientiæ theſauros, divinæ potentiæ vires intellectu complecti, vel circumſcribere poſſe temere, atque impudentiſſimè glorietur? Cæterùm ſi qui fortaſſe concordiam ejuſmodi aliquâ ratione complecti velit, illud ſibi maximè perſuadeat, quod ad perfectam humanorum actuum libertatem, ut homo nimirum liber, indifferens, propriorum actuum dominus ſit, nihil aliud requiritur, niſi ut operetur cum velit, non operetur ſi non velit; *hoc* ſiquidem *quiſque in poteſtate habere dicitur, quod, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit* [a]; Hæc autem omnia nitidè, clariſſimèque verificantur, etiamſi phyſicâ previâ motione voluntas hominis applicari debeat ad operandum; ita nimirum Deus voluntatem applicat, ſive determinat, ut ipſa quoque ſeipſam applicet, atque determinet; *facit* enim Deus *ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati* (b); *facit ipſe quæ vult, tamen hoc non facit niſi per ipſorum hominum voluntates ſinè dubio habens humanorum cordium* *quò*

(a) *Aug. de ſpir. & lit. c. 31.* (b) *de corr. & gr. c. 14.*

quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, magiſque habens in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas; cum deni-que *Deus vult aliquid fieri in hominibus, quod nonniſi volentibus hominibus fieri oportet, inclinantur eorum corda ut hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui miro, & ineffabili modo in ipſis hominum voluntatibus operatur & velle* (a).

XIV. In hoc itaque Pelagium, Calvinum, Lutherum, Janſenium alioſque falli jam diximus, quod ipſi in homine talem libertatem admittendam eſſe putaverint, quæ a Deo non dependeat, ſive quâ liberum hominis arbitrium a præviâ divinâ motione excitari, vel applicari non poſſit; ideoque, cùm libertatem hujuſmodi in homine agnoſceret, gratiæ vim negavit Pelagius; cùm divinam motionem admitterent, arbitrium ſuſtulerunt Calvinus, Lutherus, atque Janſenius. Nos verò non modò Sacris Literis, ſed ipsâ quoque naturali ratione eruditi eam ſolùm in homine ſive ante peccatum, vel poſt peccatum ipſum libertatem agnoſcimus, quæ a Deo dependeat, atque a Deo flexibilis, vel applicabilis ſit; ut nullâ ratione ſeipſam applicare, determinare; nihil eligere, ſive reſpuere poſſit niſi priùs efficaci, ac præviâ divinâ motione applicata fuerit ad volendum. Sed hæc alibi fuſiùs, & oportuniùs ubi de voluntate, ſive motione divinâ diſſeruimus.

XV. Quod ſi fortaſſe rationes illæ ſubtiliores, obſcurioreſque ſint, quàm ut nitidè cognoſci poſſint, ideoque tranquillum, paccatumque animum efficiant, juverit poſtremò hanc hominis libertatem, plenamque arbitrii vim experi-

ri-

[a] *de præd. Sanct. c. 5.*

rimento ipſo clariſſimè demonſtrare. Quis enim ſeipſum, vireſque proprias intimo quodam ſenſu conſiderans, in quolibet actu ita ſe liberum eſſe non ſentiat, ut ſi velit operetur, ſi nolit non operetur; eamque prorſus arbitrii libertatem, ſeu voluntatis dominium non exerat, quod exerere perfectè poſſet, ſi Deus ipſe ad humanos actus nihil omnino concurreret? Quis unquam hominum anteactæ vitæ curſum tacitâ quadam, & ſincerâ ſerie accuratè relegens, ſi voluptate, ſi pravis affectibus, ſi ſenſuum illecebris delinitus malum fortaſſe fuerit operatus, ita ſe malum elegiſſe, vel operatum eſſe non ſentiat, ut ſeſe malum non eligere, non operari potuiſſe clariſſimè intelligat? Quis denique in ſingulis actibus, variiſque loci, temporis, rerum circumſtantiis, quodcumque objectum ſibi vividè proponatur, inferioremque hominis partem alliciat, non ita ſe tamen perfectè liberum ſentiat, ut objectum illud amplecti, vel non amplecti poſſit, ſenſuum illecebris reſiſtere, aſſentiri vel diſſentiri liceat, & amorem aliò convertere; aut certè ſi ſpiritus vividâ ſenſibilium cupiditate, ac rebelli carnis impetu in malum abripiatur, divinam opem inquirere, ac implorare non poſſit, quam ſingulis hominibus ille ſe daturum eſſe promiſit, qui frequentiſſimè nos hortatur *petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis* (a)?

XVI. Quod ſi quis id accuratè conſiderans, ſe aliquando liberum non fuiſſe, ſe diſſentiri vel reſiſtere non potuiſſe, ſibi denique oranti, petenti, quærenti, ac pulſanti gratiam defuiſſe comperiat, is gratiam ipſam, quâ ſæpiſſimè eſt abuſus, quâm

(a) *Luc. c. 11. v. 9.*

quàm toties oblatam reſpuit, ſibi modò negatam juſtiſſimè indoleat; aut, quod fieri certè non poterit, ſi nunquam gratiam prior ipſe deſeruit, ſi nunquam gratiâ eſt abuſus, ſi nunquam ultrò oblatam gratiam rejecit, is demum queratur ſe non liberè, ſed neceſſariò peccare, ideoque ſe intelligat nullius eſſe peccati reum, nullaſque peracti ſceleris pœnas daturum. Iniquum ſiquidem eſt, atque ab infinitâ divinæ juſtitiæ perfectione prorſus abhorret, ut ille peccati pœnas ſuſtineat, qui liberè non peccaverit, ut etiam non peccare potuerit. *Dicere autem peccare ſinè voluntate magnum deliramentum eſt; & peccati reum teneri quemquam quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem ſi illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ non voluntate faciunt, ideſt ſi libero ad faciendum motu animi carent, ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato eorum teneri non poſſumus* (a). *

XVII. Quemadmodum verò nemo peccare, pœnamque mereri poteſt niſi indifferens, liberque fuerit, ita quoque laudari, præmium mereri, vel obtinere non poterit, qui perfectè liber non fuerit, hoc eſt ita bonum non elegerit, utpotuerit etiam bonum reſpuere, malumque amplecti; unde ad merendum, vel demerendum non ſola libertas a coactione, ſed libertas etiam a neceſſitate, vel indifferentiæ requiritur. Hoc certè ſæpiſſimè Scriptura docet, dum illum laudari, vel coronari teſtatur, *qui potuit tranſgredi; & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit* (b); atque Auguſtinus innumeris in locis

(a) *Aug. de duab. anim. c.* 12. (b) *Eccl. c.* 31. *v.* 8.

* Nulla culpa deprehendi poteſt ubi natura, neceſſitaſque dominatur. *Aug. III. de lib. arb. c.* 22. *& de vera relig. c.* 14.

locis expreſsè docet, quod *animæ rationali dedit Deus liberum arbitrium; ſic enim poſſet habere meritum ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus. Cum ergo oporteret non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, oportebat ut Deus animæ daret liberum arbitrium* (a) *ſicuti non neceſſarios, ſed voluntatis defectus juſta pœna conſequitur* [b].

XVIII. Id unum poſtremò dicendum ſupereſt unde flexibilis illa, ac indifferens arbitrii vis in homine oriatur, ſive quæ ſit humanæ libertatis origo; ſimulque oſtendendum, quod ejuſmodi libertas in homine admitti debet. Quod ut uberius intelligatur, juverit id ex ipſo humanorum actuum principio, ſive naturâ repetere. Itaque quilibet humanus actus a duplici potentiâ, nimirum ab intellectu ſimul, ac voluntate ita pendet, ut illarum utraque in illo exerendo admirabili fœdere conjungatur; priùs enim objectum aliquod ab intellectu cognoſcitur, ipſius bonitas, utilitas, jucunditas, convenientia, vel amabilitas percipitur, deinde verò voluntas hac objecti bonitate, vel amabilitate ſibi propoſitâ excitatur, & allicitur ad operandum, ſive ad objectum ipſum amplectendum, juxta celebre effatum illud quod *nihil volitum quin præcognitum*, & quod *voluntas ultimum intellectûs judicium ſequitur*; undè quò vividior, ac vehementior eſt bonitas, & amabilitas, quæ in objecto percipitur, & amorem excitat, major etiam, & fortior illa vis eſſe debet, propenſio, ac veluti pondus, quo voluntas in amabile objectum ipſum inclinat.

XIX. Flexibilis itaque, ac libera arbitrii vis partim ab intellectûs cognitione, partim etiam

(a) *lib. contr. Fort. diſp.* I. (b) *id. de Civ.* XII. *c.* 8.

etiam a voluntatis amore, vel propenſione deducitur. Ab intellectu quidem, qui non ſemper eadem objecta conſiderat, ſed ex unius objecti cognitione ad objectum aliud repente convolat; ideoque etiam voluntatem ipſam, ejusque amorem, ex objecto aliquo in objectum aliud deducit. Quin etiam intellectus unum, idemque objectum vario ſubinde modo contemplatur, variamque, ac inæqualem in ipſo bonitatem, ac amabilitatem conſiderat: ut exempli gratia, ſi fervido ſenſuum impetu abripiatur, poterit in objecto maximam amabilitatem apprehendere, quæ ſedato deinde ſpirituum motum prorſus evaneſcit; unde videmus eadem objecta diverſam prorſus in pueris, adoleſcentibus, adultiſque viris ſpeciem imprimere, quòd diverſo modo ab intellectu concipiantur, ideoque etiam diverſo modo languidiùs, aut vividiùs voluntatem allicere, determinare, vel impellere poſſint ad operandum. Altera deinde libertatis cauſſa, & origo reperitur in voluntate, ut nempe voluntas ipſa ex naturâ propriâ, vel ex boni, quod diligit, conditione libera ac indifferens eſſe debeat. Cùm enim voluntas ad bonum veluti objectum proprium dirigatur, omne illud amare, ſive complecti poteſt, in quo bonitas, aut amabilitas reperiatur, ſive certè quod ab intellectu noſtro veluti bonum concipiatur; ideoque, ſicuti nullum eſt objectum ſive res, in quâ bonitas aliqua, vel amabilitas non reperiatur, aut certè ab intellectu concipi, vel apprehendi non poſſit, ita nullum eſt objectum, aut res, quæ a voluntate amari non poſſit; unde illa appetendi, vel amandi vis, & potentia, quæ voluntati convenit, infinita quodammodo videtur eſſe, cùm ad infini-

finita, hoc eſt ad omnia bona ex naturâ propria dirigatur, nullo peculiari bono ſatietur, ejuſque cupiditas in nullo finito bono quieſcat, nullumque bonum, vel objectum excludat, ſed omnia potiùs, & ſingula complectatur. Cùm itaque objectum, vel bonum aliquod voluntati ab intellectu proponitur, poterit quidem voluntas ab illius bonitate, vel amabilitate, quæ ſemper finita, ac limitata eſſe debet, allici, in illud inflecti; cùm tamen voluntas ipſa ex naturâ propriâ non ad ejuſmodi ſolùm bonum, ſed ad quodlibet etiam aliud dirigatur, atque alia plurima ſint, quæ propriâ bonitate voluntatem allicere, excitare, ſive movere poſſunt, voluntas in primi boni, vel objecti amore ſemper indifferens erit, ac libera, ut ab illius amore ad bonum aliud convertatur; & quemadmodum ubi voluntas quodcumque bonum elegerit nunquam illo ſic perfici, ſive ſatiari poterit, ut bonum aliud appetere, & jam electum reſpuere ſubinde non poſſit, quòd nimirum inſatiabilis, ac infinita voluntatis cupiditas unico finito bono compleri, vel extingui non poſſit, ita quoque quodcumque bonum illa ſic eliget, ut illud ipſum reſpuere, vel non eligere potuerit, in quo perfectiſſimæ libertatis character, atque natura conſiſtit.

XX. Quod ſi voluntas quodcumque bonum finitum, atque creatum liberè amare debet quia ad illud unum naturâ ſuâ non dirigitur, atque in illo infinitam bonitatem, infinitæ ſuæ cupiditati parem non reperit, bonum tamen in communi non liberè, ſed neceſſariò diligere debet, ad quod veluti objectum adæquatum ingenito pondere inclinatur; quemadmodum etiam neceſſariò non liberè Deum amare debet, ubi infini-

finitam ipſius bonitatem clarè, diſtinctèque cognoſcat, ipſam nimirum ſummi boni, in quo omne bonum, vel infinita bona continentur, naturam nitidè contempletur. Hinc Beatorum mentes neceſſariò Deum diligunt, cumque in illius amore omnis voluntatis cupiditas perfectiſſimè quieſcat, & uberrimè ſatietur, ac infinitâ voluptate perfundatur, non poterit objectum, vel bonum aliud appetere: unde etiam ſequitur, quod illo amore Beati nihil merentur, ſicuti æterno Dei odio nihil demerentur damnati quòd illorum voluntas in perenni mali amore neceſſariò determinata, ſive miſerrimè confirmata ſit.

XXI. Cæterùm, ſi rationibus, & argumentis ejuſmodi, quibus humanæ voluntatis libertas aſſeritur, divina quoque Scripturarum, vel Conciliorum teſtimonia attexenda forent, plurima certè, atque clariſſima afferri illa poſſent, præſertim ex Conciliis illis, quæ contra Pelagianos, alioſque gratiæ, vel arbitrii everſores celebrata ſunt: atque in primis etiam ex Tridentinâ Synodo, quæ contra Lutherum, atque Calvinum definivit *liberum arbitrium motum, & excitatum a Deo cooperari aſſentiendo Deo excitanti, & vocanti, poſſe diſſentire ſi velit, nec veluti inanime quodam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere*, ut hæreticis illis videbatur; quemadmodum etiam ſequenti canone hæreticum eſſe definit, qui *liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſinè re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam;* quæ ſingula Lutherus, atque Calvinus aſſerere non erubuerant. Cui quidem Tridentinæ Synodi decreto non modò veterum Conciliorum, ſed apertiſſima, quoque

Scriptu-

Scripturæ authoritas præluxerat, ubi Deus Cain peccato, praviſque affectibus irretitum alloquens ait *ſub te erit appetitus tuus*, *& tu dominaberis illius (a)*; ſicuti alibi docet quod *Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui (b)*; & expreſſiùs id exponens, ſive flexibilem voluntatis potentiam inculcans ait *appoſuit tibi aquam*, *& ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam (c)*, quibus, aliiſque innumeris teſtimoniis erudimur etiam poſt originale, vel actuale peccatum plenam, liberamque agendi, vel non agendi potentiam, ſive arbitrii libertatem in homine remanere. Quin etiam ex teſtimoniis ipſis celebre libertatis diſcrimen, ſive diviſio a Theologis eſt derivata, quâ libertas ipſa, quæ in homine reperitur, alia *contradictionis*, alia *contrarietatis* vocatur. Libertas contradictionis dicitur illa, quâ voluntas alterutrum ex contradictoriis eligere, vel amplecti poteſt, operari nempe, vel non operari, amare, vel non amare; libertas verò contrarietatis eſt illa, quâ voluntas ad alterutrum ex contrariis objectis inclinat, ideſt ad bonum, vel malum, ad amorem, vel odium, quod aquæ, & ignis, vitæ, vel mortis nomine in Scripturis exprimitur: unde etiam voluntatis actus *omiſſionis*, vel *commiſſionis* vocari meritò ſolent; quia nempe voluntas aliquando non operatur, id quod operari deberet; aliquando verò operatur id, quod non operari deberet, hominiſque perfectio non ſolùm requirit ut ipſe non operetur malum, ſed etiam ut bonum ipſum producat juxta celebre præceptum illud *diverte a malo*, *& fac bonum (d)*. Quamvis

(a) *Gen. c. 4. v. 7.* (b) *Eccleſi. c. 15. v. 14.* (c) *ibi. v. 17.* (d) *Pſal.*

vis tamen in homine duplex hæc libertas maniſeſtiſſimè deprehendatur, ad eſſentiam tamen libertatis requiritur ſola libertas contradictionis. Certè Deus ipſe liberrimus eſt, neque tamen ipſius voluntas ad bonum, vel malum indifferens eſſe poteſt, ſed solùm poteſt bonum aliquod operari, vel non operari, aliquod producere, vel non producere; ſicuti Apoſtoli, qui in gratiâ confirmati jam fuerant, liberrimè bonum operabantur, etſi malum operari, ſive peccare non poſſent. Sed hæc alterius loci meritò videbuntur. Hìc enim de ſolâ libertate illâ, vel arbitrio diſſerimus, quod in hominibus in hac mortalis vitæ conditione reperitur, ideoque illos in bonum, & malum æquali ferè pondere inclinat, niſi quod in malum potiùs tacitâ, ac vehementi vi, vel propenſione abripitur, ut paullo ſuperiùs oſtendimus, ac uberiùs etiam oſtendetur, ubi de affectibus, ſive de animi paſſionibus diſſeremus.

XX. Atque hæc de humanæ libertatis exiſtentiâ, viribus, & origine dicta ſint. Qui plura deſiderat, illa, quæ a nobis in Metaphyſicâ, aut ab Auctoribus aliis uberrimè diſputantur, adire poterit. Hæc tamen ſatis futura videntur, ut exinde humanorum actuum bonitas, atque malitia inferiùs oſtendatur; illud iterum, quod hujus celeberrimæ quæſtionis, omniſque Moralis caput eſt, altè cordi, atque animo infigi debet, quod actus omnes, qui ad creata, vel particularia bona diriguntur, ita voluntarios, ac liberos eſſe, ut ab humanâ voluntate exeri, vel non exeri poſſint; ut ſi proinde voluntas aliquid, prævià cognitione operetur, id illi adſcribi, imputari, meritòque tribui debeat.

CAP.

CAP. III.

De iis, quæ libertati, ſeu voluntario opponuntur, nempe de ignorantia, metu, & concupiſcentia.

I. SEd explicatâ jam libertatis origine, ſive ratione cur actus humanæ voluntatis liber, ac indifferens eſſe poſſit, illa nunc exponenda, vel differenda nobis occurrunt, quibus libertas illa ita vitiari, vel minui, vel prorſus auferri poteſt, ut actus ille involuntarius appelletur. Cùmque libertas ipſa partim ab intellectu, partim a voluntate oriatur; partim nimirum a cognitione, ſive judicio, quo objecti bonitas, honeſtas, atque amabilitas voluntati ab intellectu noſtro proponitur; partim a flexibili voluntatis arbitrio, quæ in utramque partem dirigi, objectum ipſum amplecti, vel reſpuere poteſt, manifeſtiſſimè apparet involuntarium partim ab intellectu, partim a voluntate pendere: quatenus nempe minuitur, vel aufertur objecti cognitio; ſive minuitur, & aufertur etiam flexibilis illa arbitrii vis, atque in unam potiùs quàm alteram partem dirigitur. Hinc celebri, conſtantique Philoſophorum omnium ſententiâ involuntarium ab errore, vel ignorantiâ, vel a metu, vel a concupiſcentiâ producitur, ideoque ab Ariſtotele (a) definitur *involuntarium id, quod fit vel vi, vel ignorantia;* un-

(a) *Eth. Nic. III. c. 1.*

unde de iis omnibus ita nunc breviſſimè differemus, ut nitidè intelligatur quomodo ab ejuſmodi cauſſis arbitrii libertas, ideoque humanorum actuum bonitas, ſive malitia varietur.

II. Atque, ut ab errore, vel ignorantiâ exordiamur, illa definiri ſolet *carentia*, ſive *privatio cognitionis;* eademque ſpectari poteſt ſive reſpectu illius, in quo reperitur, & qui ignorare dicitur; ſive reſpectu rei, quæ ignoratur; ſive denique reſpectu modi, quo illa in voluntatis actum influit, ut ille voluntarius, vel involuntarius ex cognitione, vel ignorantiâ fieri dicatur.

Si ignorantia primo modo conſideretur quatenus in intellectu, vel homine reperitur, illa diſtingui ſolet in *vincibilem*, & *invincibilem*. Vincibilis, vel ſuperabilis ignorantia vocatur illa, quæ facilè, ac mediocri diligentiâ vinci, vel ſuperari poteſt; ideoque, ſi quis illam vincere, vel ſuperare non curet, eadem ignorantia *ſupina*, vel *affectata* vocari ſolet; ſupina quidem, aut craſſa ſi quis adeo iners ſit, ut illa addiſcere, ſive cognoſcere negligat, quæ proprii muneris eſſe debent, ſive quæ propriæ conditioni, ſtatui, vel officio conveniunt; affectata verò dum non modò illa cognoſcere negligit, ſed etiam curat, atque ſollicitus eſt ne ſibi invito oſtendantur; ſibique media, vel inſtrumenta eripit, quibus facilè erudiri poſſet; illi propemodum ſimilis, qui non modò res, & objecta conſpicere contemneret, ſed oculos etiam ita clauderet, ne ultro oblatam lucem, & objecta intueri cogeretur.

III. His ita poſitis, vel explicatis clariſſimè ſequitur qod error ille, vel ignorantia, quæ invincibilis ſit, libertatem, ac voluntarium perimit; ideoque, quæ cum ignorantiâ, vel ex errore invincibili fiant, neque libera, neque pro-

inde imputabilia ſunt. Si enim libertas oritur ex prævià cognitione, vel intellectûs judicio, nihilque volitum eſſe poteſt, quin præcognitum fuerit, atque voluntas non liberè ſed neceſſariò judicium ultimum intellectûs ſequi debet, ſi denique intellectus ipſe aliter de re judicare, errorem vitare, vel ſuperare non poteſt, ideoque non liberè, ſed neceſſariò errore abripitur, etiam voluntas ipſa non liberè, ſed neceſſariò in objectum ipſum ſibi ab intellectu propoſitum feretur, ideoque voluntatis actus involuntarius erit, ac ipſi imputari non poterit.

IV. At, ſi error, & ignorantia vincibilis ſit, facilè nimirum vinci, vel ſuperari potuerit, hæc libertatem lædere, involuntarium actum efficere, ideoque a peccato excuſare non poterit. Si enim quis errorem, quem facilè ſuperare poteſt, ſuperare contemnit, quin etiam conſultò, deditâque operâ nititur ut in errore perſiſtat, error ipſe, vel ignorantia libera, & voluntaria erit; ideoque quidquid ex errore voluntario oriatur, vel ex hac ignorantiâ dependeat, ſimiliter liberum, ac voluntarium cenſeri debet. Sic ex. gr. qui intelligat ſe legem violare poſſe, vel ſubinde malum operari niſi legem ipſam, operiſque naturam, & circumſtantias optimè inquirat, hic ubi legem inquirere, circumſtantias explorare contempſerit, ſive in errore perſiſtere liberè, atque conſultò voluerit, cenſetur etiam legem violare voluiſſe. Qui dum ebrietate premitur, vel a furore abripitur ita ſe mentis impotem fieri experiatur, ut plura contra legem, ac honeſtatem efficiat, ſi liberè, ac voluntariò in ebrietatem, aut iram labatur, liberè quoque, vel voluntariò cenſeri debet actus illos voluiſſe, quos cum ebrietate, vel irâ con-

junctos eſſe cognoverat. Hinc actus illi, etſi actualiter cogniti, vel in ſe liberi non ſint, liberi tamen, vel cogniti *in cauſsâ* dicuntur, quòd cognita, & liberè volita ſit illa cauſſa, ex quâ effectus illi ſequantur; unde Scriptura homines illos vituperat, atque admiſſi ſceleris reos expreſsè docet, qui ex hac ignorantiâ vincibili peccaverint, eumque iniquum eſſe teſtatur, qui *noluit intelligere ut bene ageret*, atque ab Alexandro VIII. Rom. Pont. inter alias perditorum hominum opiniones hæc etiam damnata fuit quod *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale quamtumvis grave in eo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum;* quemadmodum in hoc ipſo ſenſu damnata jam fuerat in Concilio Dioſpolitano Pelagii ſententia, quod *oblivio, & ignorantia non ſubjacent peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem.*

V. Quod ſi ignorantia ſecundo modo, ſive reſpectu rei ignoratæ conſideretur, illa diſtingui ſolet in *ignorantiam juris*, & *ignorantiam facti*. Ignorantia juris eſt illa, quâ quis ipſum jus, legemque ignorat, quid nempe fieri debeat, quid lege vetitum, præſcriptumque ſit: ut ſi quis propriæ Religionis dogmata, regni leges, muneris, vel conditionis officia ignoret. Ignorantia facti dicitur illa, quâ, licèt aliquis leges optimè noverit, quid vetitum, præſcriptumque ſit cognoſcat, ignorat tamen an actus iſte peculiaris ab illa lege reſpiciatur, ſive legi oppoſitus haberi debeat. Hinc ignorantia facti longè facilior, & frequentior eſt, atque in illis etiam conſpicitur, qui leges omnes optimè no-

verint. Cùm enim facti alicujus, vel actûs humani bonitas, legumque vis à variis temporis loci, perſonæ, rerumque circumſtantiis ita dependeat, ut ſi illarum aliqua varietur, ipſa quoque legum vis, & actûs bonitas variari ſubinde debeat, vix, ac ne vix, quidem certò deprehendi, vel definiri poteſt, utrum actus iſte legibus in tali caſu, vel circumſtantiis ſubiiciatur *.

Si quis itaque adhibitâ morali diligentiâ ut hanc ignorantiam facti ſuperet, ab illâ tamen, vel ab errore liber non ſit, ſed facti ignorantiâ operetur, involuntariè malum operatur ideoque malum ipſi imputari non poteſt, ſed a peccato excuſatur; ſicuti certè in Sacris Literis ab adulterii ſcelere excuſatur Abimelech, qui cùm Saram Abrahami ſororem, non verò ſimul uxorem quoque eſſe intellexiſſet, ipſam ſibi uxorem accipere meditabatur.

VI. Longè difficilior eſt ignorantia juris, ideoque difficiliùs libertatem adimere, involuntarium actum efficere, vel a peccato excuſare illa poteſt; cùm facilè intelligi, deprehendique poſſit quid lege vetitum, ſive ſancitum ſit. Ac de naturali quidem jure, vel æternâ lege, quæ ſingulis hominum cordibus inſcripta dicitur, nulla invincibilis ignorantia concedi ſolet, ut quod bonum ſit amandum, malum fugiendum; alteri fieri non liceat, quod ſibi fieri nemo vellet, aliaque id genus plurima, quæ præcepta pri-

* In omni parte error in jure non eodem loco, quo facti ignorantia haberi debebit, cùm jus finitum, & poſſit eſſe, & debeat facti interpretatio plerumque etiam doctiſſimos fallat. *Dig. lib. XXII. tit. 6. leg. 2.*

Regula eſt juris quidem ignorantiam cuique nocere; facti verò ignorantiam non nocere. *Dig. ibi leg. 9.*

primæ claſſis, ſive prima Moralis principia vocari ſolent, ut alibi demonſtrabitur. Invincibilis quoque ignorantia dari non poteſt de præceptis illis, quæ in Decalogo continentur, quæque ſecundæ claſſis, vel ſecundi generis appellantur, quippequæ ex primis, vel ex ipſo rationis lumine nitidè deducantur, atque cum iis arctiſſimè, vel intimè conjungantur, ut fuſiùs, & opportuniùs Cap. 7. & 8. oſtendetur ubi de divinâ, ac humanâ lege diſſeretur. Secus verò de præceptis tertii generis, quæ nempe paullo obſcuriora ſunt, longâque ſerie ex aliis inferuntur, quemadmodum etiam de humano jure, quod liberè ex Principum arbitrio præſcribitur, invincibilis ignorantia admitti poterit; ideoque actus illi, qui ex culpabili, vel ſuperabili juris ignorantiâ fiunt, neque libertatem minuere, neque actûs humani malitiam excuſare poterunt; ſicuti certè libertatem hanc adimet, omnemque culpæ labem auferet ignorantia, vel error ille, qui inculpabilis, vel inſuperabilis fuerit.

VII. Si denique ignorantia ipſa, vel error cum opere, vel actu comparetur, ſi nimirum conſideretur ille modus, quo ignorantia in actum influit, vel ad actum ipſum conducit, hæc in *antecedentem*, & *concomitantem* diſtinguitur. Antecedens ignorantia dicitur illa, quæ ita voluntatis determinationem, vel actum ipſum præcedit, ut efficaciter in ipſum influat, atque voluntas ex ignorantiâ ipſâ veluti conditione inclinetur ad operandum; ideoque, niſi ignorantia præcederet, actus ille non fieret, ſive voluntas ab operando deſiſteret. Sic ex. gr. dum Lamech Cainum inter arbuſta latitantem occidit, cum feram eſſe putaret, ita ex ignorantiâ operatus eſt, ut ſi re vera hunc homi-

nem

nem non feram eſſe cognoviſſet, certè ab infligendo vulnere, vel emittendo telo abſtinuiſſet. Ignorantia verò concomitans vocatur illa, quæ etſi voluntatis actum præcedat, non eſt tamen illius cauſſa, atque ita voluntas ab hac ignorantiâ movetur ad operandum, ut, etiamſi error, & ignorantia auferretur, tamen voluntas ipſa ab opere non deſiſteret; ut ex. gr. ſi quis interim dum hominem ſibi infenſum perimere mediatur, telum inter arbuſta emittat feram occidere volens, ſed revera hominem ipſum ibi fortuitò latitantem occidat, etſi tali jactu hominem occidere non voluerit, vel hominem eſſe ignoraverit, etiamſi tamen hominem eſſe cognoviſſet, telum nihilominus hominem occiſurus projeciſſet. Plerique addere ſolent aliud ignorantiæ genus, quam *ſubſequentem* appellant, quæ nimirum aliquem voluntatis actum ſequatur, ideſt liberè volita, electa, quæſita fuerit; ſed cùm ejuſmodi ignorantia ſubſequens ab affectatâ, vel ſuperabili minimè diſtinguatur, hìc iterum repeti, vel uberiùs explicari non debet.

VIII. Porrò clariſſimè apparet, quod ignorantia antecedens ita libertatem perimit, vel involuntarium actum efficit, ut omnem prorſus ab illo peccati labem excludat; neque enim voluntas actum eligeret, niſi ignorantiâ, vel errore abriperetur; vel tota cauſſa cur voluntas operetur eſt error ille, qui invitam, nihilque tale cogitantem inflectit, ſive determinat ad operandum.

Ignorantia verò concomitans nihil voluntario, vel libertati detrahit, ideoque nihil peccati labem extenuat. Quamvis enim error, & ignorantia concomitans non ita determinet voluntatem ut ab ipsâ voluntas veluti ab occaſione in-

inclinetur ad operandum, ipſam tamen voluntatem ſic affectam, & inclinatam eſſe ſupponit, ut quamvis etiam error abigeretur, eundem tamen actum voluntas exereret, vel actum ipſum quem ignorans producit, liberè quoque, & ipſius conſcia produceret. Unde hoc inſigne quoque diſcrimen inter ignorantiam antecedentem, & concomitantem conſtitui poteſt, ut quæ ex ignorantiâ antecedente producuntur, ita producantur, ut ubi peracta, vel admiſſa fuerint dolorem, & pœnitentiam excitent, atque, ſi fieri poſſet, voluntas illa infecta vellet; quæ verò ex ignorantiâ concomitanti fiunt, non dolorem, & ægritudinem, ſed aliquando potiùs lætitiam excitent; ut voluntas, ſi illa jam fortuitò, vel inconſultò facta non forent, eadem liberè, conſultòque iterum faceret; quamvis etiam de iis, quæ ex ignorantiâ antecedente facta fuerint, poſſit aliquando voluntas deinde delectari.

IX. Quemadmodum verò libertas ab ignorantiâ minuitur, vel prorſus etiam perimitur, quod ab illâ cognitio, ſive judicium intellectûs ita auferatur, ut ipſa proinde voluntatis electio impediatur, ita quoque metu libertas vitiatur, quòd in metu flexibilis, ac indifferens arbitrii vis in unam potiùs, quàm alteram partem inclinetur, ſive ad unum potiùs, quàm ad alterum objectum dirigatur. Hinc vis, & coactio, quæ a Juris Conſultis optimè definitur *major rei impetus qui repelli non poteſt*, atque intrinſecæ voluntatis propenſioni opponitur, involuntarium actum efficere exiſtimatur. Cùm tamen non quilibet metus vim inferat, nec etiam metus quilibet libertatem auferre poteſt; ideoque explicari nunc debet, quæ vis, ac metus libertatem minuere, vel etiam extinguere fortaſſe poſſit.

X. At-

X. Atque illud inprimis veluti certum haberi debet, quod internis actibus voluntatis nulla vis inferri poteſt, ideoque quilibet actus, qui a voluntate quocumque modo producatur, ſemper voluntarius eſſe debet. Si enim actus ille voluntarius vocatur, qui a voluntate producitur, in quem voluntas inclinat, ſive qui a voluntate elicitur, certè quocumque modo, vel occaſione voluntas inclinetur ad operandum, ſemper voluntariè operabitur; alioquin nolens vellet, cuperet refugiendo, odiret amando, in quo maniſeſtiſſima contradictio reperitur. Hinc Deus ipſe, qui miro, & ineffabili modo in ipſis hominum voluntatibus operatur & velle, & de voluntatibus hominum quod vult, & cum vult facit, habens ſinè dubio cordium humanorum quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, poteſt quidem voluntatem ex nolente volentem efficere, vel ipſam ex unâ volitione & amore, in amorem alium, ſeu volitionem transferre; non tamen efficere poteſt, ut illa nolens velit, ideſt aliquem actum producat, qui voluntarius non ſit. Quod ſi Deus ipſe prima voluntatis humanæ cauſſa, ſupremuſque dominus voluntatem cogere, vel interioribus, & propriis ejuſdem actibus vim inferre non poteſt, multò certè minùs id poterit quæcumque creata cauſſa, quæ ſupra voluntatem nullum dominum habere, vel exercere poteſt; atque præſertim illa, quæ corporea ſit, ideoque voluntati ſubjecta quodammodo cenſeri poterit. Hinc vinculis quidem, minaci tyranni vultu, verberibus, ac ipsâ morte corpus terreri, vinciri, cogi, vel ſtringi poteſt, animus tamen, atque voluntas reſiſtere, ac reluctari poteſt, & illum

Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni Men-

Mente quatit ſolidâ, ſed

——————*ſi fractus illabatur orbis*

Impavidum ferient ruinæ; (a)

ut de Catone dixit Poeta

——————*cuncta terrarum ſubacta*

Præter atrocem animum Catonis, (b)

quidquid denique fato, ſive caſu contingat, eadem tamen voluntas ſententiæ, ſive propoſiti tenax conſtantiſſimè perſiſtat, ut olim

Victrix cauſſa Diis placuit, ſed victa Catoni. (c)

XI. Exterioribus tamen, ac imperatis actibus vis inferri poteſt, iis nimirum, qui a voluntate quidem imperantur, & eliguntur, ſed ab exterioribus tamen corporis viribus, ſive potentiis exercentur. Poterit enim ab extrinſecâ vi, contra voluntatis deſiderium, & propenſionem ita corpus impelli, ſive moveri; ut actum illum extrinſecùs exerat, a quo voluntas ipſa prorſus abhorreat, ſive actum oppoſitum illi, quem voluntas liberè, ac propriâ, vel intrinſecâ ſui propenſione eligeret. Unde exterior actus ille, qui in corpore producatur, quandiu in voluntate oppoſita propenſio, vel interior actus oppoſitus perſeverat, coactus, & involuntarius cenſeri debet; ideoque, cùm bonitas, & malitia ſolùm in actu libero, non verò coacto, vel neceſſario reperiri poſſit, exterior actus ille neque moraliter bonus, neque malus eſſe poterit. Quod ſi extrinſeca vis illa non modò corpus adigat, & impellat, ſed ipſam quoque voluntatem ſenſim alliciat, & inclinet, ut tandem voluntas ipſa interiori actu idem eligat, quod ab extrinſecâ, urgente, violentâ cauſsâ ſibi proponitur, actus ille partim

vo-

(a) Horat. lib. III. ode 3. (b) Id. II. ode 1. (c) Lucan. . .

voluntarius, partim involuntarius cenſeri poterit; ita nimirum voluntas ipſum eligit, ac in ipſum inclinat, ut ſi fieri poſſet, ipſum non vellet, ſepoſito nempe timore, vel extrinſecâ vi non eligeret; ita operatur, & objectum illud amplectitur, ut non amplecti, vel declinare deſideret. Sic ex. gr. mercator, qui obortâ tempeſtate mortis inſtantis timore merces in mare projiciat, liberè quidem, ac voluntariè ipſas projicit, non projecturus tamen ſi tempeſtas aliter ſedari, ſive mors declinari poſſet. Qui prædoni mortem minitanti pecunias erogat, vitamque pecuniâ redimit, voluntariè pecuniam elargitur, non daturus tamen ſi prædonis vim effugere, ſive dilabi poſſet. In his itaque, aliiſque innumeris exemplis, quæ afferri poſſent, duo mala voluntati proponuntur, quorum utrumque illa refugit, vel ab utroque abhorret. Si tamen alterutrum neceſſariò ſubeundum ſit, voluntas ipſa in minus vel levius malum, quod ſibi tunc veluti bonum proponitur, ita inclinat; ut illud eligat, ac liberè amplectatur; unde actus ille, quo minus malum amplectitur, *ſimpliciter*, *efficaciter*, *abſolutè* voluntarius vocatur, *ſecundum quid* verò, & *inefficaciter* involuntarius *.

XIII. Hinc manifeſtiſſimè apparet quod metus, quicumque ille ſit, ſive ut a Juriſconſultis optimè definitur, *inſtantis*, *vel futuri periculi cauſſâ mentis trepidatio* (a), libertatem omnem non adimit, neque involuntarium actum efficit, ſed ſolùm flexibilem arbitrii vim minuit, ſive minùs voluntarium actum reddit, ideoque pec-

(a) *Lege ait Prætor. §. quod metus cauſſa.*

* Mixtæ igitur hujuſmodi actiones cum ſint, ſpontaneis tamen magis ſunt ſimiles quippe cum eligendæ ſint tunc cum aguntur. *Ariſt. Eth. Nic. lil. c. 1.*

peccati labem extenuat. Cùmque voluntas ex naturâ propriâ ſemper bonum, aut certè ex duobus malis, quæ ſibi propoſita fuerint, minus malum veluti bonum amplecti debeat, facilè intelligitur, quod nullo metu, nec ullo doloris, & mortis etiam timore inflecti, vel excuſari debet, ſi divinam, æternamque legem violaverit. Cùm enim divinæ legis tranſgreſſio, Dei injuria, peccatum, ac æterna mors, quæ peccatum ipſum veluti pœna conſequitur, longè gravius, majuſque malum ſit, quàm dolor, & mors, ſi illa cum dolore, vel morte comparetur nunquam veluti minus malum, vel bonum cenſeri poterit, ideoque a voluntate eligi non poterit; unde qui metu peccaret, leviùs quidem peccaret, quàm qui dedita operâ, ultròque ſcelus admitteret, ab ipsâ tamen peccati, vel ſceleris labe excuſari non poſſet *. Secus verò de humanis legibus, atque externis actibus, qui ad vitæ ſocietatem, & officia pertinent, cenſeri debet. In iis enim ſi metus non quicumque, vel levis, *& vani hominis*, *ſed qui meritò in hominem conſtantiſſimum cadat*, ſive *metus majoris mali* ut Labeo (*a*) interpretatur, interceſſerit, actus ille veluti involuntarius, nullus, & irritus cenſeri ſolet, ideoque a ſervandâ lege vel ab obligatione liber, & immunis exiſtimatur: unde celebre reſponſum illud Romani Prætoris apud Juriſconſultos, *quod metûs cauſsâ ge-*

(*a*) *Leg. ait Prætor. ff. Quod metus cauſſa.*

*Ob nonnulla laus quidem minimè, ſed venia exhibetur, cum ea, quæ non debet, agit quiſpiam ob ejuſmodi, quæ ab humana natura excedunt, & a nullo ſuſtinerentur: quædam autem fortaſſe ſunt, ad quæ perpetranda nemo cogi, compellique poteſt, ſed potiùs extrema quæque pati, ac mori convenit. *Ariſt. ib.*

geſtum erit, ratum non habeo, & effatum illud apud Theologos, quod *Eccleſia*, ſive Eccleſiaſtica lex *non obligat cum gravi incommodo*, gravis nimirum, ac evidentis incommodi metu eccleſiaſticæ legis vim, & obligationem ceſſare. Sed hæc alibi fuſiùs ubi de divinâ, ac humanâ lege, earumque vi, vel obligatione differetur.

XIII. Aliqua poſtremò de concupiſcentiâ, vel affectibus adjungi debent, quibus libertas ipſa minui, vel actus involuntarius fieri exiſtimatur. Cùm enim humanis affectibus tanta plerumque vis eſſe poſſit, ut hominem voluptatis illecebris delinitum in ſenſibilium rerum amorem vel invitum abripere illi ſoleant, atque flexibilem arbitrii vim in malum ſibi vividiùs propoſitum adigere, libertas ipſa ita concupiſcentiâ, vel affectibus lædi, vel extingui videtur, ut actus ille, qui ex affectu, ſive concupiſcentiâ fiat, involuntarius exiſtimetur. Hinc Apoſtolus querebatur *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati* (a); quemadmodum univerſaliter Divus Jacobus aſſerit, quod *unuſquiſque tentatur a concupiſcentiâ ſuâ abſtractus, & illectus* (b).

XIV. Ex iis tamen, quæ ſuperiori Capite diximus, inferri, vel demonſtrari facilè poterit, quod affectus illi, peccati fomes, ſive concupiſcentia libertatem non adimunt, neque proinde involuntarium actum efficiunt. Quamvis enim poſt primi parentis peccatum proni ſint ſenſus hominis in malum, atque in nobis animales ſpiritus, & imagines excitentur, quæ nos in ſenſibilium rerum amorem vehementer alliciant,

(a) *Rom. c. 7. v. 23.* (b) *epiſt. c. 1. v. 15.*

ciant, & frequenter etiam abripiant, certiſſimum tamen, perſpectumque eſt, quod humana voluntas, purior nempe, ac ſuperior hominis pars, ejuſmodi illecebris reſiſtere, diſſentiri, aliò amorem convertere, & oppoſitum amplecti poteſt; unde, ſi aſſentiri potiùs, quàm diſſentiri voluerit, liberè, ac voluntariè aſſentietur; ideoque actus ille ſimpliciter, & abſolutè voluntarius cenſeri debet. Leviùs tamen fortaſſe ille peccaverit, qui gravi tentationis vi, vel affectûs impetu abſtractus, & illectus peccaverit, quàm qui nullo invitante, deditâ operâ, ſoloque perditæ voluntatis arbitrio legem violaverit: unde communiter dici ſolet, quod leviora ſunt *infirmitatis*, quàm *malitiæ* peccata: cùm in illis voluntas affectibus, carniſque illecebris, vel concupiſcentiæ liberè cedat, atque ſuccumbat; in his verò voluntas ipſa affectus, & concupiſcentiam ſollicitet, additiſque veluti ſtimulis ad peccandum excitet, ſive ex peccato affectum, & voluptatem inquirat.

XV. Fieri tamen aliquando poteſt, ut affectuum vi libertas, & voluntarium non modò minuatur, ſed ita quoque adimatur, ut involuntarius actus ſequatur. Quando nimirum aliquis ita ſubito, ac vehementi animi, vel potiùs corporis affectu movetur, & concitatur, ut nullum conſilio, deliberationi, vel cognitioni locum relinquat, ſed actum exerat, qui proinde ex defectu præviæ cognitionis involuntarius cenſeatur. Sic ex. gr. ſi quis ab aliquo lædatur ita repente naturali quodam, ac improviſo ſpirituum animalium motu excitatur, ut nihil cogitando, nullâque præviâ cognitione lædenti alapam, vel vulnus etiam infligat; quemadmodum ferè qui labitur, repentè, vel inconſultò manum extendit.

dit. Ejuſmodi motus, qui a corporeis ſpiritibus juxta Mechanicæ leges excitatis in corpore producuntur, & omne mentis humanæ judicium, ac voluntatis deliberationem præveniunt, *motus primo-primi* a Theologis appellantur; quemadmodum alii, qui plenum quidem, perfectumque, non omnem tamen voluntatis conſenſum præcedunt, *primo-ſecundi*, vel *ſemi-pleni* dicuntur; ideoque ſicuti primi perfectè, ſive ſimpliciter, involuntarii vocantur, ita ſecundi voluntarii quidem ſimpliciter, ſecundum quid autem involuntarii, hoc eſt minùs voluntarii cenſentur, unde etiam leviùs a legibus puniri, ſive faciliùs excuſari ſolent. Sed de his, aliiſque pluribus, quibus humanæ voluntatis libertas, ideoque actuum bonitas, ſive malitia minuitur, in Diſp. III. Cap. 6. fuſiùs adhuc, & illuſtriùs loquemur ubi de Affectibus humanis, illorumque vi diſſeremus.

CAP. IV.

De humanorum actuum bonitate, & malitia.

I. QUæ de humanorum actuum bonitate, ſive malitiâ præſenti Capite dicturi ſumus clariſſima fore putamus ſi illa perſpecta jam fuerint, quæ ſuperiori loco expoſuimus. Cùm itaque nihil frequentiùs aſſeri, vel in Ethicâ repeti ſoleat, quàm humanæ voluntatis actus bonos, vel malos eſſe, Ethicam de bonitate, vel malitiâ diſſerere, hominem ad beatitatem bonis actibus dirigi, malis ab ipsâ deflectere, illud hìc nitidè conſtitui, vel explicari debet in quo bonitas ejuſmodi, ſive malitia conſiſtat;

ſiſtat; unde oriatur; quove diſcrimine boni a malis actibus diſtinguantur: quod ut clariùs intelligi, deprehendique poſſit, varias bonitatis ideas, variaſque Philoſophorum ſententias exponemus, ut exinde melior, ac veriſimilior eligatur.

II. Bonum itaque duplici modo ſpectari, ſive conſiderari poteſt, *phyſicè* nimirum, vel *metaphyſicè*, & *moraliter*; unde bonum, aut bonitas alia phyſica, vel metaphyſica, alia moralis vocatur. Bonitas phyſica eſt illa perfectio, quæ phyſicè, ſive realiter in quolibet ente reperitur, vel entitas ipſa rei quatenus a voluntate appeti, vel diligi poteſt; unde illud ab Ariſtotele definiri jam diximus id, quod omnia appetunt, vel appetere poſſunt; illud nimirum, quod ab humanâ voluntate inquiri, ſive amari poteſt; unde quodlibet ens, cùm entitatem aliquam habeat, aliquam etiam bonitatem phyſicam habere debet, ideoque bonitas phyſica *tranſcendentalis*, vel inſeparabilis quædam entis proprietas illi arctiſſimè, & neceſſariò conjuncta cenſeri ſolet. Et certè, ſicuti quodlibet ens phyſicum divinum, ac infinitum eſſe Divinam nempe naturam participat, ita quoque divinam, ac infinitam bonitatem, ſive perfectionem illud participare debet, ut in quolibet ente creato tenuis quædam divinæ bonitatis pars, atque veſtigium veluti impreſſum effulgeat. Bonitas verò moralis eſt illa perfectio, quæ in ente, vel bono phyſico ab aliquâ cauſsâ veluti adjuncta, vel ſuperaddita reperitur, quâ mores ipſi, vel humanæ voluntatis actus dirigi, vel perfici poſſent: unde inter phyſicam, ac moralem bonitatem hoc inſigne diſcrimen reperitur, quod bonitas phyſica veluti proprietas quædam, atque perfectio entis phyſici inſeparabiliter illi conjuncta, ſive cum illo *identificata* concipi debet;

bo-

bonitas verò moralis eſt veluti modus, perfectio; ſive proprietas, quæ enti liberè ab aliquâ cauſsâ ita ſuperadditur, ut illi non ſuperaddi, vel ab illo ſeparari quoque potuerit. Itaque Deus veluti prima, ac ſuprema cauſſa, a quâ veluti fonte, primâque origine quodlibet ens producitur, poterat enti a ſe producto bonitatem, & perfectionem aliquam imprimere, quæ illi phyſicè, realiter, inſeparabiliter adhæreret; vel, ſi accuratiùs adhuc loqui velimus, dum liberè aliquod ens crearet, ſe nimirum aliquâ ratione communicaret, debuit illi enti perfectionem aliquam, vel bonitatem imprimere, aliquam nempe infinitæ ſuæ bonitatis partem communicare; cùm impoſſibile certè ſit Deum entitatem propriam, ſimulque propriam perfectionem, quæ entitati inſeparabiliter conjungitur, vel ab illâ non diſtinguitur, non tribuere. Cùmque ſimiliter Deus inter entia creata liberam hominis voluntatem liberè produxiſſet, quæ varios, & oppoſitos actu eligere, operari vel non operari poterat, Deus ipſe rebus, vel entibus phyſicis a ſe creatis, entitatem aliam, bonitatem, vel perfectionem adjungere, vel ſuperaddere potuit, cujus amore liberi voluntatis actus meliores, perfectioreſque forent, iiſque libera, flexibilis, ac indifferens voluntatis vis, cupiditas, & impetus coerceretur: & quemadmodum ex bonitatis phyſicæ, quæ in objecto phyſico inſeparabiliter, ac veluti primariò reperitur, amore voluntas ipſa phyſicè perficitur; ita ex bonitatis, vel perfectionis moralis, quæ in eodem ente, vel objecto phyſico ex hac hypotheſi, inſtitutione, vel ſecundariò reperitur, amore, voluntas ipſa moraliter perficeretur.

III. Quemadmodum itaque voluntas *in eſſe phyſico*, vel ex naturâ propriâ ingenito veluti pon-

dere ad bonitatem phyſicam dirigitur, unde illius propenſio, vel actus phyſicè bonus vocatur; ita quoque voluntas ipſa *in eſſe moris*, ſive moraliter, dependenter nimirum ab inſtitutione divinâ, ad bonitatem moralem dirigitur, unde illius propenſio, vel actus moraliter bonus, aut, ſi voluntas ab ejuſmodi morali bonitate liberè deflectat, moraliter malus appellatur. Hinc maniſeſtiſſimè apparet bonitatem moralem, quæ in voluntatis actibus deprehenditur, oriri, vel dependere ab ordine, ſeu relatione ad bonitatem moralem, quæ in objecto reperitur; ideoque a lege, ſive decreto, quo Deus bonitatem illam huic potiùs quàm alteri actui, huic, vel alteri enti ſuperaddidit; ſicuti moralis malitia a privatione illius ordinis, vel relationis quam voluntatis actus ex divinâ lege habere deberet: unde ſequitur, quod actus ille moraliter bonus eſſe, vel dici debet, qui ad bonitatem illam moralem enti ſuperadditam dirigitur, ſive ordinem illum habet, qui a Deo humanis actibus eſt conſtitutus; ille moraliter malus, qui bonitate morali careat, vel ab ordine voluntatis actibus conſtituto deflectat; ille denique indifferens, qui neque ad bonitatem moralem dirigitur, neque ab illâ deflectit; qui neque ordinem illum exequitur, neque deſtruit; cui nempe nulla moralis bonitas, ordo, vel finis eſt conſtitutus, qui denique nullâ lege, ſive decreto dirigitur.

IV. Ab hac opinione, ſive doctrinâ, quæ alioqui clariſſima, atque certiſſima haberi debet, illi diſſidere, vel diſſentiri videntur, qui bonitatem ipſam, ac honeſtatem quibuſdam actibus intrinſecè inhærere putant, ut independenter a quacumque lege, vel ordine illi boni, vel mali

li eſſe debeant: ut, etiamſi nulla divina lex, nullus ordo, nulla relatio conſtituta fuerit, ipſi tamen per ſe invariabiliter, ac neceſſariò boni, ſive mali cenſeri debeant *; aut etiamſi divinâ lege prohibiti, ſive præſcripti fuerint, non ideo mali cenſeri debeant quia prohibiti ſint, ſed potiùs ideo prohibiti quòd naturâ propriâ ſic mali forent, ut nunquam liciti, vel boni eſſe poſſent. Hinc celebris illa juris, ordinis, ſive legis diſtinctio in jus æternum, & naturale, quod divinum neceſſarium appellant, ac jus divinum voluntarium, vel liberum oriri debuit. Itaque Sapientes illi jus naturale, ex quo humanorum actuum bonitas, atque malitia derivat, a libero divinæ voluntatis decreto ita diſtinguunt, ut illud ab ipſo Deo variari non poſſit; ideoque *jus naturale adeo immutabile ſit, ut ne a Deo quidem mutari queat; & ſicut ut bis duo non ſint quatuor ne a Deo quidem poteſt effici, ita ne hoc quidem, ut quod intrinſecâ ratione malum eſt, malum non ſit. Nam ut eſſe rerum poſtquam ſunt, & quà ſunt aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ eſſe illud neceſſariò conſequuntur: talis autem eſt malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam ſanctâ ratione utentem* (a), quod deinde Grotius non modò ex Ariſtotele, verum etiam ex variis divinæ Scripturæ locis confirmat.

V. Si tamen res accuratiùs expendatur, atque alterutra opinio nitidè declaretur, utraque mirificè conſentire, ac ſolo nomine, vel explicandi modo diſſidere videtur; aut certè poſterior illa Grotii, aliorumque ſententia falſa, minùſque accurata cenſeri debet.

 Si

(a) *Grot. de jure belli, & pac. lib. 1. c. 1. num. 10.*

* *Stoici putabant* natura jus, non poſitione exiſtere, ſicut & legem, & rectam rationem. *Laer. VII. ſ. 128.*

Si enim velint humanorum actuum bonitatem, ſive malitiam ita humanis actibus intrinſecam eſſe, ut a Deo, ſive divina voluntate non pendeat; ſi nimirum æternam legem, ac jus naturale concipiant veluti principium quoddam, quod independenter a divinâ voluntate actus humanos dirigere, vel homines obligare poſſit, plurimùm fortaſſe falluntur, cùm nihil effingi poſſit, quod a liberâ divinâ voluntate non pendeat; nec ulla res ita potiùs quàm aliter eſſe debeat, niſi quia Deus hoc potiùs, quàm alio modo ipſam creare voluerit: cùm præſertim bonitas moralis a bonitate, vel entitate phyſicâ diſtinguatur. Nihil ſimiliter concipi, vel effingi poterit, quod humanâ voluntate ſuperius ſit, & illam dirigere, vel obligare poſſit, niſi ſolus Deus, a quo ſolùm veluti ſummo auctore, primoque principio creaturæ ſingulæ ad finem dirigi, inflecti, vel applicari debent.

Quod ſi jus naturale, vel æternam hanc legem non aliud eſſe velint niſi divinæ voluntatis imperium, quo naturam hominis hoc potiùs, quàm alio pacto creare conſtituit, ideoque ipſam ad hunc potiùs, quàm alium finem dirigi, hos potiùs, quàm alios actus exerere, hoc potiùs quàm alio modo operari voluit, perinde eſt; ſic enim bonitas humanis actibus intrinſecè inhærens, inſeparabiliter conjuncta, vel actus ipſi neceſſariò, ac invariabiliter boni dicentur non abſolutè, ſed ex hypotheſi, ſuppoſito nimirum quod Deus hoc potiùs, quàm alio modo humanam naturam creaverit, ideoque ad finem huic naturæ debitum, vel convenientem direxerit; ut quemadmodum a ſolâ liberâ voluntate pendet ut hanc homo indolem, ſive naturam acceperit, ita ex hac liberâ hypotheſi ad hunc finem eidem natu-

naturæ debitum dirigatur, ideoque ab hac ſolùm hypotheſi actus humani boni, vel mali cenſeri poſſunt.

VI. Nec alia certè fuiſſe videtur Grotii ſententia, dum jus naturale, vel æternum definiens *jus naturale*, inquit, *eſt dictatum rectæ rationis indicans actui alicui ex ejus convenientiâ, aut diſconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali, ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab auctore naturæ Deo talem actum aut vetari, aut præcipi. Actus, de quibus tale extat dictatum, debiti ſunt, aut illiciti per ſe; atque ideo a Deo neceſſariò præcepti, aut vetiti intelliguntur: quâ notione diſtat hoc jus non ab humano tantùm jure, ſed & a divino voluntario, quod non ea præcipit, aut vetat, quæ per ſe, ac ſuapte naturâ aut debita ſunt, aut illicita; ſed vetando illicita, præcipiendo debita facit.* Ubi jus naturale, quod divinum neceſſarium appellat, a jure divino voluntario diſtinguit, quod non ſolùm abſolutè, ſed etiam ex hypotheſi voluntarium eſt; neque ad naturam, finemque hominis ſemel conſtitutum neceſſariò ſequitur, ſed ſemper a liberâ Dei voluntate dependet. Eadem quoque clariùs, & expreſsè docet inferiùs ubi dicit quod ſicut *eſſe rerum poſtquam ſunt, & quà ſunt, aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ eſſe illud neceſſariò conſequuntur: talis autem eſt malitia quorumdam actuum comparatorum ad naturam ſanctâ ratione utentem*, unde paucis interjectis aſſerit *eſſe aliquid juris naturalis, ſi oſtendatur rei alicujus convenientia, aut diſconvenientia neceſſaria cum naturâ rationali, ac ſociali;* ac ſi proindè jus naturale, æterna lex, ac bonitas illa, ſive malitia, quæ humanis actibus intrinſeca, neceſſariò connexa vocari ſolet,

let, ab ipsâ divinâ lege, ſeu voluntate repeti debeat, quâ Deus naturam hominis rationalem, atque ſociabilem eſſe voluit, ideoque ad finem rationi debitum, vel ad actus ſocietati aptiſſimos ordinavit.*

VII. Hinc intelligi, vel inferri facilè poterit jus naturale æternam legem vocari, ejuſque regulas æternæ veritatis, atque immutabiles eſſe oportere, quòd Deus ab æterno naturam hominis hac potius non aliâ ratione creare decreverit, & ipſam hoc potiùs, quàm alio modo operari voluerit. Cæterùm an Deus aliâ ratione naturam hominis condere, ad alium finem dirigere potuerit; ideoque jus naturale mutari poſſit, ut ea, quæ in hac hypotheſi bona ſunt, in alterâ hypotheſi mala forent, alii viderint, qui hæc ſubtiliùs, atque fortaſſe inutiliùs etiam inquirunt. Nobis illius bonitatis, atque malitiæ originem oſtendiſſe ſufficiat, quæ naturæ noſtræ, ſeu voluntatis actibus ineſſe debet: illam nimirum in ſolo ordine vel relatione conſiſtere, quam habent actus ipſi ad æternam legem, vel jus naturale, de quo in ſequenti Capite diſſeremus; malitiam verò, vel pravitatem in ſolâ privatione ejuſdem ordinis, aut relationis, quâ actus ipſi ex hypotheſi, ſive inſtitutione divinâ, vel ſi malueris ex naturâ propriâ habere deberet.

VIII. Nihil eſt autem cur argumenta illa nunc fuſiùs congeramus, quibus Ariſtoteles Plato, aliique Philoſophi intrinſecam bonitatem, ſive malitiam humanis actibus ineſſe volunt, cùm in ſapientiſſimi Grotii verbis ſuperiùs expoſi-

* Nihil natura juſtum eſſe, aut honeſtum, vel turpe; ſed conſuetudine, ac lege. *Cyrenaici apud Laer. II. ſ. 93.* Juſtum, & turpe non natura conſtare, ſed lege. *Archelaus apud Laer. II. ſ. 16.*

poſitis illa contineantur, aut certè facilè dirimi, ſolvique poſſint; ut quidquid in aliorum hypotheſi verificatur, in noſtrâ quoque ſententiâ mirificè demonſtretur.

Itaque cum ait Ariſtoteles (a) actus aliquos reperiri, qui neceſſariò, ac invariabiliter mali, pravique ſint; alios etiam, qui conſtanter, ac invariabiliter boni eſſe debeant, a quibus nimirum bonitas, ſive malitia divelli, vel ſeparari non poteſt, reponi facilè poterit illorum actuum bonitatem, ſive malitiam non aliunde oriri, quàm ab ipsâ hominis naturâ, quæ hac potiùs, quàm aliâ ratione a Deo conſtituta fuerit; ideoque ab ordine, vel connexione, quæ inter ejuſmodi actus, & ſanctam, ſociabilem, rationalem hominis naturam ex liberâ quidem, ſed invariabili divinâ voluntate reperitur.

Si dixerint actus aliquos communi populorum omnium conſenſione malos appellari, ideoque illos intrinſecè, ac invariabiliter bonos eſſe oportere; reſpondebitur nationes omnes, variis licèt, diverſiſque moribus diſſidentes, eâdem tamen naturâ, eodemque rationis lumine præditas eſſe; ideoque illarum ſingulas intelligere, quid hominum naturæ conveniens, ſive repugnans ſit; quis actus humanam, ſociabilem, ſanctamque naturam deceat; quis ab illâ diſſideat: adeoque humanorum actuum bonitatem ab humanæ naturæ indole, vel conditione repetendam eſſe.

Si bonos a malis actibus non extrinſeco, ſed intrinſeco potiùs, ac ingenito diſcrimine diſtingui, vel, ut barbarè loquuntur illi, *ſpecificari* debere putaverint, ideoque bonitatis originem

(a) *Eth. Nic. II. c. 6.*

nem in ipſis actibus reperiri, concedi fortaſſe poterit actuum diſcrimen intrinſecum eſſe debere: ſed hoc etiam in hypotheſi noſtrâ clariſſimè oſtenditur. Quamvis enim quilibet actus ex naturâ propriâ indifferens ſit, ut morali bonitate, ſive malitiâ præditus ſit, cùm tamen ab hac potiùs, quàm ab aliâ naturâ produci, vel exeri; cùm huic potiùs, quàm alteri naturæ convenire debeat, atque ad hoc potiùs quàm aliud objectum ex divinâ lege, vel inſtitutione dirigatur, intrinſecam ferè, ac invariabilem bonitatem, pravitatemque ſortitur. Ceterum ſecluſo quolibet ordine, qui a Deo veluti libero naturæ auctore ſit conſtitutus, actus ipſe nullâ bonitate, ſive malitiâ præditus eſſe concipitur, ut paullo ſuperiùs oſtendimus.

Si denique opponatur intrinſecam, ac ingenitam pravitatem quibuſdam humanis actibus invariabiliter ineſſe, quòd homines ab illis actibus ingenito quodam pudore veluti abhorreant, atque, ubi liberiùs ipſos admiſerint, illos fateri, vel prodere vereantur, aut ſi forſaſſe deprehenſi fuerint, gravis verecundia in illorum vultibus obſervetur; illud in primis reponi poterit, homines hoc ipſo pudore, vel horrore affici debere ubi viderint actus illos ab humanæ naturæ conditione, vel ordine diſſidere, qui a Deo conſtitutus fuerit, etſi independenter ab hoc ordine, ſive naturæ conditione nulla moralis pravitas in humanis actibus reperiatur. Deinde verò quis apertè non videat, pudorem ejuſmodi, ac verecundiam, quâ homines affici ſubinde ſolent, non ex ingenito quodam fonte, vel cauſsâ, ſed potiùs ex ſolâ conſuetudine, animi affectibus, ingenio, atque educatione potiſſimùm oriri? Quis enim

enim ignoret homines aliquos a quibuſdam actibus abhorrere, in quos alii facilè, ac ingenito quodam veluti pondere inclinant? quis ex innumeris exemplis, quæ afferri poſſent, non intelligat, homines aliquos fuiſſe, qui de ipſis etiam actibus pudorem, ſeu verecundiam conciperent, in quibus nulla pravitas effingi poſſit?

Hinc optimè a Seneca *(a)* eſt obſervatum pudorem illum, quo quis afficitur, aliquando prorſus ingenuum, eſſe, ideoque veluti certum ſceleris, atque malitiæ indicium aſſumi non poſſe; quemadmodum Plutarchus ipſe, etſi alicubi dixiſſet peccati horrorem veluti naturæ effectum in hominum animis obſervari *(b)*, alibi tamen elegantiſſimè oſtendit, pudorem [*c*] aliquando prorſus immeritò in hominibus reperiri; ut ſi proinde bonitas, atque malitia ex pudore, ſeu verecundiâ cognoſci, vel inferri deberet, non eadem certè, conſtans, & invariabilis bonitas, aut pravitas in humanis actibus exiſteret; atque ille, qui ſinè pudore, ſeu verecundiâ operatur, ſinè malitiâ quoque, ſeu pravitate operari meritò videretur; quo ſanè nihil abſurdiùs effingi poteſt, cùm potiùs hic pudor honeſtos, graves, & ingenuos homines deceat; perditi verò, ac vitiorum labe adſperſi, vel inquinati aliquam potiùs ex infamiâ, ſive dedecore voluptatem percipere videantur *. Denique ejuſmodi verecundia, quæcumque illa ſit, omniſque pudor ex ſolâ conſuetudine, vel gentium more dependet; ideoque actus illi, qui ſinè verecundiâ apud nationem aliquam fieri non poſſent,

(*a*) *Epiſt.* 11. (*b*) *de virt. moral.* (*c*) *lib. de falſo pudore.*
* Ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos noviſſima voluptas eſt. *Tacit. Ann. XI.* 26.

ſent, abſque ullâ dedecoris notâ, ac pudoris ſenſu a gentibus aliis liberrimè fieri conſueverunt, ut innumeris certè exemplis oſtendi poſſet, ſi id ipſa rei perſpicuitas pateretur. Moralis itaque humanorum actuum bonitas, ſive malitia non ab intrinſeco repeti, ſive deduci debet; ſed potiùs veluti modus, & affectio quædam, ſive proprietas exiſtimari, quæ ex divinâ voluntate oriatur, ſive ex illius naturæ conditione, vel indole, quam Deus hominibus ineſſe voluit: ideoque, ſicuti hominis natura, ſive conditio ſemper eadem, conſtans, & invariabilis eſſe debet, ita quoque humanorum actuum bonitas eadem ſemper, ac invariabilis eſt futura. Sed hæc, aliaque id genus plurima fuſiùs, & opportuniùs ſequenti Capite diſſerentur.

IX. Illud hic obiter addidiſſe juverit, quod ſi moralis actuum bonitas nihil aliud eſſe concipitur, vel eſſe poteſt, quàm modus, & affectio quædam humanis actibus adveniens, vel ſuperaddita ex eo quod ipſi humanæ naturæ convenientes ſint, ideoque bonitas ipſa in hoc ordine, vel convenientiâ conſiſtit, quo humanus actus ad humanam, ſociabilem, ac rationalem naturam veluti finem, ac bonitatis exemplar dirigitur, certè malitia nihil aliud eſſe, vel concipi poterit, quàm pura privatio ejuſdem ordinis, vel convenientiæ; ideoque actus ille malus, pravus, ac inhoneſtus haberi debet, qui ab hoc ordine deflectat, qui naturæ rationali repugnet, qui denique hoc ordine, rectitudine, ſive morali bonitate privetur. Hinc optimè Auguſtinus aſſeruit, quod *malum non eſt niſi privatio boni* [a]; ſive *non aliud eſt niſi a bonita-*

(a) *Conf.* III. *n.* 12. *al. c.* 7. & *VII. c.* 12.

ate defectus (*a*); unde concludit *nemo quærat efficientem cauſſam malæ voluntatis; non enim eſt efficiens, ſed deficiens* (*b*). Ac certè ſi malum ipſum aliquid foret, aliqua nimirum entitas, modus, & affectio realis, illud ab ipſo Deo veluti primâ, ac univerſali cauſsâ fieri deberet, cùm *omnia per ipſum facta ſint, & ſinè ipſo factum ſit nihil* [*c*], atque ille *omnia opera noſtra in nobis operetur* [*d*]; quod profectò divinæ ſanctitati, vel infinitæ perfectioni repugnat; neque Deus peccatum ipſum odiſſe, vel punire poſſet, ſi illud aliquâ ratione produceret, juxta celebre teſtimonium illud nihil *odiſti eorum, quæ feciſti* [*e*].

X. Hinc refelli facilè poterit celeberrima illorum opinio, qui cùm malum aſſererent eſſe modum, ac entitatem, ſive *naturam quandam ſubſiſtentem non ſecus ac bonum* (*f*), duo principia; ſive cauſſas eſſe dixerunt, alterum bonum, a quo bona producerentur; alterum malum a quo veluti fonte mala omnia profluerent. Quæ quidem opinio Maneti præſertim, ejuſque ſequacibus Manichæis, Marcionitis, aliiſque pluribus hæreticis adſcribi ſolet, ut ex Eccleſiaſticâ hiſtoriâ, præſertim verò ex D. Auguſtino, qui hæreſim ipſam, quâ pridem imbutus fuerat, invictiſſimè deinde confutavit, erudimur. Ipſis tamen præluxerant Magi, qui *duo eſſe principia* dixere, *bonum dæmonem, & malum; alterum ex his Jovem, & Oromaſdem, alterum Plutonem, & Arimanium* (*g*); ut eleganter, & copiosè Plutarchus (*h*), atque Leibnitius (*i*) exponit.

(*a*) *Lib. I. contr. Julian. n. 73 al. c. 8.* (*b*) *XII. Civ. c. 7.* (*c*) *Joann. Ev. c. 1. v. 3.* (*d*) *Iſa. c. 26. v.* (*e*) *Sap. c. 11. v. 25.* (*f*) *D. Th. 1. p. qu. 489. art. 1.* (*g*) *Laer. proem. ſ. 8.* (*h*) *lib. de Iſid. & Oſirid.* (*i*) *Eſſais de Theodicèe.*

nit. Quid porrò Philoſophos, & hæreticos illos impulerit, ut malum ipſum veluti realem effectum, ideoque realem ipſius cauſſam a Deo, vel ab homine diſtinctam admitterent, ex illis etiam intelligi poterit, quæ diximus in Phyſicâ generali ubi de cauſsâ primâ, ejuſque Providentiâ, ac bonitate loqueremur. Incredibilis enim malorum varietas, quæ in mundo obſervatur, effrænis, ac ingenita voluptatis cupiditas, quæ humanos animos in malum abripit, peccatum ipſum, quod in ſingulis hominibus regnare, vel liberè dominari conſpicitur, oſtendere videbantur, hæc ab optimo, ſanctiſſimo, humani generis amantiſſimo, beneficentiſſimoque principio oriri non poſſe, ſed ab invido potiùs, maloque dæmone, qui ſingula in hominum perniciem moliendo, ad malum ipſos vel invitos etiam impelleret.

XI. Quàm verò præclarè decepti illi fuerint, quàm temere, impudentiſſimèque Deum, vel principium aliud effinxerint, intelligi poteſt ubi advertamus nullum ens, & effectum eſſe, quod ſimpliciter, & abſolutè bonum non ſit, in quo nimirum bonitas aliqua, ſive perfectio non reperiatur; atque illa a nobis veluti mala concipi, vel appellari ſolere, quæ minùs bona ſint, in quibus nempe minor bonitatis, vel perfectionis ſplendor effulgeat. Quod ſi effectus, vel creaturæ ſingulæ, quæ in hac admirabili rerum compage, vel Univerſo conſpiciuntur, in ſe quidem bonæ, ſive perfectæ ſint, atque a bonâ, ſive perfectâ cauſsâ producantur, hominibus tamen incommodæ, vel noxiæ ſint, ipſiſque mala, vel detrimenta plurima afferre conſueverint, non inde tamen inferri poterit, hæc a malo dæmone, ſive prin-

cipio pendere; ſed potiùs ab ipſo voluntatis humanæ ſcelere veluti infecto ſemine, atque uberrimo fonte deduci debent. Cùm enim primus hominum impoſitam ſibi legem violavit, vetitumque pomum dæmonis inſidiis illectus comedit, non modò puriſſimum originalis innocentiæ ſplendorem extinxit, ſed innumeras etiam dotes, corporiſque bona, quæ ab optimo Artifice receperat, prorſus amiſit; ut, cùm antea nullis incommodis, ægritudinibus, erroribus, inſidiis, doloribus, fraudibus obnoxius foret, atque perenni corporis incolumitate, ac immortalitate frui deberet, omnibuſque rebus, & animalibus tranquillè dominari; juſtiſſimo deinde Dei judicio fieri oportuit, ut ab ipsâ corporis, animique fælicitate excideret, ideoque creaturas omnes ſibi veluti infenſas, experiretur, ac ſi illarum ſingulæ admiſſi ſceleris pœnam ab homine expeterent. Hinc optimè Auguſtinus aſſeruit, quod *malorum omnium noſtrorum cauſſa peccatum eſt, non enim ſinè cauſsâ homines mala iſta patiuntur. Juſtus eſt Deus, omnipotens eſt Deus, nullo modo iſta pateremur ſi non mereremur* (a). * Idque non modò divinâ Scripturarum authoritate, ſed ipſo quoque rationis lumine compertum eſſe, eleganter oſtendit. *Hujus*, inquit, *evidentia miſeria gentium Philoſophos nihil de peccato primi hominis ſive ſcientes, ſive credentes compulit dicere ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vitâ ſuperiore pœnarum luendarum cauſsâ nos eſſe natos, & animos noſtros corruptibilibus corporibus eo ſupplicio, quo Etruſci prædones captos affligere conſueverant, tamquam vi-*

(a) *Ser.* 240. *alias* 139. *de temp. c.* 3.

* Neque enim ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam, niſi mereatur, poteſt. *Aug. lib. I. contr. Julian. c.* 39.

vivos cum mortuis eſſe conjunctos (*a*) . . . ut Cicero proinde *dixerit hominem non ut a matre*, *ſed ut a novercâ naturâ editum in vitam corpore nudo*, *fragili*, *& infirmo*, *animo autem anxio ad moleſtias*, *humili ad timores*, *molli ad labores*, *prono ad libidines*, *in quo tamen ineſſet tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii*, *& mentis*; ſed, ut optimè obſervat Auguſtinus, *rem vidit* Cicero, *cauſſam neſcivit*, *quia ſacris literis non eruditus ignorabat originale peccatum* (*b*). Cum itaque *enumerant Manichæi mala*, *quæ in parvulis monſtrant*, *quæ Cicero quoque commemorat*, . . *atque concludunt dicentes*, *cùm ſit juſtus*, *& omnipotens Deus*, *unde iſta mala patitur imago ejus in parvulis*, *niſi quia vera eſt*, *inquiunt*, *quàm nos aſſerimus*, *duarum naturarum*; *boni ſcilicet*, *malique commixtio*? *hos catholica redarguit veritas confitens originale peccatum*, *per quod factum eſt dæmonum ludibrium genus humanum* *, *& laborioſa miſeria deſtinata propago mortalium* (*c*).

XII. Atque iſta quidem de mali phyſici naturâ, & origine, de quo licèt accurata diſſerere, ad Phyſicam pertineat, aliqua tamen vel obiter dicenda fuerant, cùm plurimi phyſici, atque moralis etiam mali originem ab eodem principio, ſive fonte deducant. Quod verò ad malum ipſum morale, ſive ad peccatum pertinet, in quo ſanè nulla realis entitas, ideoque nulla etiam bonitas, ſive perfectio reperitur, reſponderi faciliùs poteſt, illud non effectum, ſed potiùs defectum eſſe, ideoque non a primâ ſan-

(*a*) *IV. contr. Pelag. n.* 83. *al. c.* 18. (*b*) *ibi. n.* 60. *al. c.* 12. (*c*) *lib. VI. contr. Julian. n.* 67. *al. c.* 21.

* Deus creavit hominem inexterminabilem . . . invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. *Sap. c.* 2. *v.* 23.

ſanctiſſimâ indefectibili cauſsâ, ſed a creatâ ſolùm, liberâ, imperfectâ, ac defectibili hominum voluntate produci poſſe; quæ, licèt ab optimo, ſapientiſſimoque Artifice bona, ſive perfecta creata fuerit, poterat tamen occulto Dei conſilio propriæ libertatis, vel arbitrii viribus ab ordine, vel fine ſibi conſtituto deflectere, ideoque malum amplecti, vel actus illos exerere, qui debito ordine, perfectione, vel bonitate carerent: cùmque jam ſemel ab originali juſtitiâ exciderit, juſtiſſimo Dei judicio nunc pravis affectibus excitatur, ſenſuum illecebris, peccati fomite, concupiſcentiæ ardore in malum ipſum abripitur; ut proinde peccandi cupiditas, ſive *peccati lex*, ut inquit Apoſtolus, quæ in membris noſtris dominatur, atque incredibilis illa peccatorum ſeries, quæ humanos animos miſerrimè infecit, veluti infauſta primi parentis hæreditas, primique peccati fructus haberi debeat. Quod ſi Deus peccatum, quod prohibere certè, vel avertere poterat, potiùs permiſerit, ideoque etiam mala, quæ ex peccato miſerrimè conſequebantur, non inde tamen inferri poterit Deum mali, vel peccati auctorem haberi poſſe. Cùm enim libero, perfectiſſimoque arbitrio operari debuerit, poterat malum ipſum permittere; ſive ut voluntas hominum, quæ ab illo flexibilis, indifferens, ac libera creata fuerat, ad utrum libet liberrimè inflecteretur; ſive ut exinde veluti cauſsâ, vel occaſione majus bonum proflueret (*a*), ut ex tyrannorum rabie Martyrum gloria, fideique confirmatio; ſive ut juſtitiam propriam in infligendis pœnis, puniendiſque ſceleribus oſtenderet;

(*a*) *vid.* D. *Th. in* II. *Diſt.* 32. *qu.* 1. *art.* 1. *&* *Leibnit. Eſſais de Theod. p.* 623.

ſive denique ut alia plurima divinæ ſapientiæ conſilia, occulta illa quidem, ſed optima tamen, juſtiſſima, & perfectiſſima exequeretur. Moralis itaque bonitas, ſive malitia, quæ in humanis actibus reperitur, ex ordine, vel convenientiâ cum hominis naturâ deſumi debet; hoc inſigni tamen diſcrimine, quod bonitas ipſa veluti realis entitas, modus, atque perfectio ab humanâ voluntate, ſimulque a Deo produci poteſt; malitia verò, quæ purum nihil, defectus, ac ſola bonitatis privatio cenſeri debet, a ſolâ defectibili, vel imperfectâ hominis voluntate producitur, ut argumentis, & exemplis aliis in Metaphyſicâ demonſtravimus.

XIII. Exinde verò plurima ſponte veluti ſuâ dimanant, quæ tamen accuratiſſimè obſervari debent. Primò nimirum ſequitur, quod actus humanus *materialiter*, atque *formaliter* ſpectari poteſt. Materialis eſt actus ipſe quatenus phyſicè ſolùm percipitur, neque ad ullum ordinem moralem, ullamque legem refertur, acſi revera nullus ordo, vel nulla lex reperiretur.

Formalis verò quando cum ipsâ lege comparatur, inquiritur nempe utrum cum tali lege, conveniat, vel ab illâ deflectat?

Similiter objectum ipſum, ad quod humanus actus dirigitur, *materialiter*, atque *formaliter* conſiderari poteſt; materialiter nimirum quando concipitur ut aliquod ens phyſicum, in quo bonitas aliqua, ſive perfectio phyſica reperitur, ad quam voluntas phyſicè, præſcindendo a quolibet ordine, vel entitate morali ſuperadditâ, dirigitur; formaliter verò cum in ipſo moralis entitas, ordo, ſive relatio ſuperaddita concipitur, ad quam voluntas ipſa ordinetur.

Hinc humanus actus phyſicè, vel materialiter ſpe-

ſpectatus ſemper phyſicè bonus eſſe debet, aliquam nimirum bonitatem phyſicam habere, quæ entitati, vel eſſe ejuſdem actûs inſeparabiliter conjungatur; at in ordine, vel eſſe moris nullam bonitatem potiùs, quàm pravitatem habere concipitur, ſed prorſus indifferens eſt ut cum illâ conjungatur, ſi nimirum ad entitatem moralem veluti ſuperadditum, ac ſecundarium finem æternâ lege conſtitutum dirigatur. Et certè plurimi actus humani phyſicè producuntur, in quibus tamen nulla pravitas, ſive malitia haberi poteſt; ut ex. gr. qui hominem perimeret in bello juſto, vel ſui defendendi cauſsâ, vel principis juſſu, ſinè ullâ peccati labe id efficeret; quemadmodum actus omnes humani, qui ab hominibus adultis efficiuntur, ita ab infantibus*, ebriis, amentibus, ac brutis etiam exeri poſſunt, ut in iſtis nulla moralis bonitas, ſive malitia reperiatur.

XIV. Ut itaque humanus actus moraliter bonus, vel malus ſit, moraliter ſolùm ſpectari debet, quatenus nempe ad finem aliquem ſibi conſtitutum dirigitur; ut, ſi finem ipſum conſequatur, bonus, honeſtuſque ſit; ſin verò ab illo deflectat, malus cenſeatur. Cùmque finis ille, vel ordo a Deo conſtitutus non modò actum ipſum, quoad ſubſtantiam, ut inquiunt, ſed circumſtantias quoque reſpiciat, varias nimirum temporis, loci, perſonarum conditiones, & accidentia, quæ actum ipſum ſequi, ac veluti circumdare concipiuntur, hinc fieri debet, ut aliquando bonitas, & malitia actûs humani non ex ejuſdem actûs ſubſtantiâ, sed ex circumſtantiis ipſis

* Igitur doli non capaces, ut admodum puberes, excuſati ſunt. *Dig. lib. 47. tit. 12. de ſepulc. violat. l. 3. §. 1. vid. Cuiac. Obſer. lib. VI. c. 22.*

ipſis oriatur. Sic in exemplo allato homicidium non ita divinâ lege prohibetur, ut pro variâ temporis, & loci conditione, fieri non poſſit; aliena rapere non ita vetitum cenſeri debet, ut extremæ neceſſitatis tempore id non liceat; cùm tamen alia plurima ita vetita ſint, ut nunquam in ullâ rerum circumſtantiâ licita cenſeri poſſint, ut odium Dei, mendacium, &c. ſed hæc uberiùs ſequenti Capite explicabuntur.

XV. Illud interim, veluti coronidis, loco attexemus varias a Philoſophis, atque Theologis actûs humani circumſtantias enumerari, ex quibus ejuſdem bonitas, ſive malitia oriatur,

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando

quibus nimirum perſona, actus, locus, inſtrumenta, vel media, finis, modus, & tempus exprimuntur, ut ex illarum varietate, varia, quoque ac inæqualis bonitas, ſive malitia in humano actu reſultet; longèque immanior, ac ſceleſtior exiſtimetur qui patrem occiderit, quàm qui inimicum, vel alienum hominem peremerit; qui centum aureos, quàm qui decem ſurripuerit; ideoque circumſtantiæ ejuſmodi, etſi peccati ſpeciem, ſive naturam non mutent, idem nimirum præceptum violent, graviorem tamen peccati labem efficiunt, unde circumſtantiæ *aggravantes* appellari meritò ſolent.

XVI. Quinetiam circumſtantiæ ipſæ ita humanum actum vitiare ſubinde ſolent,novamque ſive diſtinctam malitiæ labem adſpergere, ut ipſam peccati ſpeciem, ſive naturam immutent, ut plura nempe præcepta violet, vel pluribus virtutibus opponatur. Sic aliquid ſurripiens furtum committit; præceptum violat, quo non furari præcipimur; opponitur juſtitiæ, quâ ſuum cuique tribuendum,

dum, vel relinquendum eſſe jubemur; at, ſi res ſacra, vel quæcumque res in loco ſacro auferatur, gravius, novumque peccatum erit, quod *ſacrilegium* vocatur; violatur enim præceptum aliud, quo res Deo ſacras contingere prohibemur; opponitur virtuti religionis, quâ res ſacras, Deoque dicitas non auferre, profanare, vel profanarum inſtar habere jubemur; ideoque circumſtantiæ ejuſmodi ſpeciem mutare meritò dicuntur, novumque peccatum aliud conſtituere.

Ut itaque actûs humani bonitas, ſive malitia nitidè cognoſci, vel definiri poſſit, omnia accuratiſſimè diſtingui, ſive cognoſci debent, quæ in tali actu reperiuntur, finis nimirum, intentio, objectum, & circumſtantiæ, deinde verò inquirendum quomodo, ſive quo ſenſu actus ille prohibitus ſit, an ordo, relatio, æterna lex a Deo, vel ab hominibus inſtituta hanc potiùs, quàm alteram circumſtantiam reſpiciat: in illâ nimirum parte, quâ actus ordini, vel legi opponatur, ſemper malus haberi debet; ſin verò nullus ordo, vel nulla lex habeatur, quæ actum illum, vel tales circumſtantias complectatur, actus ille ſemper indifferens haberi poterit. Sed hæc oportuniùs variis in locis ubi de legibus, de conſcientiâ, de virtutibus, atque inprimis de prudentiâ agi contigerit, differentur.

CAP. V.

De legibus, illarum neceſſitate, origine, & diviſione.

I. BOnitatem omnem, ſive malitiam, quæ in liberis humanis actibus reperitur, ex ordine, ſive lege, quæ actibus ipſis impoſita, ſive præſcripta fuerit, ita repetendam eſſe jam diximus, ut bonitas ipſa, vel pravitas ex legibus clariſſimè cognoſcatur. Ut itaque facilè intelligi, vel definiri poſſit, utrum aliquis actus bonus, vel malus cenſeri debeat, explicanda nunc ſupereſt legum varietas, vis, & origo; cumque plurimæ leges vel ab hominibus, vel ab ipſo Deo ſint inſtitutæ, illud in primis inquirendum erit, quo ex capite, ac veluti fonte manaverint, quâ de cauſsâ Deus liberum humanæ voluntatis arbitrium legibus ejuſmodi obſtrictum eſſe voluerit.

II. Nec defuere certè Philoſophi, qui leges omnes injuſtas, inutiliter, & immeritò conſtitutas eſſe putarent. Cùm enim intelligerent animi voluntatem liberam adeo, ſive flexibilem eſſe opertere, ut in oppoſitos actus ſeſe liberè inflectere, quodcumque libuerit amplecti, innatis etiam ſenſuum illecebris in ſenſibilium amorem allici, ac ingenito quodam pondere trahi poſſet, immeritò prorſus, ac iniquè factum exiſtimarunt, ut libertas illa legibus, veluti vinculis coerceretur, & contra ingenitam, inditamque ſibi naturæ vim ad unum potiùs, quam ad alterum adigeretur. Alii verò, cùm alterâ ex parte intelligerent liberam, & flexibi-

lem

lem humanæ voluntatis vim, & arbitrium, primi parentis peccato vitiatum, vel penitus extinctum eſſe, nihilque niſi ad peccandum valere, leges ipſas aut ex invidiâ, perdendique hominis deſiderio, aut in peracti ſceleris pœnam ſic inſtitutas eſſe putarunt, ut homo, cùm leges impoſitas neque naturæ, neque gratiæ, quæ deerat, viribus implere jam poſſet, meritò violatæ legis pœnas daturus, æterno ſupplicio deſtinaretur.

III. Utramque tamen opinionem, ſive querelam falſam, & abſurdam eſſe clariſſimè demonſtratur. Quod enim ad vitiatum, vel extinctum libertatis arbitrium attinet, eam arbitrii vim poſt peccatum ipſum ſupereſſe jam diximus, quâ homo legem liberè implere, vel non implere poſſit; ideoque ſi legem liberè violaverit, meritò prorſus pœnam ſubire debeat. Quod verò liberam eſſe voluntatis humanæ naturam, atque ad oppoſita flexibilem aſſerunt, tantum abeſt, ut inde legum inutilitas inferatur, ut exinde potiùs illarum convenientia, ſive neceſſitas oſtendatur.

1. Si enim voluntas hominis libera, atque flexibilis, eſſe debet, neceſſarium eſt, ut ab aliquo inclinetur, ſive determinetur ad operandum; alioquin, ſi temere, & inconſultò, ſi cæco quodam impetu, ſi corporeis ſenſuum illecebris abriperetur ad operandum, illa corporum, vel brutorum inſtar nullâ cognitione, ſive conſilio, nullâ deliberatione operaretur: quod certe ab humanæ, liberæ, nobilioriſque naturæ conditione prorſus abhorret. Neceſſarium eſt itaque, ut voluntas ipſa previâ ratione, ſive rationis ductu operetur, ideoque flexibilem vim ad illa determinet, quæ propriæ naturæ ratio-

nali conveniunt, ad illum nimirum finem dirigat, eumque ordinem aſſequatur, qui ſibi naturâ ipsâ inſeparabiliter eſt conſtitutus, quem nihil aliud eſſe jam diximus, quàm jus naturale, æternamque legem, ex quâ leges omnes veluti fonte dimanant. Alioquin libertas illa, quæ contra naturæ legem, ſive jus naturale operari poſſet, rationem, & naturam ipſam deſtrueret; ideoque qui voluntatis arbitrium nullis legibus adſtrictum eſſe contendat, rationem ipſam, aut rationalem hominis naturam, ejuſque dignitatem everteret.

2. Deinde flexibilis illa arbitrii vis, ac irrequieta ſenſuum cupiditas efficit, ut homo inſatiabili quadam, ac inexplebili cupiditate, vel deſiderio ardeat; idque aſſequi vehementer adeo nitatur, ut oppoſita quæque contemnere ſubinde poſſit. Conveniens itaque, vel neceſſarium maximè fuerat, ut libera agendi vis, vel inſatiabilis illa cupiditas, quæ in ſui aliorumque perniciem, atque miſerrimum totius humani generis exitium arderet, legibus veluti quibuſdam finibus coerceretur, ut inde placida, ac ſecura vita peragi poſſet.

3. Et certè ad ſingulas animalium ſpecies, pulcherrimumque ordinem, qui in Univerſo conſpicitur, plurimùm contulit, ut feræ ipſæ inſtinctu quodam, ac ferè lege dirigerentur, unde inter ipſas amicitia, ſocietas, mutua connexio reperiretur; quantò itaque convenientiùs, ac utiliùs hoc in homine præſtari debuit, qui ſi liberâ animi vì, rationis lumine abutatur, ſeſeque ſenſuum illecebris irretiri patiatur, feras ipſas impetu, ac immanitate ſuperare conſpicitur? *Uni ſiquidem homini*, ut eleganter eſt a Plinio obſervatum, *luctus eſt datus*, *uni luxuria*,

*uni ambitio, uni avaritia, uni immenſa vivendi cupido, uni ſuperſtitio, uni ſepultura cura, atque etiam poſt ſe de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confuſior, nulli rabies acrior. Denique cætera animantia in ſuo genere probè degunt, congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpentes; ne maris quidem belluæ, ac piſces niſi in diverſa genera ſæviunt *; at hercule homini plurima ex homine ſunt mala (a); cùmque nunquam feras ad nocendum niſi neceſſitas incitet, aut fame, aut timore cogantur ad pugnam, homini perdere hominem libet [b].*

4. Quod ſi, dum ſummus Artifex animalia cuncta creaverat,

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet (c),

ideoque hominem creavit, qui liberâ voluntate, ſive dominio creatis rebus omnibus uteretur, iiſque veluti certas leges imponeret; quis non intelligat plurimùm decuiſſe, ut homo ipſe certis quibuſdam legibus a Deo veluti ſupremo omnium domino dirigi, vel obligari deberet?

5. Nec aliud certè fieri potuiſſe putabit, qui ſecum ipſe conſideret quod libera, atque abſo-

---

(a) *Plin. lib. VII. proem.* (b) *Senec. epiſt.* 103. (c) *Ovid. Metam. I. v.* 76.

* ——————— parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quis nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam ſævis inter ſe convenit urſis,
Juven. Sat. 15. *v.* 159.

ſoluta voluntas, quæ nimirum a nullo dirigi, vel inflecti poſſit, quæ ita ſui domina ſit, ut quidquid libuerit amplectatur, liberrimæ ſolùm, abſolutæ, vel independenti cauſſæ convenire poteſt, cujuſmodi eſt ſolus Deus; humana verò voluntas, quæ naturâ propriâ ab ipſo Deo veluti cauſsâ dependet; ſicuti ab ipſo recepit illud eſſe, quod habet, nec aliter eſſe poteſt, quàm ut ab illo creata fuerit, ita quoque ab illo recipere debuit operandi modum, qui eidem eſſe conveniat, nec aliter operari poteſt, nec ad alium finem dirigi, quàm ad illum, quem ſibi a Deo conſtitutum accepit.

6. Illud etiam meritò addi poterit, quod cùm moralis bonitas, quæ humanæ, vel liberæ voluntatis actibus veluti ſecundaria perfectio ſuperadditur, ex ſolo ordine, ſive lege dependeat, ſicuti ad uberiorem, nobilioremque humanæ, vel liberæ voluntatis perfectionem plurimùm conferre poterat hæc ſuperaddita, ſive moralis bonitas, ita quoque plurimùm conferre, vel oportere videbatur, ut humanæ voluntati leges, & ordo præſcriberetur.

7. Rationalem etiam naturam maximè decuit, ut cùm ſe innumeris propemodum beneficiis a Deo exornatam, ac illuſtratam eſſe cognoſceret, intimo quodam, ac ſincero grati animi ſenſu afficeretur, ut auctorem beneficentiſſimum amantiſſimumque colere, ac venerari, illum ſequi, illi parère deſideret, ideoque mores, actuſque proprios ita componere, ut divinam illius voluntatem exequi, ſive perficere poſſint, quod certè fieri non poterat, niſi Deus ipſe certis quibuſdam legibus ita voluntatem propriam oſtenderet, quibus ſe coli voluiſſet.

8. Si denique nulla lex homini præſcripta foret,

foret, nulla quoque moralis bonitas, ideoque nullum meritum acquiri poſſet, unde æternam fælicitatem, quæ ut *corona*, *merces*, *bravium* meritis debitum proponitur, nunquam homo aſſequeretur, vel certè, ſi in gloriam ipſam nullo ſui merito transferretur, illâ jucundiſſimâ voluptate careret, quâ beatorum animos perfundi diximus dum ſecum ipſi reputant aliquid ſe ad ejuſmodi gloriæ conſequendæ ſtudium contuliſſe; ut ſi proinde beatorum animi doloris capaces eſſent, id unicè quererentur ſe parum in acquirendæ fælicitatis opere laboraſſe.

IV. Exinde verò non modò legum neceſſitas, & convenientia demonſtratur, ſed facilè quoque intelligitur unde illarum vis, & auctoritas oriatur. Tota nimirum legum authoritas ita a ſupremi Legislatoris imperio, ſive dominio pendere debet, ut ipſo ſublato vel nulla lex haberetur, vel certè liberos hominum animos cogere, vel obligare non poſſet. Cùm enim lex aliud eſſe, vel haberi non ſoleat, quàm ordo quidam, quo humanæ voluntatis actus ad unum potiùs, quàm ad objectum aliud diriguntur, ut ab illo deflectere in operando non poſſint, clariſſimè apparet hunc ordinem a ſolo Deo præſcribi, conſtitui, vel definiri poſſe: qui cùm voluntates ipſas hoc potiùs, quàm alio modo creaverit, illas ad hoc potiùs, quàm ad objectum aliud direxit, hoc non alio modo operari voluit, bonitatem denique, ac honeſtatem in hoc potiùs, quàm alio objecto collocavit; ideoque niſi Deus ipſe veluti ſupremus omnium dominus, ac arbiter liberam, atque flexibilem hominis voluntatem legibus veluti finibus coercuiſſet, poterat voluntas ipſa in quemlibet actum liberè exſpatiari, nullique legi, vel ordi-

ni

ni ſubjacere. Neque de iis ſolùm legibus hoc intelligi debet, quæ ſubinde a Deo, vel ab hominibus latæ, præſcriptæque fuerint, ſed de ipsâ quoque naturali, vel æternâ lege, quæ ſingulis hominum cordibus invariabiliter inſcripta censeri ſolet. Illa nimirum ex ſolâ humanæ naturæ conditione dimanat, ut ſuperiori Capite oſtendimus; ideoque, ſicuti a liberâ Dei voluntate dependet, ut homo rationalis, & ſociabilis foret, ita quoque ex hac ipsâ Dei voluntate, vel imperio dependet, ut hoc potiùs, quàm alio modo operari debeat. Sed hæc fuſiùs, & accuratiùs ſequenti Capite explicabuntur.

V. Interim varia legum genera, ſive legum diviſionem breviſſimè complectemur. Cùm itaque lex a Philoſophis definiatur *regula quadam, aut menſura actuum humanorum, per quam ad id, quod rectum eſt, agendum; &, quod pravum eſt, omittendum dirigimur* (a), ſive *regula agendorum, & omittendorum*; vel denique *ordinatio rationis imperans honeſta, prohibens contraria*, lex univerſaliter reſpectu rerum, ſive materiæ, quam reſpicit, diſtingui ſolet in *imperantem*, ac *prohibentem*; ideoque legis præcæpta, alia *affirmativa*, alia *negativa* vocari ſolent. Illa nimirum præcepta, quæ bonum, ac honeſtum imperant, affirmativa, vel poſitiva vocari ſolent, ut honorandos eſſe parentes, Deum diligendum; illa verò, quæ malum, ac inhoneſtum aliquid prohibent, negativa, vel prohibentia appellantur, ut non occidere, non furari. Neque enim tantùm ad perfectam hominis beatitatem, humanæque voluntatis perfectionem ſuf-

(a) *D. Th. 1. 2. q. 90. art. 1.*

ſufficere videbatur a malo deflectere, & abſtinere; ſed ad bonum inſuper dirigi, vel quod honeſtum eſt, operari requiritur, ut inquit regius Propheta *diverte a malo, & fac bonum.*

VI. Quod ſi lex ipſa non ad materiam, ſive præcepta, quæ continet, ſed potiùs ad legislatorem, a quo ſancita fuerit, referatur, illa diſtingui ſolet in *naturalem*, & *poſitivam*. Lex naturalis vocatur illa, quæ naturâ ipsâ, neceſſariò, invariabiliter homini præſcribitur, ſive invariabiliter, ac inſeparabiliter hominis naturam conſequitur.

Poſitiva dicitur illa, quæ ſic a libero legislatoris arbitrio *poſita*, vel conſtituta eſt, ut etiam variari, vel revocari poſſit, ut fuſiùs, & opportuniùs Cap. IX. oſtendetur.

Si ejuſmodi lex poſitiva ab ipſo Deo rogata, vel conſtituta fuerit, *divina* vocatur; *humana* verò ſi ab hominibus. Ac divina quidem in *veterem*, ac *novam*, ſive *Judaicam*, & *Evangelicam* diſtingui ſolet, quòd illa per Moyſem Judæis tradita, ac veteri Teſtamento explicata; iſta verò per Chriſtum omnibus hominibus ejuſdem ſanguine redemptis in Evangelio propoſita fuerit. Humana denique in *Politicam*, ſive *Civilem*, atque *Canonicam*, ſive *Eccleſiaſticam* dividitur; quarum illa Principum, ſive Reipublicæ decretis; iſta Conciliorum Canonibus, Patrum, Pontificum ſententiis, vel Decretalibus contineatur. Aliæ plurimæ legum diviſiones afferri plerumque ſolent; verùm, cùm illæ aut minutiores ſint, aut certè ex ſuperioribus veluti fontibus oriantur, intelligi, vel explicari facilè poterunt ubi de ſingulis legum generibus antea memoratis ordine diſſeruerimus. Itaque primo de lege æternâ, vel naturali,

rali, vel jure Gentium loquemur; tum de lege poſitivâ divinâ; deinde verò de humanis, Civilibus nimirum, atque Canonicis legibus diſſeremus.

CAP. VI.

De lege æterna, ſive naturali, vel jure Gentium.

I. ETſi plurimæ, diſtinctæque ſint leges illæ, quibus hnmanam voluntatem dirigi, vel coerceri quoque jam diximus, omnes tamen ab ipsâ Naturæ lege veluti ex uberrimo, ſanctiſſimoque fonte dimanant. Hinc illa *perpetua*, *univerſalis*, *æterna* vocari meritò ſolet, quòd, cùm ſemper eadem, ac invariabilis ſit, omnes etiam leges, quas ſubinde fieri contingat, in ſe complectatur. Communiùs tamen, atque frequentiùs *lex naturæ*, vel *naturalis* vocatur, quòd hominis naturam ſequatur, ſive ab ipſo naturæ lumine doceatur; quemadmodum etiam *jus publicum*, ſive *Jus Gentium* appellari ſubinde ſolet, quòd illa gentibus omnibus communis ſit, ubique gentium ita floreat, ut in illâ obſervandâ gentes omnes inito veluti fœdere conjungantur. Illud itaque nitidè, & quantum fieri poterit, accuratiſſimè exponi debet unde naturalis ejuſmodi lex oriatur; quâ notâ, vel charactere cognoſcantur illa, quæ jure gentium, vel naturali lege continentur; quæ denique ſint illa, quæ jure naturali fieri jubentur, vel prohibentur; cùmque in re graviſſimâ Philoſophi mirificè diſſideant, juverit omnes illorum ſententias expone-

ponere, ut denique illarum clarior, ac veriſimilior eligatur.

II. Veteres Juriſconſulti *jus naturale definiunt quod Natura omnia animalia docuit. Nam jus iſtud non humani generis proprium, ſed omnium animalium, quæ in terrâ, quæ in mari naſcuntur, avium quoque commune eſt .... Videmus enim cetera quoque animalia, feras etiam iſtius juris peritiâ cenſeri* (a); unde ex illorum ſententiâ homines ipſi cum brutis certo veluti fœdere, ſocietate, communione, ac jure continentur; ideoque illud jure naturæ præſcriptum cenſeri poterit, vel ad jus naturale referri, ad quod homines, ac bruta ingenito veluti pondere abrepta diriguntur, vel a quo potiùs ingenito veluti horrore recedunt. Atque ejuſmodi certè Juriſconſultorum opinio partim ex Pythagoricis, partim etiam ex Stoicis deſumpta cenſeri poterit. Cùm enim Pythagorici metempsychoſim admitterent, humanos nimirum animos ex uno in corpus aliud tranſire crederent, atque ſubinde ex humano moriente corpore in feram, aut brutum aliquod migrare, inde quoque fieri oportere putabant, ut affectus illi, qui in homine, ac brutis etiam conſpiciuntur, ex uno, eodemque principio, eâdem animâ, ſive naturâ profluerent, ideoque brutâ, ac homines eodem fœdere, ſocietate, ac naturali jure continerentur. Stoici ſimiliter, ſive quòd illi brutorum animas rationales, humanæque ſimiles crederent, ſive certè quòd illas ex eâdem Univerſi mente, vel ſpiritu decerptas eſſe putarent, ex quo ſanè cum Platonicis humanos animos delibatos eſſe crediderunt,

(a) *Dig. lib. I. Tit. I. de juſtit. & jure leg. I. §. 3. & Inſtit. lib. I. tit. 2. §. 7.*

lâ ratione dirigi, ideoque nullâ lege teneri, nulloque fœdere, vel ſocietatis vinculo cum hominibus conciliari. Quamvis enim plurima in brutis deprehendi, ac ſubinde laudari ſoleant, in quibus induſtria, ſolertia, pietas, affectus, & illæ virtutes omnes apparent, quæ naturæ legibus homini præſcriptæ ſunt; omnia tamen aut ex corporeâ ſolum ſentiendi vi, aut ex admirabili potiùs organorum varietate, partium texturâ repeti debent; ut in illis proinde motus, ac impetus quidam humanis ſimiles videantur, nihil tamen cum humanis actibus, virtutibus, legibusque commune contineant. Hinc brutorum quidem aliqua prudenter adeo, moderatè, ſollicitè operari dicuntur, ut humanos etiam mores excedere videantur; ideoque ſubinde a ſacris Literis veluti duces proponantur: plura tamen ſunt, quæ ſic effera, ac indomita ſunt, ut nullis affectibus deliniri, nullis legibus coerceri poſſe videantur: ut ſi proinde juris natura ex animalium affectibus repeti, ſive deduci deberet, intelligi facilè, vel definiri non poſſet, ex quibuſnam potiùs animalium actibus, in quorum ſingulos eodem impetu, vel ingenito pondere feruntur, naturæ jus, ac honeſtas, quàm pravitas potius, ac turpitudo deduci debeat: nec ab iis fortaſſe belluis vellent homines erudiri, quæ mitiores, benevolæ, caſtæque ſint; ſed eas potiùs imitari cuperent, in quibus acrior voluptatis, atque jucunditatis ardor appareat.

IV. Nobiliùs itaque, ac magnificentiùs de liberâ hominum voluntate, ſivè naturâ ſentiendum eſt, ut illa cum brutis, quod ad mores quidem, operandique ordinem pertinet, nullâ ſocietate, vel fœdere conjungatur; & quam-

vis interdum legem, vel ordinem, qui in brutorum actibus, vel omnium corporum motibus a divino, ſapientiſſimoque Opifice eſt conſtitutus, admirari, ac imitari quoque ſubinde poſſimus, non inde tamen agendi leges, vel honeſtatis normam ſortiri debemus. Nec alia certè fuiſſe videtur Stoicorum ſententia, qui tenuem quidem cognoſcendi vim brutis ineſſe putarunt, rationem tamen uni homini conceſſere, quâ proprio veluti charactere a brutis ille diſtingueretur *; & *quomodo hominum inter homines juris eſſe vincula putabant, ſic hominis nihil juris eſſe cum beſtiis exiſtimarunt* (*a*); quemadmodum certè *nullum nobis ad animantes cæteras jus eſſe, ob naturæ diſſimilitudinem Chryſippus, & Poſſidonius tradidere* (*b*).

V. Clariùs itaque, longèque veriſimiliùs loquuntur illi, qui jus naturæ ex communi quodam, conſtantique nationum, ac populorum omnium judicio, ſive conſenſu deducunt; ut illa nimirum honeſta, ſive naturæ lege præſcripta cenſeri debeant, quæ veluti honeſta ab omnibus, aut pleriſque certè, iiſque cultioribus populis habeantur. Hinc Ariſtoteles ubi legem *dixiſſet alteram propriam eſſe, alteram communem, propriam quidem* aſſeruit eſſe, *quæ ſingulis inter ſe ipſis determinata eſt, communem verò quæ ſecundùm naturam eſt. Eſſe enim quoddam naturâ juſtum, & injuſtum, quod omnes vaticinantur, etiamſi nulla interſe ſocietas, aut pactio ſit, quod ſemper viget, nemoque ſcit ex quo ita conſtitutum eſt; &, ut Empedocles dicit de non interficien-*

(*a*) *Cic. Fin. III. c.* 20. (*b*) *Laer. VII. ſ.* 129.

* In homine optimum quid eſt? Ratio, hac antecedit animalia, Deos ſequitur; quid in homine proprium? Ratio. *Sen. ep.* 77.

ficiendis animatis, non id apud quoſdam juſtum, apud quoſdam verò injuſtum, ſed apud omnes, inquit, legitimum, ac per athera latum, terraſque jacentes conſtitutum eſt (a). Breviùs hoc etiam, atque nitidiùs expreſſit Cicero cum ait quod *omni in re conſenſio omnium gentium lex natura putanda eſt* * (b); unde *firmiſſimum hoc afferri* concludit cur *Deos eſſe credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio*; & quamvis *multi de Diis prava ſentiant, omnes tamen eſſe vim, & naturam divinam arbitrantur, nec verò id collocutio hominum, aut conſenſus efficit, non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus*. Grotius denique, etſi nobiliorem aliam juris originem agnoſcat, ut inferiùs oſtendemus, exiſtimat tamen quod *ſi non certiſſimâ fide, certè probabiliter admodum juris naturalis eſſe colligitur id, quod apud omnes Gentes, aut moratiores omnes tale eſſe creditur* * (c). Siquidem *nationes quadam efferata ſunt, & facta inhumana, ex quibus non oportet ab aquis Judicibus aſtimatione factâ humana natura convitium fieri* [d], ſed *quid naturale ſit ſpectandum in his, qua bene ſecundùm naturam ſe habent, non in depravatis* [e]: unde *apud homines rectâ, ſanâque mente praditos immutabile eſt jus illud, natura quod dicitur. Quod ſi his, qui morbido, diſtorto-*

 que

(a) *Rhet.* l. c. 13. (b) *Tuſc.* l. c. 13. (c) *lib.* l. n. 12. (d) *Porph. ap. Grot.* (e) *Ariſt. Polit.* l. c. 5.

* Jus naturale quod ubicumque eandem vim habet, & non quia vel ita videtur, vel minimè. *Ariſt. Ethic. Nic. V* c. 7.

* Potentiſſima probatio eſt ſi in id, quod dicimus, omnes conſentiant. *Ariſt. Eth. Nic. VI.* c. 3.
Argumentum veritatis eſt aliquid omnibus videri *Sen. ep.* 117.

quę ſunt animo aliter videtur, nihil ad rem pertinet, nam nec mentitur qui mel dulce eſſe dicit ideo quod ęgrotis aliter videatur (*a*). Ac dubitari certè non poterit, quin ea, quæ ſingulis hominibus honeſta videantur, & in quibus commendandis nationes omnes mirificè conſpirent, verè laudabilia, ac honeſta cenſeri debeant, cùm admirabilis illa conſenſio aliter haberi certè non poſſit, niſi invariabilis quædam, ac intrinſeca bonitas in illis actibus reperiatur; niſi nimirum ingenita quædam ratio, boni cupiditas, & honeſtatis ardor flexibilem arbitrii vim ad objectum illud dirigat, vel ad actus ipſos determinet, in quibus bonitatis ſplendor effulgeat. Hinc illa, quæ nationum omnium conſenſu probata, vel confirmata fuerint, juris naturæ, vel juris Gentium eſſe dicuntur, quòd illa gentes omnes ipsâ naturâ duce veluti honeſta, hominique debita complectantur.

VI. Hæc ipſa tamen Ariſtotelis, Ciceronis, & Grotii opinio, etſi plerumque vera cenſeri poſſit, primam tamen juris naturalis originem, ſive naturam nitidè non oſtendit, ſed ipſam potiùs ab effectibus, vel a poſteriori deducit, ut Grotius ipſe fatetur.

1. Quamvis enim liberè concedatur, quod illa ſemper honeſta ſint, in quibus nationes omnes non inſtitutâ conſuetudine, ſed conſtanti lege conſpirant, non ideo tamen honeſta, juriſque naturæ cenſeri debent, quòd a populis omnibus probentur; ſed ideo potiùs a gentibus illa probari putandum eſt, quòd honeſta, ac naturali jure præſcripta, ſive propoſita ſint: unde nationum conſenſus non niſi indicium erit,

(*a*) *Andron. Rhod. apud Grot. loc. cit.*

rit, ac veluti character, quo res honeſtas, ac jure gentium confirmatas agnoſcamus, non verò primus fons, & origo, ex quo rerum, vel humanorum actuum honeſtas oriatur.

2. Deinde verò, ſi rerum honeſtas, ac jus naturæ a populorum omnium conſenſu deduci debeat, vix ac ne vix quidem, non a rudibus dixerim, ac imperitis, ſed a ſapientibus etiam viris cognoſci poſſet. Quis enim populorum omnium mores, ac inſtituta cognoverit? quis varias, ac diſſidentes Philoſophorum ſententias ita perſpexerit, ut facilè intelligat, vel definire, deinde poſſit, in quo illi conſpirent; cùmque viderit illos interſe in primis etiam, & graviſſimis Ethicæ capitibus mirificè diſſidere, in hac admirabili varietate, ſive diſcrimine certò definiat quid ab omnibus, quid a pluribus, quid a ſapientioribus doceatur, ideoque veluti lex naturæ haberi debeat?

3. Quod ſi naturæ leges, ac honeſtatis amorem in iis præſertim gentibus inquiramus, quæ mitiores eſſe putantur, atque nobiliori ſapientiæ gloriâ, bonarumque artium ſplendore floruerunt, vereri certè, vel ſuſpicari quis poterit ne ſincerum honeſtatis amorem fruſtra in illis, ac inutiliter inquirat, aut falsâ ſpe, vel honeſtatis opinione in errorem abripiatur. Nulla ſiquidem natio tantâ doctrinæ gloriâ floruit, quæ in moribus, ac legibus turpiſſimè non erraverit: quod innumeris exemplis facilè oſtendi poſſet, niſi id clariſſimum foret, & lacrymis potiùs, ac pudore quodam, quàm longâ ratione diſſerendum: idque luculenter admodum Pufendorfius *(a)*, Euſebius *(b)*, Laertius *(c)*, aliique plurimi præſtitiſſent.

(a) lib. II. c. 3. §. 8. (b) Præp. lib. I. c. 3. (c) proem.

4. In hac itaque miſerrimâ morum labe, quæ nobiliores etiam, purioreſque Gentes infecerat, quis honeſtatis legem, ac ſinceram juris imaginem deprehendere ſe poſſe arbitretur? aut, ſi certè ex gentibus illis erudiri velit, quæ honeſtiores, melioreſque fuerint, quis non intelligat definiri non poſſe quænam gens purior, ac honeſtior haberi debeat, niſi priùs honeſtas ipſa, vel prima bonitatis cauſſa, & origo, ipſa nimirum naturæ lex ante gentium morem, ac inſtituta nitidè cognoſcatur; ut illa proinde natio ſanctior exiſtimetur, quæ ad hanc primam, conſtantiſſimamque juris normam propriùs acceſſerit, aut in quâ honeſtatis ſplendor vividiùs effulgeat?

5. Quid verò quod nationes omnes peculiares, ac proprias leges habent, quibus in vitâ feliciter peragenda diriguntur; ideoque vix, ac ne vix quidem diſtingui poterit utrum mos ille, qui apud illos conſpicitur, ex naturali, vel potiùs civili, peculiari, poſitivo jure deductus fuerit: cùm plerumque conſuetudines ipſæ, ac inſtituta majorum, veluti in jus gentium tranſire, ſive cum illo confundi ſoleant? Tantus nimirum eſt ardor ille, quo patrias leges, ac inſtituta homines tueri nituntur, ut non modò nationes cæteras, illarumque leges ideo contemnere, verùm etiam ſanctæ ſocietatis fœdera, quibus humanum genus devincitur, ipſumque naturæ jus evertere, ac violare non erubeſcant. Itaque morum honeſtas, ac naturæ lex ex communi Gentium more, ſive conſenſione deduci non poterit.

VII. Atque hæc ipſa fortaſſe varietas, & incredibile ferè diſcrimen, quod in variis gentium moribus, ac legibus reperitur, plurimos impulit, ut juris naturalis originem, atque naturam

ram

ram non ex communi populorum ſententiâ, ſed ex privato ſolùm judicio, amore, ac utilitate deducerent; ut illa honeſta, ac jure naturæ præſcripta, vel vetita cenſeri debeant, quæ privatæ cujuslibet utilitati conferre, ſive detrahere videantur, juxta celebre effatum illud

Atque ipſa utilitas juſti prope mater & æqui (a).

Ejuſmodi porrò ſententiam inveniſſe, vel acriùs defendiſſe fertur Carneades, *cujus diſputationis ſumma hæc fuit, jura ſibi homines pro utilitate ſanxiſſe, ſcilicet varia pro moribus, & apud eoſdem pro temporibus ſæpe mutata; jus autem naturale nullum eſſe. Omnes & homines, & alias animantes ad utilitates ſuas naturâ ducente ferri: proinde aut nullam eſſe juſtitiam, aut ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultitiam, quoniam ſibi noceret alienis ſibi commodis conſulens... Omnibus populis, qui florerent imperio, & Romanis quoque ipſis, qui totius orbis potirentur, ſi juſti velint eſſe, hoc eſt, ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in egeſtate, ac miſeriis jacendum (b).*

Veterem Carneadis, aliorumque ſententiam excitaſſe videtur Hobbius, qui cùm putaret homines nullo amicitiæ, vel ſocietatis fœdere devinciri, ſed naturâ ipsâ potiùs ad bellum, atque diſcordiam, quàm ad pacem, unionemque dirigi, naturalis juris originem repetendam eſſe putavit ex ingenito amore, vel curâ, quâ quilibet ad ſui defenſionem, conſervationemque dirigitur. Atque illud imprimis obſervat nullam inter homines ſocietatem, nullumque fœdus iniri niſi commodi, vel utilitatis amore; unde illi potiùs, quàm alteri fœdere, vel amicitiâ conjungimur, quod exinde major utilitatis ſpes nobis aſ-

N 4 ſul-

(a) *Horat. lib. I. Sat. 3. v. 98.* (b) *Lact. IV. c. 6.*

fulgeat. Quod ſi quemlibet hominem naturâ ipſâ diligere deberemus, nefas propemodum foret privatos quoſdam, ac peculiares homines amicitiâ complecti; aut ſi hominum natura ad ſocietatem, totiuſque humani generis bonum dirigeretur, ab illo fine deflecteret, quicumque patriam, & amicos ita diligeret, ut amorem, ſocietatemque ſingulis hominibus debitam patriæ, vel parentum, vel amicorum finibus circumſcriberet. Denique nullus amor, vel nulla cupiditas omnium cordibus altiùs impreſſa, ac vividiùs excitata conſpicitur, quàm ſui conſervandi, perficiendique cupiditas *; ideoque tacitâ naturæ lege ad hanc conſervationem ita impellimur, ut quidquid ad illam conferre poſſit, id veluti naturali jure præſcriptum, quidquid ipſi adverſetur, ab illo vetitum videatur.

VIII. Quacumque tamen ratione, mitiorique ſenſu Carneadis, Hobbii, vel Spinoſæ opinio explicetur, fieri certè non poterit, quin illa a rectæ rationis lumine, hominum fine, Univerſi pulchritudine non abhorreat, ideoque veluti falſa, & abſurda refelli debeat.

1. Ac primò, ſi morum honeſtas, atque naturæ lex a propriâ ſingulorum hominum utilitate repetenda ſit, quemadmodum certè hæc utilitas in variis hominibus varia eſſe debet, ut illa, quæ uni utilia, commoda, vel conducibilia ſunt, ideoque vehementi, vividoque amore ab illo inquirantur, alteri inutilia, vel noxia ſint, ideoque horrore maximo vitentur, ipſa quoque humanorum actuum honeſtas in variis, ac oppoſitis etiam rebus, & objectis conſiſteret; ſive naturæ lex eadem, ſemperque conſtans, ac invariabilis eſſe non poſſet: quo nihil abſurdius effingi unquam poterit.

2. Si

* Prima animantis appetitio ſeipſum tuendi, atque ſervandi. *Stoici ap. Laert. VII. ſ. 85.*

2. Si enim quilibet propriis affectibus indulgere, propriæ utilitatis amore dirigi poſſet, atque illud veluti ſanctum, honeſtum, ac naturali jure præſcriptum complecti, quod proprio ſolùm commodo, vel jucunditati conferre videretur, incredibile eſt certè quàm grave, ac exitiale diſſidium, atque pernicies ſingulis hominibus immineret, dum quilibet alterius hominis necem veluti ſibi commodam cupere, ideoque naturali jure inquirere poſſet; unde omnia querelis, odiis, formidine, bellis, atque humano etiam ſanguine miſerrimè complerentur.

3. His accedit quod nullus ampliùs virtuti, nullus clementiæ, nullus ſapientiæ locus, vel gloria ſupereſſet; quin potiùs ab ipſo naturæ jure deflecteret quicumque propriæ utilitati, patriæ, parentum, liberorumque amorem anteponeret; meliorque proinde laus rudi, inertique homini deberetur, qui auditâ hac naturæ lege in cujuslibet ſapientiſſimi, præſtantiſſimique viri perniciem omnia ſuſdeque inverteret, ac patriam, liberos, & ſi fieri etiam poſſet, humanum genus in exitium, ſummumque diſcrimen adduceret: cùm potiùs, ut ſapientiſſimi viri arbitrantur, *non magis vituperandus ſit proditor Patriæ, quàm communis utilitatis, aut ſalutis deſertor propter ſuam utilitatem, aut ſalutem* [a].

4. Addi etiam poterit, quod ita a naturâ ipsâ comparati ſumus, ut illos etiam neceſſitudine, & amore quodam complectamur, ex quibus nulla nobis utilitas, nullumque commodum oriri poteſt; cùmque cæteros homines nobis pro-

(a) *Cic. Fin. III. c. 19.*

propemodum ſimiles agnoſcamus, naturâ ipsâ impellimur, ut ipſis tacito quodam, ac ſuavi ſocietatis fœdere conjungamur; nihilque nobis ſolo propriæ utilitatis amore expetendum intelligamus, quod in aliorum perniciem, vel incommodum convertatur.

5. Quod ſi propria ſolùm utilitas veluti finis cuilibet homini ſic a naturâ, vel æterna lege præſcriptus haberi poſſet, ut ille poſthabitâ aliorum, ac totius humani generis curâ propria ſolùm ardentiſſimè inquireret, non is certè finis videretur, qui ſapienti, pulcherrimæque creaturæ ſit conſtitutus; illi nimirum, quæ amantiſſimi, ac beneficentiſſimi Patris imaginem exprimere debuit. *

IX. Ingenitus eſt itaque ſingulis hominibus atque altè illorum cordibus impreſſus ſuimetipſius amor, atque innata ſui conſervandi, perficiendique cupiditas; non ita tamen, ut mutuæ ſocietati, conjunctioni, & amori, ut publicæ, & communi etiam aliorum, quos nobis perfectè ſimiles, æquales, eodemque jure animatos intelligimus, opponatur; ſed illa propriæ utilitatis cupiditas, ſuique amor temperari debet, ut illa nobis utilia, & commoda complectamur, quæ in aliorum, ac patriæ præſertim perniciem, vel incommodum cedere non poſſint; paratique ſimus, ſi id honeſtas requirat, proprias etiam utilitates, fortunas, ac vitam ipſam contemnere, ut patriæ, humanique generis commodo conſulamus.

Exinde verò facilè refelli, vel ſolvi poterit quidquid a Carneade, aliiſque opponebatur.

In-

* Deus nihil jubet, quod ſibi proſit, ſed illi, cui jubet. *Aug. ep.* 138. *al.* 7.

Innatam nimirum eſſe dicemus propriæ utilitatis cupiditatem; ſed innatum etiam aliorum, totiuſque humani generis amorem, ac ſocietatem; nos ad hunc potiùs, quàm alium hominem diligendum plerumque impelli, quòd in hujus amore major nobis utilitas, vel jucunditas oriatur; ſed interdum etiam nos ad illorum amorem dirigi, ex quibus nulla nobis utilitas manare poſſit; nec unquam ita naturâ duce aliquem eſſe diligendum, ut exinde aliorum pernicies, & incommodum oriatur; nullâ nos denique lege, vel ordine compelli ut æqualiter homines ſingulos diligamus, ideoque nos poſſe cum aliquibus ſolo majoris utilitatis, vel jucunditatis amore, ubi nimirum ſimilem, communemque in ipſis patriam, ſanguinis conjunctionem, ætatem, indolem, ſtudia, affectus, aliaque id genus plurima reperiamus, peculiarem, ac ferè privatam ſocietatem inire; non tamen inde fieri, vel inferri poſſe, quod communis quædam, etſi languidior ſocietas, & amor cum toto humano genere non conſervetur, ejuſque amore, ſi fieri oporteat, peculiaris illa ſocietas diſſolvatur.

X. Longè nobilior, atque communior eſt illa Philoſophorum ſententia, qui jus naturæ ita ab intrinſecâ rerum honeſtate repetendam eſſe arbitrantur, ut illud naturæ jure præſcriptum velint, quod ex naturâ propriâ bonum, honeſtumque ſit: illud naturali jure vetitum, quod propriâ naturâ inhoneſtum, pravumque ſit. Hinc naturæ jus immutabile, ac æternum eſſe defendunt, quod ſicuti res ipſæ, vel illarum eſſentia ſemper eadem, ac invariabilis eſſe debet, ita quoque bonitas, atque malitia, quæ in illis intrinſecè reperitur, variari, ſive mutari non

poſſit;

poſſit; ideoque ſi Deus fortaſſe aliquid prohibeat, vel jubeat, hoc non ideo bonum, vel malum cenſeri debeat, quòd a Deo præſcriptum, vetitumque ſit; ſed ideo potiùs ab ipſo Deo prohiberi, ſive præſcribi debuerit, quòd ex naturâ propriâ malum, vel bonum foret.

XI. Quid porrò in hac alterâ Grotii, aliorumque ſententiâ laudari, vel optari fortaſſe poſſit, paullo ſuperiùs oſtendimus, ubi de intrinſecâ morum honeſtate loqueremur. Quod ad hunc quidem locum attinet, ſi hæc intrinſeca rerum bonitas, ac honeſtas aliqua admitti debeat, illa a divinæ voluntatis arbitrio, aut certè ab ipsâ humanæ naturæ conditione ita pendet, ut ſi hominum naturam variari contingeret, ipſam quoque moralem humanorum actuum bonitatem variari oporteret; ideoque intrinſeca rerum bonitas non erit prima juris naturalis origo, ſed ipſum naturæ jus aut ex divini Legiſlatoris arbitrio, aut ex hominum naturâ veluti ex primo, clariorique fonte deſumi debebit. Nec aliam certè fuiſſe diximus veram præſtantiſſimi Grotii ſententiam, qui etſi alicubi naturæ legem a Deo non pendere conſtituat, poſitivam ſolùm, expreſſamque legem liberè ſancitam excludit, non eam tamen, quæ ex ipsâ humanæ naturæ conditione ab ipſo Deo libere electâ, vel conſtitutâ derivet. Hinc *jus naturale* definit *dictatum rectæ rationis indicans actui alicui ex ejus convenientiâ, aut diſconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab auctore Naturæ Deo talem actum aut vetari, aut præcipi* (a); & expreſſiùs etiam inferiùs

(a) *lib.* 1. *c.* 1. *§.* 10.

ſeriùs aſſerit quod *eſſe aliquid juris naturalis probari ſolet a priori, ſi oſtendatur rei alicujus convenientia, aut diſconvenientia neceſſaria cum naturâ rationali, ac ſociali* (*a*); unde *illud ipſum naturale jus, quanquam ex principiis homini internis profluit, Deo tamen adſcribi meritò poteſt, quia ut talia principia in nobis exiſterent ipſe voluit; quo ſenſu Chryſippus, & Stoici dicebant juris originem non aliunde petendam, quàm ab ipſo Jove* (*b*). Quod ſi ita Grotii ſententia intelligenda ſit, cum ſententiâ noſtrâ inferiùs explicandâ mirè conſpirat, ideoque quidpiam hìc addere, vel uberiùs attexere nec juvat, nec decet.

XII. A ſuperiori tamen Grotii opinione plurimùm diſſident illi, qui ita naturæ legem a libero divinæ voluntatis arbitrio pendere arbitrantur, ut quemadmodum Deus hanc potiùs quàm aliam legem præſcribere potuit, ideoque, hunc potiùs, quàm alium actum bonum, honeſtumque reddere, ita legem ipſam variare ſubinde poſſit: cùmque ipſi blaſphemias brohibere libuerit, ſeque ſincero religionis cultu, & amore honorari juſſerit, potuerit tamen hominibus imperare, ut blaſphemiis Deum colerent, ipſumque odio, & diris execrationibus honorarent (*b*). Atque in hanc perditam fortaſſe, & impiam ſententiam illos impulit incauta, ac abſurdiſſima divinæ potentiæ, ſeu libertatis idea, quâ a Deo quidquid ipſi libuerit, quamvis etiam nobis abſurdum, repugnans, impoſſibile, contradictorium videatur, liberè fieri poſſe putabant; eamque rerum omnium naturam credebant, ſicque omnia a flexibili divinæ, omni-

---

(*a*) *præf.* (*b*) *Vaſquez Controv. illuſtr. lib. I. c. 27. n. 9.*

nipotentiſſimæque voluntatis arbitrio illas dirigi exiſtimabant, ut ex bonis malæ, ex pravis honeſtæ fieri ſubinde poſſent. Illud etiam fortaſſe accedit, quod in ſacris Literis furtum, homicidium, fornicatio, mendacium, aliaque id genus peccata a Deo imperata, laudata, præmiiſque ornata videantur; ideoque in iis caſibus lex naturæ variata fuerit, ut actus illi, qui priùs inhoneſti, prohibitique fuerant, tunc liciti, ac imperati jam fierent.

XIII. Cæterùm temerariam hanc, impudentiſſimamque opinionem refellere propemodum pudet; id ſolùm obiter innuiſſe juverit, quod ſi hæc omnia mutabilia dicantur eſſe ne divina potentia certis quibuſdam finibus circumſcribatur, eodem certè jure concedi deberet Deum ipſum variari, fallere, peccare, vel mori poſſe; aut, ſi omnipotentia ad hæc ipſa non extendatur, quæ naturæ divinæ repugnant, ita quoque divinæ potentiæ nihil detrahetur ſi naturæ legem ex ipsâ divinæ ſanctitatis, aut humanæ naturæ a Deo liberè conſtitutæ conditione derivatam variare non poſſit.

XIV. Alii poſtremò naturæ legem non ex ipsâ liberâ variabili divinâ voluntate repetunt, ſed potiùs ex invariabili ſanctitate, juſtitiâ, ac perfectionum cumulo, qui in Deo, veluti perfectiſſimo ente reperiatur; ut illud nimirum honeſtum, ac naturali jure præſcriptum cenſeri debeat, quod divinæ ſanctitati reſpondeat, aſſimiletur, ipſamque veluti imago exprimat. Hinc homo dicitur eſſe factus *ad imaginem & ſimilitudinem* (a) Dei; David eximius ſanctitatis, & honeſtatis amator dicitur inventus *juxta* [b] *cor Dei*,

(a) *Gen. c. 1. v. 26.* (b) *Reg. I. c. 13. v. 14.*

Dei, & Deus ipſe nos ad honeſtatem erudiens ad perfectionis exemplar dirigens inquit *ſancti eſtote quoniam ipſe ſanctus ſum (a)*, *eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt* [b]: ut oſtenderet honeſtatem, ſanctitatem, ac perfectionem omnem, quæ ab hominibus acquiri poſſit, ab ipsâ Dei ſanctitate veluti fonte, ideâ, ſive principio repetendam eſſe.

XV. Quamvis tamen hæc opinio, vel explicandi ratio certiſſima ſit, nihilque, quod a naturali jure præſcribitur, divinæ juſtitiæ, vel ſanctitati contrarium eſſe poſſit, ægrè tamen concipitur quomodo naturæ lex infinitam Dei ſanctitatem, atque juſtitiam exprimere poſſit, ut homines eodem modo, eodemque jure inter ſe mutuò agere poſſint, quo Deus ipſe cum hominibus operatur; atque jus illud infinitum, quo Deus creaturas omnes complectitur, veluti ſpecimen, & exemplar haberi debeat, quo homines ipſi in alios homines jus exerere, vel exercere ſubinde poſſint: ut cùm ex. gr. Deus nullo unquam vinculo, vel debito teneatur, ac alterius rei cauſsâ, & amore operari non debeat, ita quoque homines ipſi nullo pacto, vel fœdere coerceantur, propriæque utilitatis amore operentur, quæ paullo ſuperiùs veluti falſa, & abſurda demonſtravimus. Quinetiam naturæ lex, ſive naturale jus, quod hìc inquiritur, tale eſſe debet, ut *locum aliquem habeat, etiamſi daremus, quod ſinè ſummo ſcelere dari nequit, non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana (c)*, ideoque morum honeſtas, atque naturæ lex ex divinâ ſanctitate veluti proximo fonte repeti non poteſt.

XVI.

[a] *Lev. c.19.v. 2.* (b) *Matth.c.2.v. 48.* (c) *Grotius in Præf.*

XVI. Quæ cùm ita ſint, ac in variis Philoſophorum opinionibus hactenus enumeratis abſurda plurima, vel incommoda reperiantur, illud unum ſupereſt, ut juris naturalis origo in ſolâ hominum naturâ, vel conditione inquiratur, ut nimirum quilibet homo clariori rationis lumine, quo præditus eſt, ſeque, naturamque propriam accuratè conſiderans illa quoque nitidè, clariſſimèque intelligat, quæ tali naturæ conveniant; quæ ſingulis hominibus, ideoque humano generi communia, conducibilia, vel neceſſaria ſint; ad quæ homines omnes non affectibus, non propriæ utilitatis amore, ſed ſolo rationis lumine, atque ingenito naturæ pondere dirigantur. Quod ut clariùs, ac certiùs conſtitui poſſit, juverit rem ipſam ex primis veluti principiis ita deducere, ut nemo ambigere, vel dubitare unquam poſſit, quin illa ex ipsâ naturæ lege ſponte veluti ſuâ profluere videantur.

XVII. Illud itaque veluti certum, perſpectiſſimumque ſupponimus, quod illa juris naturalis eſſe, ſive naturæ lege præſcribi dicuntur, intrinſecè nimirum, vel naturâ ipsâ bona, vel honeſta cenſentur, quæ ipſi hominum naturæ conveniunt, ad quæ natura ipſa ingenito veluti pondere, ac ſepoſitis affectibus ita dirigitur, ut non liberè, ſed neceſſariò; non in aliquibus ſolùm, ſed omnibus; non aliquando, ſed ſemper, ac ubique feratur: ut eadem natura ſinè hoc ordine concipi, vel haberi certè non poſſit. Quandoquidem verò quilibet homo concipi, vel conſiderari poteſt, ut a Deo productus; ut rationali naturâ, cognitione nimirum, ac flexibili voluntatis arbitrio præditus; atque in aliorum hominum ſocietate collocatus, clariſ-

ſimè

ſimè apparet, quòd naturâ ipsâ, vel certè naturali conditione quilibet homo dirigi, vel referri poteſt ad Deum, a quo recepit eſſe; ad ſeipſum, quem diligere, & conſervare tenetur; ad cæteros homines, quibuſcum vivere, ſive verſari ſubinde debet; ideoque quidquid hominum conditioni, ſive naturæ convenire poteſt, adeoque naturali jure præſcribitur, repeti, ſive deduci debet ex ordine, quem quilibet homo ad Deum, ad ſeipſum, ad homines alios habere concipitur *; nec aliâ clariori, nitidiorique ratione cognoſci, vel definiri poterit quid hominum naturæ conveniens, ſive repugnans, & oppoſitum videatur, quàm ſi nitidè ſimul, & accuratiſſimè declaretur quid hominum conditio, ſive natura requirat, ſi illa tum ad Deum, tum ad hominem ipſum, tum denique ad cæteros homines referatur.

XVIII. Ac primò, ſi hominis natura ad Deum referatur, ubi ille clariſſimis, certiſſimiſque rationibus eruditus ſe a Deo productum eſſe, mirâ, atque incredibili facultatum varietate exornatum, cognitionis amore, agendique viribus illuſtratum, in hoc ampliſſimo rerum theatro non modò ſpectatorem, ſed etiam dominum, qui liberè variis creaturarum generibus uti potuerit, ſe collocatum intelligat, atque altera ex parte Deum ipſum veluti ſapientiſſimum, potentiſſimum, perfectiſſimum, beneficentiſſimumque cognoverit, fieri certè non poterit quin intimo quodam, ingenuo, vividoque grati animi, & amoris ſenſu, Deum ipſum veluti auctorem, amantiſſimumque pa-

* Ut igitur breviter æterne legis notionem, quæ noſtræ menti impreſſa eſt, quantum valeo, vobis explicem, ea eſt, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima. *Aug. l. de lib. arb. c.*

patrem agnoſcat, diligat, veneretur; ſe ab illo veluti fonte profectum ad illum veluti finem dirigi non ſentiat: cùmque ſe ingenito quodam amoris impetu ad bonum diligendum impelli viderit, tantòque vividiùs allici, quantò perfectius, & amabilius fuerit objectum., vel bonum illud, quod ab intellectu ſibi proponitur, clariſſimè quoque cognoſcet ſe naturâ ipsâ, vel invariabili naturæ conditione ad Deum ipſum, qui veluti ſummum bonum, bona cuncta produxit, ac infinitam bonitatem in ſe complectitur, ſuper omnia diligendum ita dirigi, ut nihil ſibi magis conveniens, ideoque naturali jure præſcriptum ſit, quàm Deum ipſum vividiori, puriori, vehementiorique amore, quem voluntatis humanæ viribus exerere liceat, ac infinito quoque, ſi fieri id quidem poſſet, ardore diligere. Quod ſi Deum ipſum veluti auctorem, patrem amantiſſimum, juſtiſſimum, perfectiſſimumque grati animi ſenſu, vel amore complectatur, intelliget etiam ſinè maximo ſcelere ſe ab illo fine deflectere, quem ſibi Deus ipſe conſtituerit, vel ordinem, atque naturæ conditionem ſibi divino munere conceſſam invertere, vitiare, ſive deſtruere non poſſe; nihilque ſibi magis conveniens haberi, quàm quod nitidâ rationis cognitione, ſive rationalis naturæ ſibi conceſſæ lumine intelligat; omnes denique leges, ſacroſque ritus, aut religionis actus, quibus Deus ipſe veluti ſummus humanæ voluntatis arbiter, ac dominus. coli voluerit, ſanctiſſimè, ac religioſiſſimè ſervandas eſſe, ut quemadmodum Deus ipſe veluti beneficentiſſimus iis præmia polliceri, atque promiſſa fideliter conferre, ſive largiri poteſt, qui ſe dilexerint, legeſque a ſe latas ſervaverint, ita quoque pœ-

nas,

nas veluti judex iis infligere neceſſariò debeat, qui ipſum diligere, legeſque ſervare contempſerint. Cùm itaque hæc omnia, atque alia id genus plurima ex amore, quo hominum quilibet Deum ipſum naturâ ipſâ diligere, ſive complecti debet, nitidè deducantur, veluti prima naturæ lex, primumque rationis dictatum, quod hominum naturæ inſeparabiliter, ac neceſſariò conveniat, haberi meritò poterit principium illud, *Deum ſuper omnia diligendum eſſe*.

XIX. Quod ſi deinde hominum natura, vel humanus animus ad ſeipſum referatur ſeque ipſum conſideret, intelliget primò ſe cæleſtis, atque divinæ propemodum originis eſſe; ſe cunctis creatis rebus longè puriorem, nobilioremque; ſe clariſſimo cognitionis lumine, ſe flexibili voluntatis arbitrio donatum, ſe proinde ad finem creatis omnibus nobiliorem, ſublimioremque dirigi. Hæc ubi cognoverit, clariſſimè intelliget ſe ad ſui amorem, naturamque propriam diligendam impelli; ſibi viribus omnibus enitendum eſſe, ut naturam hanc, vires, ac perfectiones omnes ſibi divinitus conceſſas incolumes tueatur; quinetiam plurimùm decere, ut illas perficere, melioreſque reddere ſubinde curet; nullo denique ſenſibilium rerum amore, aut degeneri, viliorique affectu ſibi licere ad creatum aliquid ſeipſo vilius, ac ignobilius dirigi, vel a ſublimi, divinoque fine ſibi naturâ conſtituto deflectere; nefas propemodum fore rationis lumen in ſingulis actibus exerendis, mediiſque eligendis contemnere, ſenſuum illecebris irretiri, flexibilem arbitrii vim, atque ingenitum, inditumque ſibi divinorum, ac immortalium amorem extinguere; creatas, labileſque res Deo ſuper omnia diligendo anteponere;

ſenſibilium denique amore, Dei injuriâ, religionis contemptu, divinarumque legum violatione a præmiis ſibi promiſſis, æternâque beatitudine excidere, ideoque propoſitas, æternaſque pœnas incurrere. Itaque ex ipſa hominis naturâ, vel conditione clariſſimè alia naturæ lex, aliudve naturæ jus exoritur, quod *quilibet homo ſeipſum diligere, tueri, perficere ſubinde debet;* amore tamen finito, ac moderato, qui tenuem, finitamque bonitatem, quæ in homine reperitur, excedere non debeat, atque ab amore, quo Deum ſuper omnia diligendum complectimur, ita dependeat, ac dirigatur, ut homo nihil, nec ſeipſum quoque diligere, vel amare poſſit ſi amor ille puriori, fortiorique amori, quo ad Deum impellitur, vel minimùm adverſetur.

XX. Quo ſi poſtremò quilibet homo ad cæteros homines, quibuſcum fortuitò vel ex libero, ſapientiſſimoque divinæ voluntatis conſilio degere debet, referatur, illorumque naturam, ac indolem conſideret, atque cum propriâ comparet, clariſſimè intelliget homines ſingulos naturâ ſibi ſimiles, ac æquales eſſe, nihilque fore, quo ſe cæteros præcellere, vel ſuperare poſſe arbitretur. Exindè verò facilè inferre debet nullum ſibi in cæteros jus concedi; cumque hominum quilibet æquali, ac eâdem naturæ lege, vel naturali jure ſeipſum diligere, tueri, perficere, & conſervare poſſit, ac ingenium, cognitionem, libertatem, vireſque ſibi divinitus conceſſas exerere debeat, nihil eſſe cur ipſe potiùs alteri ſubeſſe, aliorumque commoda, vel utilitates inquirere, eoſque amore complecti non debeat, quàm ut aliis potiùs imperare, ab aliis amari velit; ſed parem omnibus, eandemque vim, idemque jus omnibus

com-

competere, ut naturâ ipſâ cum cæteris omnibus, nullo diſcrimine devinciantur. Cùm itaque parem in illis omnibus naturam, bonitatem, perfectionem, atque communis, ejuſdemque patris imaginem intueatur, quam in ſeipſo deprehenderat, nihilque in ſe ipſo amabilius, atque perfectius inveniat, quod in aliis etiam omnibus eſſe non videat, quemadmodum naturâ ipſâ ad ſui amorem, conſervationemque dirigitur, atque naturali jure ſeipſum diligere, ac tueri debet, nullamque ſibi vim, injuriam, ac dedecus inferre poteſt, ita quoque cæteros omnes veluti ſibi ſimiles, eâdem bonitate præditos amare debet, nullamque injuriam illis inferre, præſertim cùm nullum jus in illos habere ſe viderit, ideoque nihil ipſis irrogare poſſit, quod ſibi ſimiliter ab aliis inferri non velit. Quamvis itaque homines ipſos non veluti ſibi ſanguinis conjunctione, vel initâ ſocietate, vel amicitiæ fœdere devinctos conſideret, ſed ſolùm ut homines, ſibique ſimiles contempletur, ſive ſe naturamque propriam ad alios homines referat, aliud naturæ præceptum, vel naturæ lex orietur, quod *cæteros veluti ſeipſum diligere, eodemque amore complecti debet.*

XXI. Cæterùm vitæ conditio, vel ſtatus ille, in quo nos a libera Dei voluntate collocatos eſſe conſpicimus, planè requirit, ut homines alios non ſolùm veluti nobis ſimiles eâdemque naturâ præditos intelligamus, ſed etiam veluti eidem Telluris ſuperficie inſidentes, eâdem urbe, iiſdemque laribus conjunctos, eâdem ſanguinis cognatione devinctos, ipſi demum vitæ noſtræ peragendæ, conſervandæ; perficiendæque maximè utiles, ac neceſſarios exiſtimemus. Ita nimirum a naturâ ipsâ inſtitutum eſt, ut

quilibet homo quantacumque cognitione, ſapientiâ, robore; ſanitate, aliiſque animi, corporis, ſive fortunæ dotibus excellat, cum aliis tamen colloqui, conjungi, conſuetudinem inire debeat: cùmque ſingula vitæ conſervandæ neceſſaria ſibi ſolus inquirere, vel comparare non poſſit, aliorum etiam ope, auxilio; vel miniſterio indigeat, ideoque propriæ utilitatis amore ſocietate quadam, ac fœdere cum illis conjungi deſideret; cùmque id ſolo naturæ jure, quod in alios exerere, ſibique vindicare non poſſe jam diximus, conſequi nequeat; naturâ ipsâ dirigitur, ut ipſe quoque paria; vel eadem cæteris præſtare debeat; cùmque eodem amore ſeque; aliosque complectatur; quidquid ſibi ab aliis præſtari; ſive conferri velit; illud ipſum cæteris ipſe præſtare debeat, ut mutua proinde ſit amoris; officiorum, auxilii, benevolentiæ ſocietas *.

XXII. His accedit, quod cùm hominum natura ſive primi parentis peccato, ſive pravo, ac degeneri voluntatis amore; ſive ex aliâ quâcumque cauſsâ miſerrima; plurimis injuriis, incommodis; atque periculis obnoxia ſit, ut quilibet etiam vel ſapientiſſimus, juſtiſſimus, atque fortiſſimus vir ab aliis hominibus vel rudibus etiam, ac infirmioribus timere debeat, amor ille, quo noſtrûm quilibet ipsâ naturâ duce ad ſui conſervationem, incolumitatemque dirigitur,

---

* Si natura confirmatura jus non erit, virtute omnes tollentur. Ubi enim liberalitas, ubi Patriæ caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit exiſtere? Nam hæc naſcuntur ex eo quòd natura propenſi ſumus ad diligendos homines, quod fundamentum juris eſt. *Cic. leg. I. c. 15.*

tur, nos ipſos impellit, ut aliquas eſſe leges optemus, quibus inviolabile, ſanctumque naturæ jus cuſtodiatur; ſuum cuique tribuatur, cujuslibet vita; fortunæ, liberi defendantur, nefarii denique, perditique homines ab allis lædendis pœnarum formidine deterreantur *. Cùmque ejuſmodi leges ſanciri, vel cuſtodiri non poſſint; niſi plures in ferendis illis; obſervandiſque conſenſerit; neque nefarios homines, violatæ legis reos decernere; debitiſque pœnis punire liceat, niſi poteſtas illâ; vel auctoritas concedatur; finitimos denique populos repellere, patriamque urbem, fortunas, liberos, vitamque ipſam tueri; niſi dux aliquis; & Princeps eligatur, cujus imperio coacta civium vis dirigatur, manifeſtiſſimè apparet; quod ſocietas aliqua inſtitui debet, ac inviolabili fœdere devinciri; quâ non modò quilibet aliorum commoda, ac incolumitatem mutuo quodam ſtudio, & amore diligat; ſed aliquando etiam pro communi patriæ; aliorumque bono; utilitatem propriam; fortunam; vitamque ipſam eroget.

XXIII. Atque hæc, ut opinior; ſatis fortaſſe eſſe poterunt; ut facilè intelligi, clariſſimèque deduci poſſit, quid hominum naturæ, vel conditioni conveniens ſit, ad quod hominum narura dirigatur; ideoque quæ ſint prima naturalis juris principia, ac veluti ſemina, ex quibus cætera uberrimè deducuntur. Hominum ſiquidem naturæ, ut omnia breviſſimè complectamur, convenit, ut à Deo producta ſit, ut ra-

* Ergo eſt lex juſtorum, injuſtorumque diſtinctio ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur bonos. *Cic. lib. II. c. 5.*

ratione prædita ſit, ut cum aliis hominibus comparetur; ideoque homini naturali jure præſcribitur, ut Deum ſuper omnia diligat, ac veneretur; ſeipſum amare, tuerique ſtudeat; homines alios ſui inſtar amare debeat, ſuique conſervandi gratiâ, & amore quietam, ſtabilem, pacatamque cum ipſis ſocietatem inire, legibus conſervare: ut illa proinde bona, ac honeſta ſint, quæ primis ejuſmodi naturæ legibus conformia ſint; illa verò prava, ac inhoneſta, quæ a legibus, vel principiis illis abhorreant, ſive quæ ipſis naturæ legibus adverſentur.

XXIV. Quæ licèt ipſa per ſe nitida, vel perſpectiſſima ſint, ut ab ullo ignorari non poſſint, innumeris etiam Scripturæ auctoritatibus illuſtrari, vel confirmari maximè poſſent; ut mirari certè quis debeat Chriſtianos etiam Philoſophos in inquirendâ, vel explicandâ juris naturalis origine, definiendoque principio, ex quo veluti fonte cætera naturæ præcepta profluerent, omnes ingenii vires, atque operam inutiliter collocaſſe cùm id a Sacris Literis manifeſtiſſimè demonſtretur.

Quid enim aliud divinus hominum Magiſter juriſque naturalis interpres Chriſtus aſſeruit cum interroganti *quod eſſet mandatum magnum in lege* reſpondit *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, hoc eſt maximum, & primum mandatum: ſecundum autem ſimile huic diliges proximum tuum ſicut te ipſum; in his duobus mandatis univerſa lex pendet, & prophetæ* (a), quid, inquam: aliud aſſeruit, niſi quod prima juris naturæ capita in Dei, ſui ipſius, hominumque amore collocari de-

(a) *Matth. c. 22. v. 37.*

debebant, ex quo deinde cætera ſponte veluti ſuâ, arctiſſimâque ſerie manarent? Quod ſi fortaſſe Philoſophis illis naturalis juris originem non ex divinis Scripturarum oraculis, ſed ex ſolo rationis lumine repetere, vel inferre libuerit, reprehendi certè non poterunt; at illud profectò ferri non debet, quod in illâ ritè conſtituendâ, præcipuoque Moralis diſciplinæ capite demonſtrando non modò a Sacris Literis, ſed ab ipſo quoque rationis lumine aberraverint, ut ſuperiori loco jam diximus. Illud tamen ingenuè fatendum eſt quod illorum opiniones plurimæ, ad hanc ipſam revocari facilè poterunt, ut facilè intelliget quiſquis iterum in ipſas oculos, animumque conjecerit.

XXV. Sed explicatâ jam juris naturalis origine, aliqua nunc inferri debent, quæ, etſi clariſſima ſint, plurimam tamen lucem ſunt iis allatura, quæ inferiùs exponentur.

1. Infertur itaque primò, quod lex naturæ æterna, ac invariabilis eſſe debet. Cùm enim illa oriatur ex ipsâ hominum naturâ, vel conditione, quemadmodum natura ipſa ab æterno conſtituta variari non poteſt, nec etiam jus naturale variari poterit; ideoque, quod jure naturæ prohibitum ſit, licitum, vel bonum eſſe non poterit; aut, quod naturali jure præſcribatur, illicitum, vel pravum eſſe. Hinc Deus ipſe, licèt omnipotens, ſicuti efficere non poteſt, ut quod intrinſecè, ſive naturâ propriâ malum, ac rationali naturæ repugnas eſt, illi conveniat, ac malum non ſit; ita quoque naturæ legem invertere, abrogare, vel, ut inquiunt, in iis, quæ naturali jure ſancita fuerint, *diſpenſare* non poterit, ut alibi quoque oſtendetur cum de legis proprietatibus diſſeremus.

Quod

Quod ſi quis objecerit Deum Abrahamo imperaſſe ut filium occideret (a), Ebreis ut Ægyptiorum vaſa furarentur (b), Oſeæ ut fornicariam uxorem acciperet (c), ideoque in iis, aliiſque pluribus exemplis naturali legi derogaſſe, facilè reponi poterit, quod in iis caſibus nulla naturalis juris violatio reperitur. Naturali ſiquidem jure prohibetur homo privatâ ſolùm auctoritate alterius hominis vitam, aut fortunas eripere, in quem nullum jus, & imperium habere poteſt; non verò ſi veluti miniſter Principis, ſupremique domini imperium exequatur. Cùm itaque hominum vita, ac fortunæ in Dei veluti ſupremi, ſummique Domini imperio contineantur, poterit homo jus ſupra alterius hominis vitam, fortunaſque ſibi a Deo conceſſum exercere, ſive potiùs divinum jus, & imperium exequi, abſque eo quod ullâ furti, vel homicidii labe adſpergatur. Oſeas verò mulierem, quæ corpus vulgaverat, in uxorem aſſumere jubetur; in quo tantum abeſt ut ipſe peccaverit, ut illam potiùs a peccato revocaverit, ipſamque ſibi caſto, ac legitimo fœdere conjunxerit.

2. Infertur ſecundò, quod ejuſmodi jus naturæ, vel lex naturalis ipſis hominum cordibus inſcripta, vel impreſſa meritò dici ſolet. Cum enim illa ex ſolo rationis lumine; vel ex ſolâ naturæ propriæ, vel humanæ conditionis cognitione clariſſimè deducatur, ſive denique ex ingenito amore, quo corda noſtra Deum, nos ipſos, alioſque homines diligere debent, optimè inferri poterit, quod lex ipſa naturæ, quam legem amoris eſſe jam diximus, omnium cordibus impreſſa fuerit.

3. Ex-

(a) *Gen. c.22. v.1.* (b) *Exod. c.3. v.22.* (c) *Oſee c.1. v.2.*

3. Exinde verò tertiò deducitur, quod ut lex naturæ obliget, extrinſecùs doceri, publicari, proponi, vel promulgari non debet. Quilibet enim a naturâ ipsâ manifeſtiſſimè eruditur, cùmque ratione præditus ſit, cujus lumine naturalis legis vis, ejuſque ſervandæ neceſſitas apertiſſimè demonſtratur, uberior certè, vel extrinſeca publicatio minimè requiretur. Quod ſi Deus naturæ præcepta tabulis exarata Moyſi tradere, ac Ebreorum genti publicare voluit, ut ſequenti Capite demonſtrabitur, id ſapientiſſimo ſolum conſilio præſtitit, ut eadem præcepta Judæis clarius, ac expreſſiùs exponeret: cæterùm Judæi ipſi ante Moyſis ætatem, ſicut & aliæ gentes omnes, naturæ legem optimè noverant, ejuſque violatæ rei habebantur.

4. Inferri denique poterit, quod juris naturalis, vel eorum, quæ naturali jure prohibita, ſive præſcripta fuerint, ignorantia invincibilis admitti non poterit, quæ proinde homines a peccati ſcelere excuſet. Facilè nimirum, ac naturâ ipsâ duce, hominum quilibet internam naturæ vocem audire, jus naturale cognoſcere, quæ naturali jure vetita, ſive ſancita ſint, ideoque quæ prava, vel honeſta cenſeri debeant, diſtinguere poterit; aut ſi fortaſſe hæc omnia rite cognoſcere contempſerit, vel etiam conſultò neglexerit, ignorantia ipſa vitioſa cenſeri debet; tantumque abeſt, ut illa peccatum extenuet, ut potiùs ipſa quoque peccatum ſit.

CAP.

CAP. VII.

De Lege Divina.

I. ETſi plurima, ac infinita ferè ſint illa amoris argumenta, quo ſapientiſſimus rerum Artifex hominum genus complecti, illorumque fęlicitati conſulere conſuevit, in variis etiam legibus id mirificè apparet, quibus pro variâ temporis conditione humanos actus dirigere ſubinde voluit, ut illi faciliùs mores componere, finemque ſibi conſtitutum aſſequi fæliciter niterentur. Æterna ſiquidem, ac naturalis lex omnium quidem cordibus impreſſa, vel inſculpta fuerat, ut hominum quilibet intelligere poſſet quid ſibi vel naturæ propriæ conveniens, quidve repugnans haberetur, quid proinde amplecti, quidve reſpuere deberet, quâ denique ratione mores componere, jucundam vitæ ſocietatem inire, æternamque fælicitatem comparare poſſet; cùm tamen nitidum rationis lumen ſenſuum erroribus, præjudiciis, ac præſertim affectibus mirificè perturbaretur, neque proinde facilè cognoſci poſſet quid naturali jure vetitum, præſcriptumve fuerit. Deus optimo, ſapientiſſimoque conſilio hominum ſaluti conſuluit, ut leges aliquas per ſe, vel hominibus vęlut adminiſtris inſtitueret, quibus clariſſimè æternæ legis vis, & authoritas agnoſceretur; civilis hominum ſocietas firmioribus veluti vinculis, ac fœdere conjungeretur, homines denique, qui naturali jure Deum colere, ac certo religionis gene-

genere venerari debuerant, uno eodemque cultu, vel ſacrificiorum genere, quod ab ipſo Deo inſtitutum, atque preſcriptum eſſe intelligerent, alacriùs, meliorique ordine uterentur.

II. Itaque præter æternam legem, ſive naturæ jus, de quo ſuperiori Capite ſic diſſeruimus, ut illius originem, vim, ac proprietates omnes exponeremus, plures aliæ leges ſive a Deo proximè, & immediatè, ſive a Principibus in quibus authoritas, ac imperium ex ipſo naturæ jure reperitur, poſitæ, vel conſtitutæ ſunt, quæ proinde *poſitivæ* appellari meritò ſolent. Atque illa quidem, quæ proximè, & immediatè ab ipſo Deo præſcripta, vel conſtituta fuerit, *Divina* appellatur; cæteræ verò, quæ naturali quidem juri innituntur, atque ab illo obligandi vim ſortiuntur, ſed ab hominibus ipſis inventæ, ſive ſancitæ ſunt, *humanæ* vocantur; *civiles* quidem, ſi a Principibus conſtitutæ ad exteriorem ſolùm, civilemque ordinem dirigantur; *Eccleſiaſticæ* verò, ſi ab Eccleſiâ, vel Eccleſiæ Principibus editæ ad interiorem etiam cultum, animorumque perfectionem pertineant. Singulas itaque leges hìc ordine complectimur, ut præſenti Capite de Divinâ Lege loquamur, ſequenti verò de humanis omnibus, ſive Civiles, ſive Eccleſiaſticæ fuerint, diſſeremus. Quandoquidem verò Lex Divina ex ſolo Dei ipſius veluti ſupremi Legislatoris arbitrio pendet, ut illa revelatione ſolâ cognoſci, ideoque ſolo Scripturarum teſtimonio veluti fonte deduci poſſit, ſepoſito pauliſper rationis lumine, divina Scripturarum oracula conſulemus, ut exinde divinæ Legis originem, varietatem, & ſi quæ alia nobis explicanda fuerint, deducamus.

III. Illud itaque meritò concedi poterit primam

mam divinæ Legis originem ab ipſo generis humani principio repetendam eſſe, ut homini, ſive pulcherrimo divini Artificis operi, Deus ipſe non modò æternam legem oſtenderit, ſive naturæ præcepta humanis cordibus ferè exarata impreſſerit, ſed aliquid etiam ex libero ſuæ voluntatis arbitrio præſcripſerit, quo ſupremum jus, atque dominium oſtenderet; flexibilem hominis voluntatem anguſtioribus veluti finibus coerceret, & ad honeſtatem, nobilioremque finem dirigeret. Vix enim Deus hominem in Paradiſo, vel deliciarum horto condiderat, ipſique liberrimam poteſtatem conceſſerat, cum repente gravi, atque inviolabili lege prohibuit, ne arboris ſcientiæ fructus comederet; cùmque ille Dæmonis fraudibus, ac mulieris amore divinam hanc legem violaſſet, atque a perfecto innocentiæ munere excidiſſet, debitas illi pœnas Deus inflixit illum ex amæno voluptatis horto ejectum innumeris ægritudinibus, anguſtiis laboribus, atque ipſi demum morti ſubjecit, ut fuſiùs, & accuratiùs a ſacris Literis erudimur. Ex pluribus etiam Scripturæ ipſius authoritatibus variæ leges intelligi, vel deprehendi poſſunt, quæ primis hominibus præſcriptæ fuerunt, ut ex. gr. quod conjuges ſancto, ac inviolabili fœdere conjungi, quod creſcere, & multiplicari deberent, &c. ut expreſsè in Geneſi memoratur. Tacitâ quoque vel expreſsâ Dei voce ritus aliquis, vel aliquod ſacrificiorum genus inſtitutum eſſe videtur, quibus homines ipſi Deum veluti Numen, patremque colerent, ipſi Telluris fructus, lactis, florum, vel fructuum primitias offerrent, ut in Abel, Noe, aliorumque hiſtoriâ clariſſimè demonſtratur. Atque illud in primis vel ſacrificium, vel orationis genus, vel

qui-

quicumque ille fuerit, religionis actus inſtitutus exiſtimatur, quo parentes veluti remedio uterentur, ut originalis peccati labes, quâ infantes omnes adſperſi naſcebantur, deleri poſſet. Quamvis tamen hæc, aliaque id genus plurima Dei præcepta, ſeu leges in ipsâ mundi origine hominibus tradita meritò exiſtimentur, communis eſt tamen Theologorum omnium ſententia, quod Divina Lex in Sinai monte primùm præſcripta fuerit, atque illo temporis intervallo quod ab orbe condito ad exitum populi ex Ægypto intercesſit, ſola naturæ lex hominibus affulſerit, quâ duce mores componere, Deum colere, æternamque gloriam mereri poſſent; cui deinde lex poſitiva veluti clarior, & certior morum norma, ſive potiùs nitida legis naturalis explicatio acceſſit.

IV. Optimus itaque, amantiſſimuſque hominum Creator, ac parens, cum Judæorum gentem, quam ſibi veluti populum elegerat, ac peculiari prorſus amore complectebatur, ex diuturnâ captivitate, innumeriſque laboribus, quibus illa in Ægypto miſerrimè premebatur, eripere, atque in regionem illam inducere vellet lacte, & melle manantem, quam Abrahæ, Iſaac, & Jacob, poſteriſque illorum promiſerat, eximio prorſus, ac admirabili conſilio Moyſem elegit, quo veluti duce in graviſſimo hoc obeundo munere uterentur. Quàm verò fæliciter, ac mirificè Deus hæc omnia præſtiterit, quantâ prodigiorum copiâ Ægyptiorum impetum, Judæorum pervicaciam compreſſerit, quàm copiosè, diſtinctèque leges ediderit, a ſacris Literis erudimur. Ille nimirum pluribus, graviſſimiſque plagis Ægyptium Regem, ac populum afflixit; ille ſic aquas rubri maris extento brachio

chio diviſit, ut hinc inde veluti parietes immobiliter ſuſpenſæ aditum, ſiccumque maris alveum Judæis relinquerent; ille fluctus Judæis in oppoſito jam litore jam confidentibus, ſuper Ægyptios mare ingreſſos reduxit, ut Pharaonis exercitus, & currus veluti plumbum in aquis vehementibus mergerentur; ille ſitientibus Judæis aquas ex aridâ, percuſsâque petrâ præbuit, ille manna divinitus paratum quotidie depluit, quo nutrirentur; ille columnâ nubis interdiu, igneo ſplendore noctu errantes, ac invios in deſerto direxit; ille denique innumeris, & eximiis propemodum argumentis effuſa amoris, ac pietatis ſuæ viſcera uberrimè demonſtravit, atque illorum animos ita devinxit, ut nullum ſanè amoris, religionis, & obſervantiæ genus illis ſuppetere poſſe videretur, quo pares beneficentiſſimo patri, duci, Deoque vices rependere, gratumque animum teſtari poſſent. Pervicax tamen, & effrænis adeo gens illa fuit, ut incredibilem hunc amorem, ac beneficia frequentiſſimè contemnerent; tantumque abeſt, ut optimum, amantiſſimumque Deum colere, ac venerari ſtuduerint, ut omnia potiùs juris naturalis præcepta, quæ illorum cordibus impreſſa, ac vivâ ſubinde Moyſis voce excitata fuerant, impudentiſſimè violaverint. Eximius tamen, ac ardens amor ille, ſive clementia, quâ Deus ipſe veluti in miſericordiâ dives gloriari conſueverat, juſtiſſimam divini pectoris iram, & ultionis amorem, quo jam exarſerat, ita compeſcuit, ut cùm perditam Judæorum gentem perimere, ac diſpergere poſſet, effuſis etiam Moyſis lacrymis delinitus, illi pepercerit; ac ne pervicaci religionis æſtu in idololatriam laberentur, atque ſanctiſſima juris naturalis

ralis præcepta violarent, ſed illa nitidiùs cognoſcerent, atque faciliùs amplecterentur, eadem exponere, ſtabili ac perenni monumento inſcribere voluit, atque admirabili hoc veluti fœdere cum hominibus ipſis conjungi; ut ſi eaſdem juris naturæ leges accuratè ſervarent, ipſi gens electa, populus acquiſitionis haberentur; ſin verò contemnerent, ultricem ejus dexteram experirentur, atque a cæleſtis, ac terreſtris etiam fælicitatis, ſive hæreditatis ſpe prorſus exciderent.

V. Moyſes itaque populum anteacti ſceleris dolore commotum ſanctificari juſſit, dumque ipſe in Sinai montis vertice moraretur populus in valle montem gravi, denſâque caligine circumfundi, fulgura, ac tonitrua exinde erumpere conſpexit. Interim Moyſes ipſe ſupremi, divinique Numinis adſpectu, & colloquio honoratus ejuſmodi fœderis Tabulas, quibus Decalogi præcepta, ſive decem juris naturalis mandata Dei digito inſcripta fuerant, accepit, quas ex monte deſcendens, & igneâ veluti flammâ, quam ex colloquio Dei conceperat, illuſtratus populo oſtendit, atque uberrimè declaravit; ut quæ jam pridem ſolo rationis lumine intelligere, atque obſervare debuerant, eadem nitidiùs expoſita, ſupremique Numinis imperio propoſita, atque exarata faciliùs colerent *, eademque partim pœnæ formidine, partim mercedis, vel præmii amore inviolabiliter, accuratiſſimèque ſervarent. Ejuſmodi verò naturalis legis, ſive Decalogi præcepta, quæ lapideis

* Ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt in tabulis quod in cordibus non legebant. Non enim ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant. *Aug. in Pſ. 57. n. 1.*

tabulis inſculpta fuerant, ſequentibus verbis in ſacris Literis exhibentur (a)

I. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo ſervitutis. Non habebis Deos alienos coram me; non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, non adorabis ea, neque coles.*

II. *Non aſſumes nomen Domini tui in vanum.*

III. *Memento ut diem Sabbati ſanctifices.*

IV. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam; ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

V. *Non occides.*

VI. *Non mæchaberis.*

VII. *Non furtum facies.*

VIII. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*

IX. *Non concupiſces domum proximi tui.*

X. *Non deſiderabis uxorem ejus, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt.*

Quæ naturalis Legis, ſive Decalogi præcepta his etiam verſiculis comprehendi ſolent.

Unum crede Deum, nec jures vana per ipſum,
Sabbata ſanctifices, habeas in honore parentes,
Ne ſis Occiſor, Mæchus, Fur, Teſtis iniquus,
Alterius nuptam, nec rem cupias alienam.

VI. Neque moralia ſolùm, ſive naturalia præcepta Judæorum populo Tabulis inſcripta Deus propoſuit, verùm etiam, ut gens illa faciliùs dirigi, propriiſque legibus inſtitui, vel gubernari poſſet, quibus tranquilla ſocietas conſervaretur, plurima quoque judicialia præcepta ſancivit, quibus in adminiſtrandâ Republicâ Moyſes,

(a) *Exod. c.* 20.

ſes, aliique Judęorum Judices uterentur *. Itaque populus, qui Dei vocem caligine, fulguribuſque perterritus ferre non poterat, Moyſem exoravit, ut iterum montis verticem conſcendens Deum ibi loquentem audiret, & quidquid ab illo ſancitum, ſive præſcriptum acciperet, ad populum, velut interpres, deferret. Igitur Moyſes diuturno colloquio cum Angelo, qui Dei vocem, ac majeſtatem expreſſerat, eruditus, divinoque ſpiritu afflatus plurima judicia, ſive leges expoſuit, quæ ex alterâ Decalogi parte, ſive ex ipſis naturæ legibus veluti fonte deducebantur; ut iis Judæorum natio in publicis judiciis, atque in pœnis, quæ cuilibet ſceleri infligi debuerant, nitidè, ſanctiſſimèque dirigeretur. Singula verò ejuſmodi præcepta exponere prorſus inutile videtur, cùm & plurima ſint, & ſolam plerumque Judæorum gentem, ſive Rempublicam reſpiciant, ideoque nunc abrogata ſint, & fusè in Exodo cap. 21. 22. 23. declarentur. Qui plura deſiderat, ſcripturam ipſam, ejuſque Interpretes adire poterit, atque etiam Cunæum, & Seldenum, qui de regimine, legibus, atque Republicâ Judæorum fusè, eleganter, & accuratè diſſeruerunt.

VII. Illud interim hìc addere juverit præter ejuſmodi leges, ſive præcepta Judicialia, quæ nimirum Judæorum regimen, ac ſocietatem reſpicerent, alia plurima veluti ſacra a Deo tradita, ſive præſcripta fuiſſe, quibus cæremonię, ritus ac ordines in ſacrificiis peragendis, ciborum delectu, expiandis criminibus, Deique cultu

* Quæ eſt alia gens ſic inclita, ut habeat ceremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem, quam ego propono hodie ante oculos veſtros? *Deut. c. 4. v. 8.*

cultu Sacerdotes uterentur. Moyſes enim iterum in montem ſecedens, ibique denſa nubis caligine 40. dierum ſpatio circumfuſus omnes ejuſmodi ritus accepit, ſimulque exemplar conſpexit, ad cujus ſimilitudinem tabernaculum, & arcam fœderis ædificare debebat. Ejuſmodi verò præcepta, quæ *cæremonialia* vocari ſubinde ſolent, in Levitico continentur, librum nimirum, quo Leviticæ Tribûs homines, in quibus Sacerdotii jus, & honor hæreditarium veluti munus conſervari debuerat, erudirentur. Atque illi quidem ritus omnes, ac cæremoniæ, etſi illuſtres admodum, ſanctæ, ac venerabiles viderentur, quod ab optimo, ſapientiſſimoque Deo inſtitutæ, in optimi, ſapientiſſimique Numinis cultum dirigerentur; longè tamen nobiliores auguſtioreſque cenſeri poterant, quòd illæ futurùm humani generis Redemptorem, promiſſum Patribus Meſſiam, vel Chriſtum ipſum veluti figuræ quædam, ac imagines ita reſpicerent, ut ex ſolo Chriſti merito, vel futuri Redemptoris ſanguine vim, robur, & efficaciam omnem acciperent.

VIII. Ex iis verò, quæ hactenus de veteri, ſive Moſaicâ Lege dicta ſunt, clariſſimè apparet, quod illa, ſive præcepta, quæ continet, ſive Deum ipſum, a quo ſancita fuerat, conſideres, veluti bona, juſta, maximèque conveniens haberi debet. Ac certè, quod ad præcepta ipſa pertinet, illa diſtingui debent, ut antea dicebamus, in *moralia*, *judicialia*, ac *cæremonias*. Moralia, quæ moribus nimirum dirigendis, perficiendiſque conferunt, ſunt ipſa juris naturalis præcepta clariùs, & expreſſiùs propoſita; ideoque, ſicuti jus naturale puriſſimum, ſanctiſſimumque cenſeri debet, quippe quod ex ipsâ

ho-

hominis naturâ vel divinâ ſanctitate veluti fonte profluxerit, ita quoque moralia legis Moſaicæ præcepta puriſſima, atque juſtiſſima haberi debent, Judicialia verò, etſi a libera solùm Legislatoris voluntate pendeant, mirificè tamen cum ipſo naturali jure conſpirant, atque ab illo clariſſimè deducuntur; ut iis proinde Judæorum animi ad jus naturale, ac tranquillæ ſocietatis fœdera conſervanda optimè dirigerentur. Ritus denique, ac cæremoniæ ſingulæ ita ab optimo, ſapientiſſimoque Legislatore ſunt inſtitutæ, ut rudes, ac pervicaces Judæorum mentes corporeis, ac ſenſibilibus religionis actibus ad veri Dei cultum excitarentur; cùmque in Ægypto ritus plurimos, ac cæremonias conſpexiſſent, quibus Ægyptii Iſidem, Oſiridem, aliorumque Deorum gregem colere conſueverant, ac fortaſſe vereri, vel ſuſpicari poſſe viderentur non ſatis auguſtam, ac ſinceram religionem eſſe, quæ ſplendidis ritibus non uteretur, amantiſſimus Pater illorum moribus, vel ingenio ſe accommodans leges, ac cæremonias illas inſtituit quæ auguſtæ, ſplendidæ, ac magnificæ forent, quæque Ægyptiorum ritibus ſimiles viderentur; ut expreſsè Theodoretus (*a*), ac D. Joannes Chryſoſtomus (*b*) teſtatur.

IX. Quæ vero de Lege veteri, ſive de libris, in quibus eadem præcepta a Moyſe tradita continentur, illorumque ſanctitate jam diximus, de cæteris etiam libris, qui in antiquo Fœdere continentur, intelligi debent. Cum enim lex illa Moyſi tradita in variis etiam veteris Teſtamenti libris expoſita, vel confirmata ſit; omneſque libri divinitùs inſpirati, ſive divini

(*a*) *Ser. 7. de Sacrif.* (*b*) *hom. 6. in Matth.*

Spiritus lumine, qui loquutus eſt per Prophetas, conſcripti fuerint, par illis omnibus dignitas, autoritas, atque majeſtas concedi debet. Quandoquidem verò ex ſingulis ferè, antiqui Fœderis voluminibus teſtimonia, vel authoritates aliquæ deſumi ſubinde ſolent, juverit hìc illorum ſeriem exponere ſicuti a Tridentinâ Synodo ſeſſione IV. tradita, vel numerata ſunt.

Itaque primo veteris Teſtamenti loco reperitur *Pentateuchus* a Moyſe compoſitus, quo nimirum quinque libri continentur, *Geneſis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*. Tunc ſequitur liber *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, IV. libri *Regum*, II. *Paralipomenon*, liber primus *Eſdra*, & ſecundus, qui *Nebemias* inſcribi ſolet. *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, *Pſalterium Davidicum*, *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *Cantica Canticorum*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*. Deinde quatuor Prophetæ majores *Iſaias*, *Jeremias cum Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*. Tum XII. Prophetæ minores, *Oſee*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michaas*, *Naum*, *Habacuch*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias*. Ultimo deinde loco II. libri *Machabæorum*.

Atque iſta quidem volumina, ſeu veteris Teſtamenti libri, in novo quoque Fœdere a Chriſto, vel Apoſtolis laudari ſolent, illorumque autoritas adhiberi, vel ſub communi *legis* nomine, vel expreſſis plerumque Moyſis, & Prophetarum nominibus: ut præſertim Chriſtus Apoſtolos alloquens, ſeque in veteri Teſtamento Patribus promiſſum oſtendens ait *neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis, & Prophetis, & Pſalmis de me* (a) ex quo certè loco veteris Teſtamenti, vel legis ſanctitas, digni-

(a) *Luc. c. 24. v. 44.*

gnitas, ac divina prorſus authoritas manifeſtiſſimè demonſtratur.

X. Itaque Marcionitarum, Manichæorum, ac Priſcillianiſtarum hæreſim, ac impudentiam ſatis mirari non poſſumus, qui veterem legem vitioſam, malam, ac injuſtam, atque a Deo, vel principio malo in hominum perniciem ſancitam eſſe dixerunt, quos Tertullianus in primis, atque Auguſtinus accerrimè confutarunt. Atque innumeris etiam rationibus, Scripturæque authoritatibus facilè revinci illi poſſent, niſi Moſaicæ legis bonitas, & ſanctitas illa clariſſimè appareret.

Id unum fortaſſe ſcrupulum iniicere, vel opponi poſſet quod lex ipſa in Scripturis *non bona* *(a)* *mortis miniſtratio (b)*, vel cauſſa appelletur, ac jugum, *quod nec Patres noſtri, nec nos portare potuimus (c)*; tantumque abeſt ut temporalium rerum amorem in nobis extinguat, ut illum potiùs vividius excitet dum terrena ſolùm, ac temporalia bona veluti præmia pollicetur.

XI. His tamen, aliiſque id genus authoritatibus, quæ ex ſacris Litteris afferri poſſent, facilè reſpondetur. Ac primò lex ipſa non bona, ideſt imperfecta vocatur, quòd, quamvis ipſa per ſe bona, ſive perfecta ſit, ſi tamen cum Evangelicâ, puriori nimirum, ac perfectiori lege comparetur, imperfecta quodammodo, ac mala videatur; & ſicuti *mala quaſi mala eſſe deſinunt comparatione pejorum, & bona quaſi bona non ſunt comparatione meliorum; melioribus novi Teſtamenti præceptis ſubſequentibus, præcepta bona,*

(a) *Ezech. c. 20. v. 25.* (b) *I. I. Corinth. c. 3. v. 7.* (c) *Act. c. 15. v. 10.*

bona, quæ rudibus data ſunt, non bona eſſe memorantur (a). Mortis verò, ſive peccati cauſſa vocatur ſive quòd propoſitâ nobis lege vividiùs allicimur ad peccandum juxta celebre effatum illud *nitimur in vetitum*; ſive quòd peccatum ipſum, quod etiam ſinè propoſitâ lege committebatur, clariùs poſt naturæ legem in Decalogo explicatam cognoſcitur, & gravius quodammodo, minùſque veniâ dignum ex ęternę, ſimulque poſitivę legis violatione efficitur. Deinde verò lex vetus graviſſima, ac intolerabilis etiam vocatur quòd ipſa certè vires non inſpiret, nec ſolis naturę viribus, ſed gratiâ ſolùm impleri, ſervarique poſſit, quod etiam de juſtiſſimâ, atque ſanctiſſimâ naturę lege verificatur. Gravis etiam ab Apoſtolis ipſis lex dicebatur, & optimè vocari poteſt, ſi cum Evangelicâ conferatur, quę lex amoris, lex gratię, lex filiorum, *jugum ſuave, ac onus leve* [b], ſępiſſimè appellatur, ut inferiùs oſtendemus.

Terrena denique, ac temporalia bona in veteri lege veluti pręmia promittebantur, non ut ipſorum cupiditas in Judęorum animis excitaretur, ſed ſolùm ut rudes illi, & carnales homines terrenis ejuſmodi bonis deliniti, ac invitati propoſitam ſibi legem ſervarent, ut ęterna, ac ſpiritualia bona, Deumque ipſum veluti ſummum, ultimumque finem, ac mercedem conſequerentur; quod non modò de Judęis ipſis, ſed de Chriſtianis etiam intelligi poterit, quibus non ęterna ſolùm, ſed etiam temporalia bona ab amantiſſimo, beneficentiſſimoque Patre promittuntur. *Non itaque ſpes noſtra in temporalium rerum promiſſione defixa eſt, quando-*

(a) *Greg. Moral. XXVIII. c. 7.* (b) *Matth. c. 11. v. 30.*

ſiquidem nec ipſos illius temporis ſanctos, & ſpirituales viros, Patriarchas, & Prophetas his terrenis rebus fuiſſe deditos credimus [a]. David certè cùm in Pſalmo 143. temporalia bona, delicias omnes, ac voluptates enumeraſſet, quę ab hominibus haberi poſſunt, eos reprehendit, qui *beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt*, ille nimirum fęlix erit, verèque *beatus populus, cujus dominus Deus ejus*; cujus nempe amor, deſiderium, atque perfecta fęlicitas in ſolo Deo veluti ſummo, ęterno, incomutabili bono collocatur: ac Deus ipſe, cùm Abrahę, ejuſque poſteris plurima terrena bona ſe daturum eſſe promiſiſſet, illud etiam adjunxit *ego ero merces tua magna nimis* (*b*), ut oſtenderet veram, ac ſinceram beatitatem, verumque pręmium non in terrenis ejuſmodi bonis, ſed in ſolâ Dei poſſeſſione conſiſtere.

XII. Ceterùm veterem hanc, ſive Moſaicam legem ſanctam, ac ſinceram fuiſſe exinde quoque clariſſimè inferri poterit, quod Chriſtus ipſe, ęterni Patris ſapientia, ęternuſque Deus ipſam non ſolvere, ſed adimplere venit, ejuſque ritus omnes, ac cęremonias ſervare, libentiſſimèque complecti voluit, ac ſi aliorum hominum inſtar eidem legi ſubiiceretur: etſi peracto jam trigeſimo tertio ętatis ſuę anno novam, ſuavioremque Evangelicam legem inſtituit, atque diſcipulis primùm, quos elegerat, deinde verò Judęis omnibus demonſtravit.

XIII. Cùm itaque expectata plenitudo temporis adveniſſet (*c*), ęternique Patris filius Patribus promiſſus in terris viſus eſſet, & cum ho-

(*a*) *Aug. l. V. contra Fauſt.* (*b*) *Gen. c. 15. v. 1.* (*c*) *ad Gal. c. 3. v. 23. & c. 4. v. 5.*

hominibus converſatus, veteris legis figuræ, quæ velut umbra futurorum præſcriptæ fuerant, miro, & incredibili novæ legis, ac Evangelii ſplendore paullatim dilui, vel diſſipari cæperunt. Quo verò tempore, quave ratione lex Evangelica inſtituta, vel ſenſim promulgata fuerit, pluribus in locis a ſacris Literis erudimur. Cum itaque Joannes in Jordane populum baptizaret, omniumque pectora ad pœnitentiam excitaret, ut pararet Domino plebem perfectam, vicinamque generis humani ſalutem prænunciaret, Jeſus ipſe peracto quadraginta dierum jejunio ad Jordanem acceſſit, ibique a Joanne baptizari voluit, ut juſtitiam omnem impleret. Tum aperto cęlo, divinoque Spiritu ſuper ipſum columbæ ſpecie illapſo, Æterni Patris vox audita eſt, quâ Jeſus ipſe Dei Filius, communis Redemptor hominum, ac Magiſter dicebatur, quod antea Joannes ſuperno afflatus Spiritu cognoverat, atque Judæis ipſis oſtenderat.

XIV. Exinde verò divinis ejuſmodi vocibus, ac Præcurſoris teſtimonio mirificè commendatus, Diſcipulos aliquot elegit, quorum animis Evangelicæ legis præcepta ſenſim inſevit, purioremque hujus Divinæ Legis ſplendorem oſtendit. Quis verò paribus, ne dicam verbis exprimere, ſed animo quoque complecti poſſit, quo amore, quo deſiderio, quâ morum ſuavitate, quâ verborum vi, quo labore, quo zelo, quo denique virtutum ſplendore, & miraculorum copiâ varias ille regiones adiverit, ibique ſingulis privatim, ac publicè Evangelicæ legis præcepta diffuderit, proximæque ſalutis, ac redemptiones ſpem in illorum cordibus excitaverit? Ubi verò puriſſimas ille, amoris plenas, ſanctiſſimaſque leges edidit, nova Sacramenta, novoſque

que ritus inſtituit, atque præſertim peractâ paſchali cęnâ corporis, ſanguiniſque proprii ſubſtantiam fidelibus ſuis immortali munere conceſſit, quid aliud ab optimo, beneficentiſſimoque Patre ſperandum, vel optandum adhuc ſupererat, niſi, ut ille juxta vetera Prophetarum oracula, ſanguinem, vitamque propriam pro communi generis humani redemptione amoris victima effunderet? Quàm verò fæliciter, abundè, & accuratè veteris legis oracula, & figuras omnes impleverit dum opprobriis ſaturatus oppreſſus doloribus, cruci ſuffixus Æterno Patri ſpiritum obtulit, ex innumeris novi, veteriſque Fœderis authoritatibus oſtendi poteſt, ac Redemptor ipſe maniſeſtiſſimè demonſtravit, dum jam moriturus Scripturas omnes impletas eſſe conſpiciens *conſummatum eſſe* [a] exclamavit, novamque legem, nova ſacramenta veteribus abrogatis proprio ſanguine, propriâque morte conſecravit.

XV. Novam tamen, eximiamque lucem, Evangelicæ legi, maximumque robur adjecit, ubi Redemptor ipſe tertiâ poſt mortem die Diſcipulis redivivus apparuit, ac perenni quadraginta dierum tempore cum ipſis conveſcens, & converſatus illos iterum erudivit, Scripturarum cognitionem ipſis conceſſit, novæque legis ubique gentium promulgandæ munus injunxit, inquiens *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, docentes eos ſervare quæcumque mandavi vobis* [b]; donec peracto jam 40. dierum ſpatio ipſis conſpicientibus candida nube circumfuſus ad cęlos iterum aſcendit,

(a) *Joann. c. 19. v. 30.* (b) *Matth. c. 28. v. 19.*

dit, æternamque gloriam mortis, peccatique triumphator aperuit. Neque tamen orphanos illos deſeruit, ſed decimâ poſtquam cęlos aſcenderat die Paraclitum Spiritum ſuper illos effudit; cùmque ſimul in cænaculo lacrymis, effuſiſque votis promiſſum ſibi Spiritum expectarent, facto repente vehementi ſonitu ita Divinus Amor ſub ignis imagine illabi voluit, ut accenſæ flammæ linguarum inſtar ſuper illorum ſingulos coruſcarent. Quo miro, ac ineffabili divino munere Apoſtoli non modò in charitate, vel gratiâ perenniter, ac invariabiliter confirmati, Scripturarum cognitione divinitus illuſtrati, omniumque linguarum dono exornati fuere; verùm etiam novo, vividiorique ſpiritu, & fidei propagandæ zelo incenſi, quo repente ex Cœnaculo erumpentes Chriſti divinitatem, ejuſque legem liberè, coſtantiſſimèque Judæis primùm, finitimiſque populis prædicarunt, deinde verò ad barbaras etiam, remotiſſimaſque gentes uberrimè diffuderunt, ac proprio demum ſanguine confirmarunt.

XVI. Hinc mirari certè non poſſumus, ſi eodem ipſo Pentecoſtes die Petrus e Cœnaculo proſiliens, partim ex celebri Joelis oraculo, partim ex ipſa rei novitate, partim denique ex admirabili linguarum cognitione putidas Hebræorum calumnias, qui Apoſtolos ebrios eſſe impudentiſſimè conjecerant, ita compreſſit, ut uno ſermone tria Judæorum millia ad Chriſti fidem perduxerit, & Apoſtolorum ſinguli brevi temporis intervallo ad extremas etiam Orbis plagas Evangelii gloriam invexerint; ut jam profligato Deorum cultu, templis everſis, confutatis Philoſophorum erroribus, Chriſtiana Religio a duodecim ſolùm, rudibus, obſcu-

obſcuris, abjectiſque hominibus, non ferro, vel armis, ſed auguſto solùm Crucis vexillo contra immanes Ethnicorum Principum, vel Tyrannorum impetus ubique gentium fęliciter triumphaverit. Quę mira certè populorum omnium in amplectendâ Chriſtianâ Religione conſenſio, atque incredibilis in propagandâ fide fęlicitas cęteris argumentis adjungi meritò poteſt, quibus Chriſtiana Religio eximiis veluti luminibus illuſtratur, clariſſimâ notâ, vel charactere a cęteris omnibus Sectis, vel Religionibus diſtinguitur, atque omnium animis mirificè commendatur; ut poſt Juſtinum, Athenagoram, Auguſtinum, alioſque Patres, Grotius ipſe, aliique plurimi demonſtrarunt *(a)*.

XVII. Atque ita quidem lex nova, vel Evangelica inſtituta, publicata, atque mirificè confirmata fuit, brevique temporis intervallo ad barbaras etiam, remotiſſimaſque gentes diffuſa, atque fęliciter propagata. Quod ſi novam hanc legem cum veteri, ſive Moſaicâ lege conferre libuerit, plurima certè ſunt illa, in quibus ipſę conveniunt, ut vetus proinde veluti umbra novę, ſive figura *cenſeri debeat; ſed plurima quoque ſunt illa, in quibus vetus a novâ veluti puriori, perfectiorique mirificè ſuperatur. Illa nimirum *per Moyſem data eſt* (b), unde Moyſes ipſe *ego*, inquit, *ſequeſter*, *& medius fui inter Dominum*, *& vos* (c); *ſed gratia*, *& veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*, nimirum evangelica ab ipſo Deo, ęternique Patris filio conſtitu-

(a) *De verit. Relig. Chr.* (b) *Joann. c. 1. v. 17. & c. 7.* (c) *Deut. c. 5. v. 5.*

* Priùs autem, quàm veniret fides ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat. *ad Gal. c. 4. v. 23.*

ſtituta. Illa pręcepta quidem, ſed non vires, aut gratiam, quibus eadem impleri poſſent, hominibus largiebatur; hęc amorem etiam, vividumque ſpiritum fidelium cordibus inſpirat, quo puriora charitatis pręcepta ſervare poſſint *. Illa ſeverior, ac veluti ſervis conſtituta quodammodo videbatur, qui pœnarum formidine coercerentur, unde *lex timoris* a ſacris Literis appellatur; hęc ſuavior ab optimo, amantiſſimoque patre filiis propoſita, qui ſolo virtutis amore operentur, unde *lex amoris* optimè exiſtimatur. Illa lapideis tabulis inſculpta, taurorum ſanguine confirmata **; hęc in ipſis fidelium cordibus impreſſa, ſive diffuſa per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, divino Redemptoris ſanguine eſt conſecrata. Illa per Angelum Moyſi in Sinai monte tradita dum montis culmen vehementi fragore, fulgure, tonitru circumfuſum incredibilem pavorem, terroremque in populi cordibus excitaret; hęc in cęnaculo Apoſtolis Divini Spiritûs illapſu conſignata, dum facto vehementi fragore igneę linguę illorum ſingulis inſiderent, illorumque pectora eximio amoris impetu arderent, ac ęſtuarent. Illa in ſenſibilibus hoſtiis veluti imagine quadam

---

* Præcepta charitatis inaniter darentur hominibus non habentibus liberum voluntatis arbitrium; ſed quia per legem dantur & veterem, & novam (quamvis in nova venerit gratia, quæ promittebatur in vetere, lex autem ſinè gratia litera eſt occidens, in gratia verò ſpiritus vivificans) unde eſt in hominibus charitas Dei, & proximi, niſi ex ipſo Deo? *Aug. de gr. & lib. arb. n. 33. al. c. 18.*

** Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus eſt, hic in cordibus hominum. Ibi ergo lex extrinſecùs poſita eſt, qua juſti terrerentur, hic intrinſecùs data eſt, qua juſtificarentur. *Aug. de Spir. & lit. n. 29. al. c. 17.*

dam futura ſignificans, futurorum umbra (*a*) dicebatur, ut *omnia* proinde Judæis *in figurâ contingerent* (*b*); hæc admirabili, incruentoque ſacrificio, quo Chriſtus ipſe amoris victima, perenne, gratiſſimumque Patri holocauſtum offertur, omnia jam impleta, ſive perfecta ſignificat, ut proinde Chriſtus ipſe *finis legis* (*c*) optimè exiſtimetur. Illa non omnibus quidem Gentibus propoſita, ſed Judæis ſolùm; atque iis, qui ex Gentibus Judaicam legem liberè amplecti vellent, ut omnes proinde Gentes, etſi ritus, cæremonias, atque judicia, quæ veteri lege præſcripta fuerant, minimè ſervaſſent, ſolo rationis lumine, naturæque legis obſervantiâ æternam gloriam conſequi poſſent; iſta verò non Judæis ſolùm, ſed omnibus etiam barbaris, remotiſſimiſque gentibus, quæ ſub cælo ſunt, ita propoſita, ſive ſancita fuit, ut nullus unquam ſalvari, æternamque gloriam aſſequi poſſit, qui Chriſti fidem amplecti, baptizari, Chriſtianæque legis præcepta implere noluerit. Illa denique, ne ſingula fuſiùs, atque minutiùs proſequamur, non perpetua, perennis, ac æterna futura fuerat, ſed tandiu ſolùm florere, ſive vigere debuit, *donec veniret ſemen, cui promiſerat* (*d*) Deus, Chriſtus nempe, ac evangelicæ doctrinæ ſplendor nitidiſſimus affulgeret; hæc verò perennis, ac immutabilis eſt futura; vimque ſuam, plenumque robur habere debet, donec peracto jam univerſi temporis ſpatio æternitas oriatur, atque Evangelii gratia ad æternæ gloriæ fælicitatem, quò nos dirigit, tandem deducat.

XVIII.

(*a*) *Hebr. c.* 10. *v.* 4. (*b*) I. *Cor. c.* 10. *v.* 11. (*c*) *Rom. c.* 10. *v.* 4. (*d*) *Galat. c.* 3. *v.* 19.

XVIII. Veterem itaque legem quoad judicialia ſolùm præcepta, ritus, ac cæremonias, Evangelicæ, novæque legis ſplendore diſcuſſam, reſciſſam, & abrogatam eſſe clariſſimis Scripturæ authoritatibus erudimur, atque in hoc omnes mirificè conſpirant. Nonnulli tamen ex veteribus Eccleſiæ Patribus inter ſe diſſidebant in definiendo tempore, quo lex vetus ita abrogata fuerit, ut non modò inutilis, ac mortua, ſed etiam mortifera fuerit, ideoque ſinè peccato obſervari non potuerit. Illud itaque Divo Hieronymo videbatur, veterem legem ita Chriſti morte conſummatam, abrogatam, & extinctam eſſe, ut exinde licitè obſervari non poſſet, ac proinde meritò læthalis, atque mortifera diceretur. Cùm enim leges, ac ritus omnes, qui in veteri, ſive Moſaicâ lege continebantur, eſſent velut umbra, ſive figuræ quædam, quibus futura generis humani reparatio, Redemptor ipſe, evangelica lex amoris, puriora Chriſtianę, vel evangelicę legis pręcepta, ritus, ac ſacrificia ſignificabantur, ubi Redemptor ipſe jam adveniſſet, figuras omnes impleviſſet, proprioque ſanguine novi Teſtamenti, vel Fœderis inſtitutionem confirmaſſet, inutile prorſus, indecorum, atque illicitum videri poterat figuras adhuc, & umbras amplecti; atque ille meritò reprehendi poſſe videbatur, qui umbras veritati, figuras figurato conjungere, imperfecta cum perfectis confundere niteretur. Apoſtolus certè pluribus in locis expreſsè docet, quod *finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti (a)*, & Galatas vituperans, qui veterem cum novâ lege conjungere meditabantur *ſi circum-*

(a) *Rom.* c. 10. v. 4.

cumcidamini, inquit, *Chriſtus vobis nihil prode-rit (a)*; ac ſi novę, vel evangelicę legis dignitatem evertere, vel ejurare videretur qui jam abrogatas veteris cęremonias ſervaret. Hęc, aliaque id genus plurima Hieronymum impulere, ut veterem legem poſt Chriſti mortem illicitam, ſive mortiferam crederet; omneſque *caremonias Judaorum & perniciosas eſſe, & mortiferas Chriſtianis; & quicumque eas obſervaverit, ſive ex Judais, ſive ex Gentibus, eum in barathrum diaboli devolutum (b)* putaret. Cumque Auguſtinus, qui oppoſitam ſententiam acerrimè defendebat, Hieronymo obiiceret Apoſtolos ipſos poſt Chriſti mortem, & ubi quoque divinum Spiritum cœlitus illapſum recepiſſent, ideoque clariſſimo Fidei lumine, puriſſimoque evangelicę doctrinę amore illuſtrati, vel accenſi fuiſſent, plurimas veteris legis cęremonias obſervaſſe, ut in Scripturis ipſis evidentiſſimè demonſtratur, reponere ſolebat Hieronymus Apoſtolos a veteri, ſive Moſaicâ lege veluti mortiferâ plurimùm abhorruiſſe; ſubinde tamen ſe illius cultores extrinſecè tantummodo ſimulaſſe, ut Judęos veteris legis amore, paternarumque traditionum zelo vividiùs incenſos, faciliùs ad novę legis amorem, ſincerumque cultum allicerent, atque cum Judęis ipſis liberiùs converſari poſſent. Cùmque iterum Hieronymo opponeretur Paulum Antiochię reſtitiſſe in faciem Cephę, ſeu Petro *(c)*, quòd illi reprehenſibilis videretur dum Gentes nuperrimè ad Chriſti fidem converſas cogeret *judaizare*, vel Judęorum ritus, ac cęremonias ſervare, ideoque Apoſtolos, ac Petrum imprimis a veteri lege non abhorruiſ-

(a) *Gal. c. 5. v. 2.* (b) *D. Hierony. Auguſtino Epiſt. LXXXIX. cap. 2.* (c) *ibi. cap. 2.*

ſe, reponere ſolebat Hieronymus illud etiam ſictè, ſimulatè, vel ex condicto contigiſſe: Apoſtolos nimirum ſincero, conſtantique zelo veteris legis cultum rejeciſſe, atque ut liberiùs deindè ſinè offenſione, vel ſcandalo externos etiam illius ritus deſererent, Paulo ſuaſiſſe, ut ipſe quâ erat dicendi copiâ Petrum, alioſque Apoſtolos veluti judaicè viventes reprehenderet, ut omnes deinde Petri exemplo Pauli conſilium, ſive pręceptum amplecterentur, omnemque ſimulationem, externoſque ritus abiicerent. Quis enim, addebat Hieronymus, exiſtimet Paulum non ſimulatè ſolùm, & ex condicto, ſed ſincerè Apoſtolos alios reprehendiſſe, dum ipſe quoque plurimos veteris legis ritus, ac cęremonias religiosè ſervavit, pręſertim ubi Timotheum circumcidit *(a)*, ſacrumque Nazareatûs votum Hieroſolimis emiſit *(b)*? Quemadmodum itaque Paulus partim timore, partim Judaicę ſalutis deſiderio non ſincerè, ſed ſimulatè veteris religionis ritus ſervavit, ita quoque Petrus, aliique Apoſtoli ſimulatè ſolùm ipſos aliquando obſervarunt, unde a Paulo ſincerè culpari, vel reprehendi non poterant; ſicuti certè reprehenſibiles illi fuiſſent ſi veteris legis pręcepta, quę jam pridem illicita, ſive mortifera fuerant, ex animo, ſive ſincerè obſervaſſent.

XIX. Quamvis tamen Auguſtino, aliiſque plurimis Hieronymi authoritas maximi certè ponderis videretur, nullâ tamen ratione Auguſtinus adduci potuit, ut crederet Apoſtolos ſimulatè ſolùm ritus illos obſervaſſe, quos illicitos, atque mortiferos eſſe cognoſcerent; ideoque Petrum non ſincerè, ſed ex condicto, vel ſimulatè

(a) *Act. c. 16. v. 3.* (b) *Act. c. 18. v. 18.*

tè reprehenſum eſſe. Quis enim exiſtimet Apoſtolos divino Spiritu, ac admirabili Chriſtianę fidei zelo ſuccenſos, qui Hieroſolimis virtute magnâ, conſtantique voce evangelicę doctrinę majeſtatem Judęis, Gentibuſque profeſſi jam fuerant, veteris, atque mortiferę legis ritus ſimulaſſe, quod certè ſinè maximo Chriſtianę Fidei dedecore, vel ſcelere fieri, ſive fingi non poterat *? Quis facilè exiſtimet Paulum ſimulatè ſolum non ſincerè Petrum reprehendiſſe, cùm certè poſt aliquod temporis ſpatium Galatas ex animo, ſincerèque reprehenderit, quòd illa prorſus ſervarent, quæ a Petro, aliiſque ſervari jam viderant; iterumque teſtetur ſe Petrum quoque reprehendiſſe *non rectè ambulantem ad veritatem Evangelii*; atque, ut majorem ſibi fidem conciliaret, idque ſincerè, conſtanterque a ſe factum oſtenderet, Deum veluti rei, ac veritatis teſtem invocat, *quæ autem ſcribo vobis*, inquit, *ecce coram Deo quia non mentior* [a]. Quod ſi Apoſtoli non ſincerè ſed ſimulatè veterem legem ſervaſſent, ſi Paulus ſimulatè Petrum reprehendiſſet, ſi veluti ſincerè factum narraſſet Galatis, quod ſimulatè ſolum contigerat, Apoſtoli, ac Paulus ipſe a mendacio, vel ſcelere excuſari non poſſent: non Apoſtoli certè, qui veram, ſinceramque fidem coram hominibus profiteri erubuiſſent, veteremque legem, quam læthalem, atque mortiferam eſſe noverant, ſimulaſſent; non Paulus, qui ſimulatâ reprehenſione ſcandalum in fide-

 libus

(a) *Gal. c. 1 v. 20.*

* Quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt. *Aug. contra menda c. 7. n. 18. & Apoſt. ad Rom. c. 7. v. 8.*

libus excitaſſet, ac modò ſimulatè Petrum, modò ſincerè Galatas reprehendiſſet; teſtem denique veritatis Deum in illo invocaſſet, in quo ſimulatio ſolùm interceſſerat. Hinc optimè contra Hieronymum Auguſtinus ipſe concludit, *ſi hoc fecit Petrus, quod facere debuit, mentitus eſt Paulus, quod eum viderit non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii. Quiſquis enim hoc facit, quod facere debet, rectè utiquè facit. Et ideò falſum de illo dicit, qui dicit eum non rectè feciſſe, quod eum novit facere debuiſſe. Si autem verum ſcripſit Paulus, verum eſt, quod Petrus tunc non rectè ingrediebatur ad veritatem Evangelii. Id ergo faciebat, quod facere non debebat, & ſi tale aliquid Paulus ipſe jam fecerat, correctum potius etiam ipſum credam Coapoſtoli ſui correctionem non potuiſſe negligere, quàm mendaciter aliquid in ſua Epiſtola poſuiſſe; & ſi in Epiſtola qualibet, quantò magis in illa, in qua prælocutus ait, quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior... Dent veniam quilibet aliud opinantes: ego magis credo tanto Apoſtolo in ſuis, & pro ſuis literis juranti, quàm cuique doctiſſimo de alienis literis diſputanti* (a).

Clariſſimis itaque Scripturarum authoritatibus, atque rationibus Auguſtinus Hieronymum a priſtinâ ſententiâ, quam conſtanter adeo defenderat, fæliciter revocavit; ut ſincero deinde, arctiſſimoque charitatis, opinionumque fœdere uterque devinciretur, ut Auguſtinus ipſe in 180. epiſtolâ fusè commemorat. Communis itaque illorum opinio nobis explicanda nunc supereſt, ut clariùs adhuc, & illuſtriùs intelligatur, quo tempore Moſaica lex extincta, vel abro-

(a) *Loc. cit. c. 2. vel n. 7.*

abrogata fuerit, ideoque lex Evangelica vim, plenumque robur acceperit.

XX. Tria itaque tempora diſtingui debent; illud nimirum, quo lex vetus adhuc florere, vel obligare concipitur; aliud, quo ampliùs obligare jam deſiit, ideoque mortua, abrogata, vel extincta fuerit; ultimum denique, quo obſervari non potuerit, ſed prorſus illicita, atque mortifera evaſerit. Illud itaque certum, perſpectiſſimumque eſſe debet, veterem legem floruiſſe, plenumque robur habuiſſe uſque ad Chriſti mortem, quâ ritus omnes veluti figuræ completæ, vel conſummatæ fuerunt. Ac certè Redemptor ipſe non modò ſingula veteris legis præcepta religiosè, accuratiſſimèque ſervavit, dum a parentibus circumcidi, in templo offerri, leproſum a ſe mundatum ad Sacerdotes mittere, Hieroſolimam ad diem feſtum aſcendere, Paſchalem agnum comedere voluit, ut optimè proinde dixerit, *non veni ſolvere legem, aut Prophetas, ſed adimplere* (a); verùm etiam Judæos omnes ad veteris legis obſervantiam, ſincerumque cultum excitavit: ac licèt perditos Scribarum mores vituperaret, illos tamen audiendos eſſe docuit cum ait *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite* (b), clariſſimè oſtendens veteris legis ſanctitatem, majeſtatem, plenumque robur, in corruptis etiam Phariſæorum moribus inviolabiliter conſervari. Quod ſi alicubi in Evangelio dicitur, quod *lex, & Prophetæ uſque ad Joannem* (c) fuerunt, id ſolùm intelligi debet de Prophetis, qui Chriſtum, hu-

(a) *Matth.* 5. v. 17. (b) *Matth.* c. 23. v. 2. (c) *Luc.* c. 16. v. 16.

manique generis Redemptorem venturum eſſe dicebant, cùm Joannes ipſum veluti præſentem oſtenderet exclamando *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (a); ſive uſque ad Joannem non alia lex tradita, vel inſtituta fuit, quàm vetus, & Moſaica; ubi verò Chriſtus a Joanne baptizari voluit, novæ legis ſacramentum inſtitui, nova pręcepta doceri, novumque fœdus iniri cępit; etſi nondum Evangelica lex obligaret, ideoque nondum Moſaica extincta, vel abrogata jam foret.

XXI. Itaque dubitari non poterit veterem legem in Chriſti morte ita abrogatam, & extinctam eſſe, ut ampliùs obligare non poſſet, ideoque abrogatę legis initium a ſolâ Chriſti morte repetendum eſſe. Hinc Redemptor ipſe cruci ſuffixus, brevique moriturus ſingula antiqui fœderis myſteria relegens, atque illa perfectè impleta conſiderans exclamavit *conſummatum eſt* (b), admirabile nimirum Redemptionis opus in lege veteri expreſſum plenè peractum, & abſolutum eſſe; ideoque *tunc totaliter ceſſare legalia, quaſi jam veritate eorum conſummatâ* (c). Hinc moriente Chriſto Templi velum ſciſſum eſt, *quo myſteriorum Synagogæ profanatio declaratur* [d]; *tunc a lege ad Evangelium, a Synagoga ad Eccleſiam, a multis ſacrificiis ad unam hoſtiam, quæ Deus eſt, evidens eſt facta translatio* (e). Hinc denique Apoſtolus ait quod *translato ſacerdotio neceſſe eſt, ut & lègis translatio fiat* (f); ideoque quod ubi Chriſtus novus Sacerdos ſeipſum Patri velut hoſtia in arâ Crucis obtulit, proprioque ſan-

(a) *Joann. c. 1. v. 29.* (b) *Joann. c. 19. v. 30.* (c) D. Th. 1. *ſec. q. 103. art. 3. ad 2.* [d] *Ambr. lib. X. in Luc. c. 23.* (e) *Leo. ſer. 17. de Paſſ.* [f] *Hebr. c. 7. v. 12.*

ſanguine novum fœdus, vel teſtamentum confirmavit, vetus ſacerdotium, ac lex antiqua ceſſaverit, ideoque prorſus extincta, vel abrogata jam fuerit.

XXII. Mortifera tamen, illicita, ac læthalis eſſe non cæpit, cum nondum Evangelica lex, novique fœderis præcepta ſatis publicata, vel promulgata jam forent, ideoque nondum Judæos obligare cæpiſſent. Optimo quoque, ſapientiſſimoque conſilio fieri debuit, ut ipſa lex vetus, quæ a Deo ſancita, ac mirificè confirmata jam fuerat, non repente mortifera, reiicienda, atque abominabilis videretur, ſed ſenſim, ac veluti honore quodam ex Judæorum animis extingueretur; tantòque faciliùs illorum mentes ad novæ legis amorem inflecti poſſent, quantò frequentiùs, ac illuſtriùs intelligerent, utramque legem ab eodem Deo ſancitam, atque præſcriptam eſſe, veteremque legem veluti inutilem evangelicæ, veluti puriori, perfectiorique legi cedere debuiſſe. Unde Auguſtinus optimè exiſtimavit *Apoſtolum Paulum, & alios recta fidei Chriſtianos tunc illa vetera ſacramenta paullulum obſervando veraciter commendare debuiſſe, ne putarentur illa prophetica ſignificationis obſervationes a piiſſimis Patribus cuſtodita tamquam ſacrilegia diabolica a poſteris deteſtata. Jam enim cum veniſſet fides, qua priſcis illis obſervationibus prænuntiata poſt mortem, & reſurrectionem Domini revelata eſt, amiſerant tanquam vitam officii ſui. Verumtamen, ſicut defuncta corpora, neceſſariorum officiis deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulatè, ſed religiosè; non autem deſerenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morſibus proiicenda: poſtea verò tamquam cum honore ſepulta ſunt, a*

Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſerenda [a].

XXIII. Hinc meritò aſſerere, vel ſuſpicari quis poterit Apoſtolos poſt Chriſti mortem nihil fortaſſe de abrogatâ veteri lege Judęos docuiſſe, ſed ipſos etiam ejuſdem ritus, atque pręcepta ſervaſſe, donec ſolemni Pentecoſtes die divino Spiritu afflati admirabili ardore, linguarum dono, plurimiſque prodigiis novę legis pręcepta Judęis, omnibuſque gentibus publicarunt, ideoque veterem legem jam completam, extinctam, & abrogatam eſſe docuerunt. Hinc Petrus illorum Princeps omnes alloquens ait *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis Spiritum Sanctum* (b). Quinetiam Apoſtoli poſt acceptum etiam divinum Spiritum, ſolemnem, publicamque novę legis promulgationem, varios Moſaicę legis ritus, ac cęremonias ſervarunt, circumciſionem nempe, purificationes, nazareatûs votum, abſtinentiam a ſuffocatis, aliaque id genus plurima; tum ut honorem aliquem veteri legi, quamvis inutili, vel abrogatę deferrent; tum etiam ut Judęos ad evangelicę legis amorem faciliùs allicerent: quod optimo conſilio, ſive diſpenſatione fieri profectò licuit, ideoque nullâ ratione culpari, vel reprehendi illi poterant. Petrus verò reprehenſibilis videbatur quòd fideles ex Gentibus nuperrimè converſos ad ipſos quoque Judęorum mores, & obſervantias paullo fortaſſe vividiùs, atque ſeveriùs adigeret, ut ex communibus moribus, communique rituum, legiſque fœdere fortior in fidelibus omnibus, qui ex Gentibus, vel Synago-

(a) *Aug. Ep.* 19. (b) *Act. c.* 2. *v.* 37.

nagogâ convertebantur, charitatis ardor, & affinitas oriretur. Sed, quia Evangelicę, ſimulque Moſaicę legis obſervantia Ethnicis ad fidem converſis gravior videbatur, pluresque ex Judęis ipſam non modò licitam, ſed utilem quoque, vel neceſſariam eſſe dicebant (a), atque *proptérea volebant circumcidi quòd aliter ſe putabant in Chriſto ſalvos eſſe non poſſe* (b), & exinde diſſidia quędam, opinionumque diſparitas oriebatur, optimo, divinoque conſilio factum eſt, ut Apoſtoli Hieroſolymas convenirent, ibique de veteris, novęque legis vigore accuratiſſimè diſſerentes, veteris legis pręcepta, vel cęremonias inutiles eſſe definirent, ac celebre decretum illud ederent, quod in Apoſtolorum Actibus memoratur, *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hac neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione* (c). Ubi obſervaſſe juverit fornicationem quidem ipſo naturę jure prohibitam eſſe, quod tamen aut Judęorum, aut Ethnicorum pleriſque minimè videbatur; cętera verò, quę naturâ ipsâ minimè illicita fuerant, ab Apoſtolis ipſis prohibita ſolùm fuiſſe, ut Judęorum ſcandalum, & offenſio, quoad fieri poterat, vitaretur; ſicuti certè Paulus cibis ejuſmodi fidelibus uti permittit, ubi ſinè ſcandalo, vel offenſione fieri ſubinde poſſet (d), etſi Concilii Gangrenſis, Aurelianenſis, aliorumque actibus erudimur fideles etiam longè poſt Apoſtolorum tempora a ſuffocatis abſtinuiſſe, quod adhuc etiam a Gręcis obſervari conſpicimus.

XXIV. Peracto denique hoc temporis intervallo

(a) *Act. c. 15. v. 5.* [b] *Aug. ep. 19.* (c) *ibi. v. 28. 29.* (d) *Rom. c. 14. v.* & *I. Cor. c. 10.*

vallo, quo legem veterem inutilem quidem, ac mortuam, ſed nondum tamen illicitam, ſive mortiferam fuiſſe jam diximus, aliud poſtremò tempus diſtingui, vel definiri debet, in quo prorſus illicita, ac mortalis eſſe jam cæpit: in quo definiendo veteres Eccleſiæ Patres, aliique ſapientiſſimi viri plurimùm diſſident.

Quamvis enim Patres omnes in hoc mirificè conſpirent, ut veterem legem licitè ſervari potuiſſe velint donec Evangelica lex ſufficienter Judæis propoſita, ſive promulgata fuerit, ideoque exiſtiment veterem legem mortiferam evaſiſſe ubi ſatis Evangelicæ doctrinæ ſplendor Judæorum omnium mentibus affulſiſſet; non omnes tamen unum, idemque temporis intervallum conſtituunt, quo lex Evangelica ſufficienter propoſita diceretur. Plerique tamen exiſtimant ejuſmodi temporis intervallum quadraginta annorum ſpatio definiri, ut proinde cum Hieroſolyma a Tito Cæſare ſubverſa, penituſque deſtructa fuit, quod quadrageſimo anno contigit a Chriſti morte, tunc Moſaica lex prorſus illicita; ac mortifera evaſerit. Ejuſmodi nempe annorum ſpatium ſufficere videbatur, ut Evangelicæ legis notitia non modò ad Judæos, qui patrias urbes incolerent; ſed ad illos etiam, qui ubique gentium diſperſi fuerant, perveniret, Apoſtolos novæ legis aſſertores ipſi audirent, prodigia plurima intuerentur, quibus Evangelicæ legis præſtantia, dignitas, atque majeſtas clariſſimè oſtendebatur, ut nonniſi temere, ac impudenter illam reiicere, vel ab illâ diſſentiri jam poſſent. Addi etiam poterit Judæorum genti, veterique legi honorem aliquem, ſive ſplendorem extitiſſe quandiu Hieroſolyma, Sacerdotes, & ſacrificia conſtiterant,

te-

tenuiſſimamque ſpem Judęis affulſiſſe, ut priſtinam dignitatem, priſtinam libertatem, priſtinumque regnum inſtaurarent; at ubi Civitas everſa jam fuerat, templum ſolo ęquatum, victimę, & ſacerdotes defecerant, ac juxta celebre Danielis oraculum deſolatio abominationis, quę perennis, ac ęterna futura fuerat, ubique conſpiciebatur, intelligere profectò poterant Danielis hebdomadas completas eſſe, Meſſiam, humanique generis Redemptorem jam adveniſſe, veterem legem, ſacerdotium, & victimas abrogatas eſſe, ideoque ſinè dedecore, ac ſcelere obſervari non poſſe. Nec aliud certè Chriſtus innuere videbatur dum videns civitatem, flevit ſuper illam, ipſius ruinam cędes, ac excidium illud prędicens, quod erat Titi Cęſaris imperio futurum; acſi pervicaci Judęorum genti, quæ *tempus viſitationis ſuæ cognoſcere* (a) recuſaverat, illud etiam temporis intervallum amantiſſimè concederet, quod ad Urbis excidium extendebatur, ut deinde nulla ſalutis ſpes in veteri lege eſſet futura.

XXV. Hinc D. Ignatius, qui 73. poſt Chriſti mortem anno obiit, veterem legem tunc prorſus illicitam, atque mortiferam fuiſſe teſtatur, ut *ſi quis cum Judæis celebraret Paſcha, aut ſymbola feſtivitatis eorum reciperet, particeps eſſet eorum, qui Dominum occiderunt, & Apoſtolos ejus* (b): quod Hieronymus (c) etiam, Auguſtinus (d), aliique plurimi profitentur; ut proinde tempus illud veluti conſtanti Patrum traditione receptum, confirmatumque meritò exiſtimetur. Sed hęc uberiùs fortaſſe proſequuti jam ſumus, quàm Philoſophum decere videatur. Ipſa tamen rerum digni-

tas,

(a) *Luc. c. 19. v. 44.* (b) *Epiſt. ad Rom.* (c) *Ep. 7.* (d) *Ep. 82. al. 19.*

tas, divinæque legis majeſtas exigere videbatur, ut hæc ipſa fuſius aliquantò ſuis ex fontibus exponerentur, ut Evangelicæ doctrinæ origo, vis, & incrementum illorum animis affulgeret, qui hæc ipſa Theologiæ dogmata adire non poterant.

XXVI. Id unum itaque coronidis loco addendum ſupereſt, quod ſicuti lex vetus pluribus antiqui Fœderis, vel Teſtamenti libris continetur, quos paullo ſuperiùs, juxta Tridentinæ Synodi decretum, enumeravimus; ita quoque nova, vel Evangelica lex variis novi Fœderis, vel Teſtamenti libris exponitur, quos hìc eodem ordine numeramus, quo ex veteri traditione in ſacris Literis diſpoſiti reperiuntur. Cæleſtis itaque Chriſti doctrina, vel Evangelica lex in quatuor *Evangeliis* continetur, quæ a Matthæo, Marco, Luca, & Joanne ſunt exarata. Sequuntur *Actus Apoſtolorum*, quibus Apoſtolorum prædicatio, reſque geſtę memorantur. Tum quatuordecim epiſtolę Pauli Apoſtoli; nimirum una *ad Romanos*, duę *ad Corinthios*, una *ad Galatas*, *ad Epheſios*, *ad Philippenſes*, *ad Coloſſenſes*, duę *ad Theſſalonicenſes*, duę *ad Timotheum*, una *ad Titum*, una *ad Philemonem*, una *ad Hebræos*. Septem deinde Catholicę epiſtolę Apoſtolorum ſuccedunt; unica *Jacobi*, duę *Petri*, tres *Joannis*, una *Judæ*. Ultimò tandem loco ſequitur *Apocalypſis*, vel *Revelatio*, quę a Divo Joanne in inſulâ Pathmos habita, ſive deſcripta fuit. Atque hęc de divinâ lege, cęteriſque omnibus, quę ad ipſam ſpectare poterant, dicta ſint: adeunda nobis, vel explicanda nunc ſupereſt humana lex, quę ex ęternâ, divinâque lege veluti fonte deducitur.

CAP.

CAP. VIII.

De legibus humanis, ſive de Jure Canonico, & Civili.

I. PRæclare quidem, & ſatis etiam ab optimo, ſapientiſſimoque Moderatore hominum ſaluti, ac fælicitati partim naturali, vel æternâ lege, partim etiam divinâ conſultum fuerat; nihilque uberiùs ad pacatam, tranquillamque ſocietatem optari poſſe videbatur, quàm ut homines ipſi perenni, puriſſimoque illarum legum ſplendore mores componerent, atque ad finem naturâ ſibi conſtitutum, beatitatemque dirigerentur. Flexibilis tamen illa arbitrii libertas, quæ in homine reperitur, atque inſatiabilis illa cupiditas, quâ cor humanum ad ſenſibilium amorem tacito, vehementique pondere inclinat, ita plerumque in illorum animis divinæ legis ſplendorem extinguit, ut propriæ ſolùm utilitatis, ac voluptatis amore leges contemnere, ab inſtituto fine deflectere, ſanctiſſima ſocietatis fœdera violare, omnibuſque ſceleribus mirificè deturpari minimè vereantur. Sapienter itaque, divinoque prorſus conſilio ſic inſtitutum eſſe conſpicimus, ut degeneres illi mortalium animi, qui neque æternæ fælicitatis amore, neque æternæ pœnæ ſive doloris formidine, neque ipſo honeſtatis, ac virtutis amore ſatis inflecti, dirigi, vel coerceri poterant, humanis etiam legibus, iiſque pœnis, quæ ab hominibus conſtitutæ, vel infligendæ fuerint, a ſcelere re-

vo-

vocarentur, atque in officio, æternæque legis cultu continerentur. Atque illud certè non ſinè maximo humanæ voluntatis dedecore fieri conſpicimus, ut homines ipſi a fine ſibi cônſtituto degeneres humanæ potiùs, quàm divinæ legis amore, temporalis potiùs, quàm perennis, ad æternæ pœnæ formidine a ſceleribus coerceantur *(a)*; ut maxima proinde humanarum legum utilitas, atque neceſſitas manifeſtiſſimè demonſtretur. Quemadmodum itaque ſuperiori loco naturalis, divinæque legis originem, vim, ac diviſionem proſequuti jam ſumus, ita nunc de legis humanæ origine, robore, ac partibus diſſeremus; ut quidquid ad leges ipſas, moreſque rite componendos ſpectare poterit, proponatur.

II. Atque illud inprimis ſupponi, meritòque concedi poterit, quod in hominibus poteſtas aliqua reperitur, ut novas, variaſque leges proponere, ſive ſancire ſubinde poſſint, quibus homines alii non modò veluti conſiliis dirigi, ſed etiam obligari, coercerique poſſint. Si enim humanarum legum neceſſitas tanta eſſe debet, ut ſinè ipſis neque tranquilla hominum ſocietas *, neque divinæ legis majeſtas, & cultus haberi, ſervarique poſſit; ac humanâ lege ſublatâ, pænarumque formidine omnia divina, ac æterna jura violari, virtutes omnes, omniſque religio ſubverti, ſcelera impunè graſſari, omnia cædibus, inſidiis, fraudibus fervere viderentur, quis apertè non videat ipſo naturæ lumine, vel ex ipsâ rationalis naturæ, ac ſocietatis conditione requiri, ut leges aliquæ ab hominibus inſti-

(a) *vid. Arian. diſſer. in Epictet. lib. 1. c. 29.*

* Conſtat profectò ad ſalutem Civium, Civitatumque incolumitatem, vitamque hominum & quietam, & beatam inventas eſſe leges. *Cic. Leg. II.*

ſtitutæ ſint, quibus hæc omnia fæliciter averti, prohiberique poſſint, ideoque ferendæ legis poteſtatem aliquam in hominibus divinitus reperiri? Accedit etiam, quod præcipua quidem, ac nobiliora vitæ præcepta, vel officia in ipſo naturali jure, vel hominum cordibus impreſſa fuerant, ut religio in Deum, proximorum dilectio, ineundæ, ſervandæque ſocietatis amor, ut VI. Capite jam declaravimus; alia tamen præcepta, vel officia plurima ad plenam, perfectamque hominis fælicitatem requirebantur, quibus pro variâ temporum, locorum, ingeniorumque conditione homines dirigi, vel operari deberent; cùmque hæc ipſa legum, officiorumque varietas, quæ non ex ipſo rationis lumine, vel hominis naturâ nitidè deduceretur, ſed ex fortuitâ potius, liberâ, & externâ rerum circumſtantiâ penderet, non ab æternâ ſolùm, divinâque lege, ſed ab humanis etiam oriri debuit, quæ prudenter, accuratèque ab hominibus inſtitutæ, ſive ſancitę forent.

Nec alia certè de cauſsâ fieri potuiſſe putaverim, ut ab antiquiſſimis uſque temporibus gentes omnes, non modò, quæ puriori ſapientię, virtutumque gloriâ floruere, ſed illę quoque, quę rudiores, ac efferę videbantur, propriis legibus uterentur, quibus mores componere, ſcelera punire, ſanctam ſocietatem ſervare, ſive communi patrię ſaluti, ſingulorum denique incolumitati conſulere perfectè poſſent, niſi quòd ipſo naturę lumine erudirentur non aliter hęc fieri, ſive pręſtari poſſe, quàm ſi divinis legibus humana quoque lex aliqua veluti clarior, uberiorque morum norma accederet. Sed hæc clariora certè ſunt, quàm ut fuſiùs exponi, probarique debeant.

III.

III. Illud hìc potiùs inquiri debet cuinam poteſtas illa ferendę legis conveniat, ſive quis hominum novas leges inſtituere ſubinde poſſit; & unde legibus ejuſmodi pręſtantia, dignitas, obligandi vis, ac robur accedat. Communis eſt itaque Philoſophorum omnium opinio, quod in illo ſolùm ferendę, inſtituendęque legis poteſtas, vel authoritas eſſe poteſt, qui dominium aliquod, ac imperium habuerit; atque illos ſolùm legibus obnoxios, & ſubjectos eſſe, qui legislatoris imperio ſubjecti fuerint. Hinc cùm poteſtas illa, dominium, imperium, ac authoritas partim ex populorum conſenſione, partim ex occupatione, partim ex hęreditario jure, vel ſucceſſione, partim denique ex inſtitutione divinâ in Regibus, Principibus, Senatu, Republicâ reperiatur, ut fuſiùs, & opportuniùs diſputatione IV. Cap. V. oſtendemus, ita quoque in Principibus ipſis ferendę legis poteſtas ineſſe debet, ut quidquid ab illis in commune bonum, juxta naturę jura, quæ ſacra, vel inviolabilia ſemper eſſe debent, ſancitum, pręſcriptumque fuerit, a ſubditis omnibus accuratè, ac ſincerè ſervari debeat. Itaque ſicuti Principum authoritas, ac imperium ex ſolo naturę jure deduci debet, ut ſuo loco oſtendetur dignitas & obligandi vis, quę in humanis legibus reperitur, ex ipſo naturę jure deducitur. Repeti quoque, ſive deduci poterit ex ipſo divino jure; cùm plurimis, atque clariſſimis Scripturę authoritatibus oſtendatur Principibus parendum eſſe, illorumque leges, quas proprii muneris authoritate pręſcripſerint, religioſè ſervandas eſſe.

IV. Ac de Eccleſiaſticis quidem Principibus Epiſcopis nimirum, qui veluti Paſtores, ac Prin-

cipes Eccleſiam ipſam conſtituunt, clariſſima Chriſti authoritas in Evangelio reperitur, ubi Chriſtus Apoſtolos Eccleſiæ duces, atque Paſtores conſtituens illis paſcendi munus impoſuit, *Paſce* inquit Petro, *oves meas, paſce agnos meos (a)*, quod certè non de ſimplici doctrinâ, doctrinæque pabulo intelligi poteſt, ſed de exteriori etiam ordine, religionis, cultu, ritibus, ac legibus illis exponi debet, ſinè quibus vera doctrina, ſincera religio, viſibilis Eccleſia cognoſci, vel conſervari non poteſt. Clariùs id, & illuſtriùs etiam expreſſit ubi Apoſtolis omnibus, adeoque Epiſcopis illorum ſucceſſoribus ligandi, ſolvendique poteſtatem conceſſit. *Tu es Petrus*, ait, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam ... Tibi dabo claves regni cælorum, quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis .. quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis* [b]. Quæ quidem ligandi, ſolvendique auctoritas, etſi præcipuè interiores actus, ſive peccata reſpiciat, exteriores etiam, qui ad Eccleſiæ regimen neceſſariò requiruntur, extendi debet.

Atque iſtam quidem færende legis poteſtatem Apoſtolis conceſſam eſſe, vel in Eccleſia poteſtatem hanc a primis uſque temporibus extitiſſe, ex variis Apoſtolorum actibus erudimur. Sic Apoſtoli Hieroſolymis congregati gentes nuperrimè ad fidem converſas ad veteris etiam legis cultum non adigendas decreverunt; illas tamen ab idolotythis, & a ſuffocato ad tempus abſtinere juſſerunt (c). Sic Paulus Corinthium, qui inceſtûs ſcelus admiſerat, a fidelium commu-

(a) *Joan. c. 21. v. 15.* (b) *Matth. c. 7. v. 16.* (c) *Act. c. 46.*

munione, vel ſocietate ſeparavit (*a*), ipſique jam pœnitenti veniam, & in Eccleſia locum conceſſit (*b*); idque ſe *in perſonâ Chriſti*, poteſtate nimirum ſibi divinitus conceſsâ *donare* profitetur. Alibi quoque Paulus vetat bigamos ad ſacrum Epiſcopatûs ordinem promoveri [*c*], quod certè divino jure non vetebatur. Neque Apoſtolis ſolùm, ſed omnibus etiam Epiſcopis parem vim, authoritatemque divino jure conceſſam eſſe Paulus ipſe manifeſtiſſimè oſtendit, ubi a *Milato mittens Epheſum vocavit Majores natu Eccleſiæ, qui cum veniſſent ad eum dixit eis ...., Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam aquiſivit ſanguine ſuo* [*d*]: quæ certè authoritas, regendique poteſtas, inutilis prorſus, ac vana foret, niſi Prælati aliquid ad Eccleſiæ regimen, bonumque præcipere poſſent, ipſiſque fideles parere, legeſque traditas obſervare tenerentur. Quod verò ab Apoſtolis ipſis acceperat Catholica Eccleſia, perenni, conſtantique traditione conſervavit dum plurimas ſubinde leges pro variâ temporum, rerumque conditione conſtituit, quæ ad Eccleſiæ regimen, religioniſque cultum ſpectabant; ac pœnas inſuper modò mitiores, modò ſeveriores etiam ſancivit, quæ iis infligi deberent, qui leges illas violaſſent, ut ex innumeris, probatiſque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis apparet; ut nullus proinde dubitandi locus ſuperſit, quin ſemper in Eccleſiâ, vel in Eccleſiæ Principibus legum ferendarum poteſtas extiterit.

V. Plurima quoque, ac infinita ferè ſunt illa

(*a*) I. *Corinth. c.* 5. *v.* 3. (*b*) *II. Corin. c.* 3. *v.* 10. (*c*) *I. Timoth. c.* 3. *v.* 2. (*d*) *Act. c.* 20. *v.* 38.

la Scripturæ loca, quibus oſtenditur in Regibus, atque Principibus ferendæ legis poteſtatem reperiri, legeſque ejuſmodi violari non poſſe: quod Chriſtus ipſe verbis, & exemplo quoque clariſſimè expreſſit. Sic in Bethleem naſci voluit; ut impleretur edictum, quo Cæſar Auguſtus juſſerat orbem deſcribi, & ſingulos in propriis Urbibus profiteri; juſſit tributum a Cæſare impoſitum ſolvi celebri illo dicto *reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari* (a); ac denique a nefariis Principibus Sacerdotum Pilato Romano Præſidi veluti violatæ Religionis, ac perturbatæ publicæ tranquillitatis reus oblatus, nunquam ferendæ ſententiæ, infligendæque mortis poteſtatem Judici ineſſe negavit. Quod Divini Præceptoris exemplum ſequuti eandem ipſam poteſtatem Apoſtoli in Principibus etiam diſcolis, & infidelibus agnoverunt; ac ſincero pietatis, juſtitiæque zelo fideles ipſos ad Principum amorem, obſequium, & obedientiam ſæpiſſimè excitarunt. *Omnis anima*, inquit Apoſtolus, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinatæ ſunt: itaque, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem aquirunt .... Dei enim miniſter eſt* Princeps *tibi in bonum; ſi autem malum feceris, time, non enim ſinè cauſſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit: ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam; ideo enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum* tri-

(a) Luc. c. 20. v. 25.

tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem [a]: quemadmodum Petrus ait *ſubjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi praexcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei*; iterumque repetit *Regem honorificate, ſervi ſubditi eſtote in omne timore dominis non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis* [b]. Hæc itaque, aliaque id genus plurima, quæ poſſent afferri, manifeſtiſſimè oſtendunt in Principibus etiam imperium, ac poteſtatem hanc eſſe oportere, quâ leges condere poſſint; eamque vim ejuſmodi legibus ineſſe, ut etiamſi Principes ipſi nefarii, ſceleſtique ſint, dummodo tamen legitimo imperio utantur, legeſque in Reipublicæ bonum ediderint, leges ipſæ religioſiſſimè a ſubditis omnibus, quicumque illi fuerint, ſervari debent; ut ipſæ proinde leges ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civiles fuerint, ab ipſo naturali, ſive divino jure veluti fonte dimanent, omne robur, omnemque obligandi vim ab illo recipiant.

VI. Quandoquidem verò duplex eſt authoritas, & poteſtas illa, quæ in hominibus reperitur, quarum una Eccleſiæ, vel Epiſcopis conceſſa ad Eccleſiæ bonum, hominumque ſanctitatem dirigitur; altera Principibus tradita in communem Reipublicæ utilitatem, ac tranquillitatem eſt inſtituta, unde Eccleſiaſtica, ſimulque Politica poteſtas ſatis accommodè admitti ſolet, ita duplex etiam legum ſpecies diſtingui debet, Eccleſiaſtica nimirum, ſive Canonica, quæ ab Eccleſiaſtica poteſtate oritur, vel ab Ec-

(a) *ad Rom. c. 13.* (b) *Petr. Ep. I. c. 2. v. 13. 17.*

Eccleſia inſtituitur; & Politica, ſive Civilis, quæ a civili Principum, atque Reipublicæ authoritate dependet, ſubditiſque obſervanda proponitur. Operæ pretium itaque facturos non eſſe confidimus, ſi utriuſque juris originem, diviſionem, autoritatemque breviſſimè complectamur; non quòd plurima, ac infinita ferè non ſint illa, quæ de ampliſſimâ Facultate, quæque rerum copiâ, ubertate, varietate, ſententiarumque diſcrimine cæteras omnes antecellit, dicenda nobis occurrerent, ſed quòd alienum fortaſſe ab inſtituto noſtro videretur ab Ethicæ principiis ad uberrimos Juriſprudentiæ fontes liberiùs evagari; aut inutile certè putari poſſet illa diligentiùs congerere; quæ longè puriùs atque commodius ex nitidis, clariſſimiſque Juriſconſultorum libris egregii Juvenes haurire ſolent.

VII. Atque, ut ab Eccleſiaſticâ lege, ſive Canonico Jure exordiamur, illud ex variis Apoſtolorum Traditionibus, Conciliorum decretis, Pontificum ſanctionibus, Patrumque authoritatibus conſtituitur. Hinc primis Eccleſiæ ſeculis, qui leges ab Eccleſiâ latas, vel Juris Canonici præcepta noſſe cuperet, Conciliorum Acta, Apoſtolicæ Sedis reſcripta, eorumque Patrum, qui veluti fidelium Duces, ac ingenui Scripturarum Interpretes ingenii, & ſanctitatis gloriâ floruerant, conſulebat; ex quibus agendi normam, vel controverſiæ dirimendæ, ſi quæ fortaſſe excitaretur, ordinem intelligeret. Cùmque ſubinde nova Concilia celebrari, novos in ipſis Canones inſtitui, nova Pontificum decreta, novaſque Patrum ſententias brevi temporis intervallo de iiſdem rebus, ſive Eccleſiaſticæ doctrinæ capitibus edi contingeret;

diligens Eccleſiaſtici Juris, & hiſtoriæ ſtudioſus varia volumina conſulere cogebatur, ut ex illorum ſingulis capita ad propoſitam doctrinam, ſive judicium ſpectantia colligeret, inter ſe mutuò conferret, ſi diſſidentia fortaſſe apparerent, conciliaret; unde plurimus certè labor, & maxima difficultas, & ambiguitas oriri debuit.

VIII. Præclarè itaque de Canonicæ, vel Eccleſiaſticæ Juriſprudentiæ ſtudio meriti videntur illi, qui ut ſtudentium commodo, atque utilitati conſulerent, ex variis Conciliorum, Pontificum, Patrumque decretis ſententias omnes collegere, quæ ad certam materiam ſpectare poſſe videbantur, ideoque ſingula decreta ad certas veluti claſſes, & capita revocarunt, ut quæcumque lis emergeret, facilè cognoſceretur quid in ejuſmodi ſubjecto, ſive materiâ varia Concilia, ſive Pontifices variis temporibus edidiſſent: quæ ſententiarum, decretorum, legum collectio *Corpus Canonicum*, ſive *Juris Canonici Corpus* optimè inſcribi potuit. Atque ejuſmodi quidem Collectio primum a Stephano Epheſino Epiſcopo facta fuit circa annum 385. atque in Chalcedonenſi Concilio commendata, quæ uſque ad annum 454. ſive Valentiniani Cæſaris ætatem, in Eccleſiâ floruit; cùmque varios Conciliorum canones complecteretur, *Collectio canonum orientalium*, ſive *Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ* inſcribi conſuevit, cùm præſertim illi circa annum 451. Canones alii Conciliorum adjecti fuerint, ut fusè Doviatus oſtendit in Hiſtoria Juris Canonici *(a)*. Altera deinde collectio a Dionyſio Exiguo, ineunte Juſtiniani Cæſaris imperio, ſive circa annum 527. facta fuit, quæ

(*a*) *Doviat. par.* 1. *c.* 6. 7. 9.

quæ *Codex Canonum* (a) vel *corpus Canonum* (b) eſt appellata. Huic altera collectio licèt brevior, Fulgentii Ferrandi Carthaginenſis Diaconi circa annum 547. acceſſit. Alteram quoque Martinus Bracarenſis Epiſcopus circa annum 670. aliam Creſconius in Aphricâ Epiſcopus edidit, circa tempora Juſtiniani, ut *Nomocanonem* Græcorum omittam, quem partim ex Juſtiniani Novellis, partim ex Conciliorum Canonibus Joannes Scholaſticus Conſtantinopol. Patriarcha compoſuit. Ejuſmodi collectionibus uberior Reginonis Prumienſis Abatis collectio ſæculo X. ſucceſſit. Nova deinde Collectio a Burchardo Vormatienſi Epiſcopo XI. ſæculo eſt inſtituta quam exeunte XI. Eccleſiæ ſæculo Ivonis Carnotenſis Collectio excepit.

IX. Cùm tamen in variis ejuſmodi Collectionibus, quæ variis temporibus, variiſque in locis perfectæ fuerant, obſcuritas, & repugnantia quædam reperiretur, variique canones a variis Conciliis editi invicem diſſidere viderentur, Gratianus Monachus Benedictinus, qui ex Cluſio celeberrimâ, ac antiquâ Regum Etruſcorum ſede, ac Senenſis Ditionis Urbe uriginem duxerat, circa annum 1150. Eugenii III. Roman. Pont. temporibus, uberiorem aliam, nobilioremque Collectionem edidit, quam, *Concordantiam diſcordantium Canonum* inſcripſit, quòd in illâ non modò ſingulos Patrum, Pontificum, Conciliorumque Canones ordine, rerumque ſerie collegerit; verùm etiam repugnantiam, quæ illorum plurimis ineſſe videbatur, maximo ſtudio, adhibitâ præſertim ſcholaſticæ diſciplinæ methodo, quæ tunc primùm in Europâ

 flo-

(a) *Can. I. diſt. 16.* (b) *in inſcr. c. 3. de præb.*

florere cæperat, ita conciliaverit, ut ſua cuique Canoni authoritas conſtaret, atque Eccleſiaſticæ legis dignitas, ac unitas nitidiùs appareret.

Communiter tamen ejuſmodi Canonum Collectio, ſive Concordantia *Gratiani Decretum* vocari, vel inſcribi ſolet, omneſque leges complectitur, quibus in Eccleſiaſticis judiciis dirimendis Epiſcopi, ſive Canonici Juris Conſulti uſque ad XII. Eccleſiæ ſæculum uſi ſunt. Cùmque deinde Canones alii a Pontificibus, atque Conciliis additi fuiſſent, collectiones aliæ ſunt inſtitutæ, quæ Gratiani Decreto conjunctæ integrum Juris Canonici Corpus componunt, quod innumeris explicationibus illuſtratum, omnium manibus teritur.

X. Itaque Canonici, vel Pontificii Juris Corpus tria Volumina, ſive Partes complectitur, quarum ſingulæ in partes alias, ſive Tractatus diſtinguuntur.

In primo Volumine Gratiani Decretum continetur, quod in tres partes diſtingui ſolet. Illarum prima centum ac unam Diſtinctiones complectitur, in quarum ſingulis varii Canones continentur. Primis XX. Diſtinctionibus Gratianus omnia complectitur, quæ ad ipſum Jus, & varias ipſius ſpecies pertinent, de jure nimirum naturali, poſitivo, divino, humano, civili, & eccleſiaſtico diſſerit; ſimulque exponit quibus ex fontibus Eccleſiaſticum jus oriatur, Conciliorum nempe decretis, Pontificum ſanctionibus, & Patrum authoritatibus. Diſtinctiones aliæ conſiderant quidquid ad varios Eccleſiæ gradus, ſive Perſonas ſpectare poterat, unde de Sacris Ordinibus, de Romano Pontifice, ejuſque dignitate, ac primatu diſſerit, ac ordinem illum ex-

po-

ponit, quo cæteræ ſublimiores, & Patriarchales Eccleſiæ gaudere debent. Tum de Clericorum Ordinationibus ritæ peragendis agere inſtituit; de impedimentis illis, quæ a ſacris Ordinibus arcere poſſunt; de vitiis, quæ in Clericorum moribus reprehendi debent; de virtutibus, quæ Clericos ipſos deceant; atque poſtremò de variis Eccleſiæ juribus, vel eccleſiaſticâ juriſdictione, ejuſque exercitio copiosè diſſerit.

XI. Altera Decreti pars in XXXVI. partes, ſive Cauſſas diſtinguitur, in illis enim cauſſa quædam veluti dirimenda, vel judicanda proponitur. Cauſſa quælibet in varias Quæſtiones, & quæſtionum ſingulæ in Canones dividuntur; ideoque hæc altera Decreti pars Eccleſiaſtica judicia, illorumque normam complectitur, ut in ipsâ proinde illi præſertim erudiri debeant, qui de moribus, atque juſtitiâ diſſerere, vel judicare debuerint, atque potiſſimum in Quæſt. 3. Cauſſæ XXXIII. ubi de Pœnitentiæ Sacramento accuratè diſſeritur.

Sermonem itaque in prima Cauſſa Gratianus inſtituit, de Simoniæ ſcelere, quo quis Simonis initar aliquid ſpirituale, ſive quod ſpirituali conjunctum fuerit, emere, ſeu vendere non vereatur. Criminalia deinde judicia complectitur, accuſationes, teſtes, & ordinem exponit, quo Clerici, & Epiſcopi judicari debeant; deinde de Epiſcopi juriſdictione, vel authoritate diſſerit, de eccleſiaſtis pœnis, quæ ab ipſis infligi poſſunt, de excommunicatione, de bonis, atque peculio Clericorum, de decimis, funeribus, uſuris, XVI. Cauſâ de Monachis loquuturus de illorum ſtatu, Monaſteriis uſque ad XXI. Cauſſam agit. Iterum deinde ad Clericos, & Laicos

cos reverſus, illorum crimina, cauſſaſque proſequitur: unde Cauſſa XXI. differit *de vita, & boneſtate Clericorum*. XXII. *de crimine falſi, atque perjurio*. XXIII. *de homicidio, & bello*. XXIV. *de Hareſi*. XXV. *de Privilegiis Eccleſia*. XXVI. *de Sortilegio*. XXVII. Cauſſa, & cæteræ, quæ ad finem uſque ſequuntur, de judiciis illis accuratè diſputant, quæ ad Matrimonia ſpectare poterant; niſi quod Gratianus Cauſsâ XXXIII. quęſt. 3. de Pęnitentiæ Sacramento loquitur, ut antea dicebamus, eumque Tractatum in 7. diſtinctiones partitur.

XII. Brevior, ac ultima Decreti pars in quinque Diſtinctiones dividitur. Illarum prima *de Eccleſiarum conſecratione* differit, atque *Celebratione Miſſarum*. II. *de Sacramento Eucbariſtia*. III. *de Feſtis, illorumque celebratione*. IV. *de Baptiſmo*. V. denique, ac ultima *de Confirmatione, Jejunio &c.*

XIII. Atque iſta quidem de primo Juris Canonici volumine, ſive de Gratiani Decreto dicta ſint, atque de ordine, & ſerie, quâ ſingulæ ipſius partes diſpoſitæ, vel diſtributæ ſunt. Quod enim ad ſingulorum Canonum vim, authoritatemque pertinet, non alia certè ipſis concedi poterit, quàm quæ Conciliis, Pontificibus, ac Patribus debetur, ex quibus Canones ipſi, vel ſententiæ collectæ, ſive deſumptæ ſunt. Quod enim plures exiſtimant Gratiani Decretum Eugenii III. Romani Pontificis imperio editum, & auctoritate deinde confirmatum fuiſſe, nullâ ratione probari poterit; cùm Eugenii confirmatio, ſive decretum nullibi exiſtat, & a nullo certæ fidei Scriptore memoretur: quemadmodum Gregorii XIII. Decretum, quo vetus Gratiani Volumen, integrumque Juris Canonici Corpus

a ſa-

a ſapientiſſimis, peritiſque viris emendari juſſit, nullum ipſi robur, novamque authoritatem addidit, ut ex decreto ipſo clariſſimè demonſtratur.

XIV. Secundum Canonici, vel Pontificii Juris Volumen quinque *Decretalium* libros complectitur, varias nimirum Pontificum epiſtolas, ſive *decreta*, quæ poſt Gratiani Decretum, hoc eſt ab anno 1150. ad annum uſque 1230. editæ fuerunt. Plurima quoque III. & IV. Lateranenſis Concilii quæ anno 1179. & 1215. celebrata ſunt, decreta, vel Canones acceſſere, quemadmodum etiam plures veterum Synodorum canones, & Patrum ſententiæ, quæ in Gratiani Decreto omiſſæ fuerant. Hanc alteram Juris Canonici Collectionem, ſive ſecundum Volumen edidit S. Raymundus de Pennafort ex illuſtri Prædicatorum Ordine, Gregorii IX. Rom. Pont. Capellanus, idemque Pontifex in epiſtola ad celeberrimæ Bononienſis Academiæ Profeſſores data, Apoſtolicâ authoritate confirmavit; ut proinde ejuſmodi decreta veluti certam legem in Eccleſiaſtico foro, ſive judiciis adhiberi voluerit. Ut plenior tamen, & accuratior rerum notitia haberi, ideoque judicium de re propoſitâ fieri poſſit, *veteres Decretales* veluti fontes adeundæ ſunt, quinque nimirum Decretalium libri, quorum quatuor Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Archiepiſcopus, ultimumque Innocentius Cironius Toloſonæ Academiæ Cancellarius ediderat. Raymundus enim veteres Decretales ab Auctoribus illis editas commemorans, atque in ordinem redigens, plérumque ſolùm ipſarum initium exhibet, cetera ommittens, quæ minùs utilia videbantur, aut quæ certè in veteri Collectione, vel Auctoribus illis integra haberi poterant.

XV.

XV. Cæterum quod ad ſingulos Decretalium libros attinet, illi in varios, pluresque Titulos dividuntur.

In primo libro XLIII. Tituli continentur, in quibus de ſumma Trinitate, de Jure, de Eccleſiaſticis Judicibus, atque Perſonis, illarumque ordinatione diſſeritur.

Secundus liber in XXX. Titulos diſtributus exponit ordinem, qui in controverſiis diſceptandis, dirimendiſque ſervari debet in rebus civilibus.

Tertius de rebus Eccleſiaſticis agit Titulis L.

Quartus Titulis XXI. componitur, agitque de Matrimonio, ceteriſque Laicorum Cauſſis, de quibus in Eccleſiaſtico foro diſſeri, vel controverti contigerit.

Quintus denique crimina, illorumque pœnas, & cenſuras Titulis XLI. complectitur. Quæ Decretalium diviſio ſequenti verſiculo continetur.

Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.

XVI. Tertium denique Juris Canonici, vel Pontificii Volumen complectitur *Sextum* Decretalium; *Clementinas, Extravagantes Joannis XXII.* & *Extravagantes communes.*

Cùm enim poſt editas a Gregorio IX. Decretales alia decreta ab ipſo Pontifice, ejuſque ſucceſſoribus conſtituta fuiſſent, & aliaque quoque a Lugdunenſibus Conciliis, quæ annis 1245. & 1274. ſunt celebrata, Bonifacius VIII. anno 1298. omnia in corpus, vel librum unum collegit, decreta quoque a ſe edita adjecit, ideoque novum, *Sextumque* librum Decretalium plurium Eruditorum atque in primis Archiepiſcopi Ebrodunenſis operâ publicavit.

Deinde verò cùm Clemens V. Rom. Pontifex varia Viennenſis Concilii decreta, variaſque

Epi-

Epiſtolas a ſe editas colligere ſtatuiſſet, idque morte præreptus perficere non potuiſſet, illa Collectio, vel Decretales a Joanne XXII. qui Clementi ſucceſſerat, editæ, *Clementinæ* ſunt appellatæ.

Propria verò Decreta, vel Canones XX. qui ab ipſo Joanne XXII. conſtituti fuerant, *Extravagantes* dicuntur, quòd extra Juris Canonici Corpus vagarentur, atque veteribus adjuncti forent; etſi nunc temporis in ipſo Canonici, vel Pontificii Juris Corpore incluſi reperiantur.

Canones denique, leges, ſive decreta, quæ poſt Joannem XXII. ab aliis Romanis Pontificibus edita ſunt, in ultimâ collectione reperiuntur, & *Extravagantes communes* appellantur, quòd pluribus Pontificibus *communia*, vel a pluribus edita ſint.

Nihil eſt verò cur Titulos, minutioreſque partes hìc exponamus, in quas hoc ultimum Canonici Juris volumen aliorum inſtar dividitur; non modò quòd hæc uberiùs proſequi ad Juris ipſius Conſultos pleno jure ſpectare debet, verùm etiam quòd in ipſis eadem ferè diviſio reperitur, quæ in ſecundo volumine, vel Decretalibus obſervatur.

XVII. Illud hìc potiùs veluti coronidis loco addere juverit in citandis, vel indicandis Juris Canonici textibus varias ſubinde notas adhiberi, quarum exempla ſubjicimus.

Itaque canones ex prima Decreti parte ſic indicantur *Can. Quicumque diſt.* 54. ideſt in Canone, qui incipit *Quicumque*, & reperitur in *diſt.* 54.

Canones ſecundæ partis ſic citantur. *Can. Si quis ſuadente.* 17. *quæſt.* 4. ideſt in Canone *Si quis ſuadente*, qui reperitur in *cauſſa* 17.

quæſt.

quæſt. 4. ſive *Can.* 7. 19. *quæſt.* 3. niſi quod canones, qui in Cauſſa XXXIII. quæſt. 3. continentur, abſque Cauſſa, & quæſtione adjecto ſolùm numero Diſtinctionis, quæ in illâ quæſtione reperitur, ac titulo *de pœnitentiâ* citari ſolent, ut *can. admonere de pœnit. diſt.* 2.
Ex tertia parte ſic allegantur *Can. Jejunium diſt.* 5. *de conſecratione*, ideſt in Canone incipiente *Jejunium*, qui Diſtinctione 5. continetur; tertia ſiquidem Decreti pars in quinque Diſtinctiones dividitur, quarum ſingulæ *de conſecratione* inſcribuntur.

Si textus ex Decretalibus afferri, ſive citari debeat, ſcribitur *cap. omnis utriuſque* extra *de pœnitentiâ*, *& remiſſione*, ideſt in capitulo, quod incipit *Omnis utriuſque* extra Decretum Gratiani titulo *de pœnitentia*, *& remiſſione*, qui locus correſpondet titulo 38. libri V. Sive etiam breviùs cap. 15. X. de Sponſal. quæ nota X. vel Ẍ. ſignificat *extra* Gratiani Decretum, ſive in Decretalibus canonem reperiri.

In cæteris denique Canonum Collectionibus, vel ultimo Juris volumine allegantur textus, ut in ſecundo volumine, vel Decretalibus, niſi quod in fine additur *in VI.* ut ex. gr. *cap. diſcretioni*, *de decimis in VI.* hoc eſt in capitulo, quod incipit *diſcretioni*, titulo de decimis in VI. libro Decretalium; qui locus Titulo 13. libri 3. VI. libri reſpondet.

Ex Clementinis *cap. Exivi de verborum ſignificatione in Clementinis*, ſive *Clementina ſi furioſus de homicidio voluntario*, *vel caſuali*. Denique Extravagantium loca ſic indicantur. *cap. execrabilis*, *de prabendis*, *& dignitatibus in Extrav. Joann. XXII.* ſive *cap. ſuper cathedram de ſepulturis in Eſtrav. commun.* ſive denique

que *Extravag. grave nimis*, *vel 2. de Reliq. & vener. ſanctorum inter communes*.

XVIII. Atque iſti quidem libri, ſive decreta, quæ nos hactenus enumeravimus, in integro Juris Canonici Corpore continentur. His accenſeri meritò poſſent alia plurima decreta, quæ in OEcumenicâ Lateranenſi, vel Tridentinâ Synodo, ſive a variis Pontificibus, qui ad hæc uſque tempora floruerunt, edita ſunt. Eadem quippe authoritas, idemque robur nuperis ejuſmodi Pontificum, vel Conciliorum, ſive OEcumenica, aut Generalia, ſive Provincialia, ſive denique Diœceſana illa fuerint, decretis in eſſe debet, quæ veteribus illis conceditur, cùm ab uno, eodemque divino Spiritu oriantur, quo afflati Concilii Patres, atque Pontifices, leges in Eccleſiæ bonum, religioniſque cultum ſtatuere, hæreſes, ac errores damnare, moribus denique componendis conſulere ſubinde poſſunt. Hinc variæ decretorum ejuſmodi Collectiones editæ ſunt, atque in primis ampliſſima Conciliorum Collectio a variis Auctoribus edita, atque *Bullarium* Romanum, in quo ſingulæ Pontificum Sanctiones accuratè exhibentur. Quinetiam Canonicis, vel Eccleſiaſticis legibus accenſeri poſtremò poſſent decreta, quæ ſubinde a variis Congregationibus in Romanâ Curiâ publicantur, vimque ſuam ex expreſsâ, vel tacitâ Romani Pontificis authoritate deſumunt; etſi decretorum ejuſmodi non eadem prorſus authoritas ubique locorum agnoſcatur, ut Theologi, Juriſque Conſulti apprimè norunt.

XIX. Nunc adeunda nobis eſt altera juris humanis ſpecies, quæ cùm ad commune Civitatis, ſive Reipublicæ bonum edita, vel inſti-

tuta ſit, *Politica*, ſive *Civilis* optimè nuncupatur. Neque enim ſolo naturæ lumine, ſive naturali, divinoque jure flexibiles hominum mentes, atque in malum proclives dirigi perfectè poterant, neque ſolo virtutis, ac honeſtatis amore ſinè ullâ pęnarum formidine a ſcelere revocari, neque ipſa hominum ſocietas, Urbium tranquillitas cuſtodiri, niſi gens quælibet proprias, certaſque leges haberet, quibus civium commodo, vel incolumitati conſuleret. Hinc mirari certè non poſſumus ſi nationes omnes, quæ magis efferæ, rudes, atque puriori ſcientiarum luce deſtitutæ viderentur, legibus quibuſdam dirigi ſolerent, quibus ſancta ſocietas incolumis ſervaretur, atque homines ipſi moribus plerumque ac ingeniis diſſidentes inviolabili veluti fœdere conjungerentur. Sic apud Getas Zamolxis leges edidit, atque ex eadem Pythagoricâ Schola Charondas Rheginorum, Zaleucus Locrenſium legumlatores prodiere. Sic Lycurgus Spartanorum, Athenienſium Solon leges inſtituit, ut innumeros alios omittam, qui patriæ, vel exteris etiam populis leges tradidere. Omnium tamen gloriam hac etiam in parte ſuperaſſe meritò exiſtimantur Romani, ut quemadmodum victricibus armis imperium longè, latèque diffuderant, ita quoque virtutum ſtudio, honeſtatis amore, legumque ſanctitate pręcellerent, ut eleganter inquit Poeta

Excudent alii ſpirantia molliùs æra,

Tu regere imperio populos, Romane, memento. (a)

Non eadem tamen juris origo, vel forma apud Romanos fuit, ſed ſicuti facies, ac imperium Urbis variari ſubinde viſum eſt, ita quoque maxima legum varietas haberi debuit.

XX.

(a) *Virg. Æn. VI. v. 847.*

XX. Cum itaque autoritas, ſummumque jus, ac imperium in Romulo, aliiſque Regibus reſideret, plurimæ leges ab ipſis editæ ſunt, quibus efferæ multitudinis, vel populi furor coerceretur; cùmque leges ejuſmodi Publius, vel ut alii volunt, Sextus Papyrius collegiſſet, *Juris Papyriani* nomen acceperunt. Exactis deinde Regibus, novâque Reipublicæ formâ inſtitutâ *Jus XII. Tabularum* a Decemviris, quod proinde *Decem-virale Jus* appellatur, partim ex veteri Papyriano jure, partim etiam ex Athenienſium legibus eſt inſtitutum. Anno ſiquidem U. C. 300. Spurio Tarpejo & A. Terminio Coſſ. Sp. Poſthumius, S. Sulpitius, A. Manlius electi ſunt, qui non modò finitimas Italiæ Civitates, ſed tribus etiam triremibus perhonorificè inſtructi varias Greciæ Urbes, atque imprimis Athenas, ac Lacedæmonem adirent, illarumque leges deſcriberent, ex quibus deinde collatis, emendatis, additis etiam fortaſſe pluribus, quæ Romani populi moribus, ac Papyriano, vel regio juri congruere videbantur, XII. Tabularum leges editæ ſunt; quæ juris omnis fons haberi cæperunt (*a*), tantoque in pretio fuere, ut Cicero dixerit, *fremant omnes licet, dicam quod ſentio, Bibliothecas meherculè omnium Philoſophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus, ſi quis legum fontes, & capita viderit, & autoritates pondere, & utilitatis ubertate ſuperare* (*b*). Cùmque ad Romani populi utilitatem novæ ſubinde leges a Plebe, vel a Senatu fierent, illæ *Plebiſcita, Senatûs Conſulta*, vel leges dicebantur. Ex formulis deinde, ritibuſque, qui in judiciis adhiberi

(*a*) *Liv. lib. 3.* (*b*) *Cic. de Orat. lib. I.*

conſueverant, a Cn. Flavio Scriba collectis, editiſque *Jus Civile Flavianum* eſt inſtitutum; ex Juriſconſultorum reſponſis, interpretationibus *Juriſprudentia*; ex Magiſtratum Edictis, ſive Prętorum, quorum maxima in Republicâ autoritas, & honor habebatur, *jus honorarium* eſt derivatum.

XXI. Ubi verò poteſtas iterum, ac imperium ad unum hominem rediiſſet, atque immutatâ Reipublicæ formâ Julius Cæſar, aliique deinde Romani Populi Imperatores electi forent, maxima quoque illorum Decretis, reſcriptis, conſtitutionibus autoritas ineſſe cæpit; ideoque *Principum Placita*, veluti leges habebantur; cùmque Imperatores ipſi non modò ſapientum hominum conſilio in ferendis legibus uterentur, ſed Conſiliariis ipſis aliquam ferendæ, vel potiùs explicandæ legis poteſtatem feciſſent, eadem *Prudentum Reſponſa* in pretio haberi, cęteriſque legibus accenſeri poſſe meritò videbantur.

XXII. Sed cùm ejuſmodi leges, quæ ab ipsâ Romani populi origine præſcriptæ fuerant, variis temporibus editæ, variiſque locis expreſſæ forent, ideoque in conquirendis illis maxima difficultas, & obſcuritas oriretur, Gregorius quidam, qui Conſtantini M. temporibus floruit, privato ſtudio, nullâque publicâ authoritate Imperatorum Placita ab Adriano, qui *Edictum perpetuum* ediderat, uſque ad Valerianum, & Galienum, ſive potiùs ad Diocletianum collegit, cùm legem a Diocletiano ſecundùm Conſule anno 296. editam memoret; unde ejuſmodi legum Collectio *Gregorianus Codex* eſt appellatus. Iiſdem quoque temporibus Hermogenes, vel Hermogenianus eorundem Imperatorum Decreta uſque ad Conſtantini tempora in Corpus

unum

unum redegit, quod *Hermogenianus Codex* inſcribitur (*a*). Theodoſius denique junior octo ſapientum virorum operâ leges omnes a Conſtantino uſque ad Theodoſium ipſum conſtitutas anno 438. in volumen aliud conjecit, quod *Codex Theodoſianus* vocatur. Integrum tamen, perfectumque Romani Juris volumen optari poterat, cùm tribus ejuſmodi Codicibus neque leges omnes continerentur, neque illi publica auctoritate compoſiti, vel editi forent, ideoque in adhibendis illis obſcuritas, & ambiguitas oriretur.

XXIII. Præclarè itaque de patriâ, Romano populo, legum majeſtate, ac Juriſprudentiâ meritus eſt Juſtinianus Cęſar, qui cum Romani Populi Imperium anno 527. ſuſcepiſſet, armorum gloriam cum pacis artibus, legumque ſtudio mirificè conjunxit. Dum enim Perſas, Vandalos, Gothos, Hunnos gravi, diuturnoque bello fęliciter profligaret, atque in primis Italiam a Totila miſerè diſcerptam, ac laceratam reciperet, priſtinęque gloriæ, ac libertati reſtitueret, de legibus etiam corrigendis, breviori, nitidiorique methodo pertractandis incredibili prorſus ardore, vel ſtudio cogitavit. Eximios itaque, doctiſſimoſque viros elegit, qui ex tribus illis Gregorii, Hermogenis, ac Theodoſii Codicibus, aliiſque Imperatorum Placitis, quæ poſt Theodoſium edita fuerant, refectis omnibus, quæ inutilia viderentur, Codicem alium componerent, in quo nobiliora LIV. Imperatorum, qui ab Adriano uſque ad Juſtinianum ipſum floruerant, decreta meliori, nitidiorique ordine XII. libris continerentur; eumque

(*a*) *vid. Gotofr. in proleg. ad cod. Theod. c. 1.*

que Codicem anno 529. vel imperii ſui 3. idibus Aprilis edidit, & confirmavit.

XXIV. Deinde verò, cùm veteres aliæ leges, quæ in Codicibus omnibus omiſſæ fuerant, innumeræ propemodum forent, ut Juris Conſulti duo librorum millia pervolvere, & tricies centena millia verſuum, vel ſententiarum addiſcere cogerentur, ut ſtudentium commodo, legumque majeſtati conſuleret Imperator, Triboniano, aliiſque ſapientiſſimis viris in Codice memoratis mandavit, ut ex veterum Juriſconſultorum libris magis utilia ſeligerent, & ex variis Auctoribus, illorumque ſententiis unicum Volumen contexerent, eique operi fęliciter abſolvendo integrum decennii ſpatium definivit. Tribonianus tamen, graviſſimus alioqui, ſapientiſſimuſque vir, ideoque a Cujacio mirificè commendatus, ut majorem ſibi gloriam ex operis celeritate compararet, ſolo triennii, vel quadriennii tempore volumen ipſum compoſuit, in quo pleriſque veterum libris prorſus omiſſis, illa ſolùm congeſſit, quæ ſub Imperatoribus edita fuerant, ideoque ætati, quâ ipſe floruit, ejuſque moribus proximiora videbantur. Quo fieri certè debuit, ut prima Romani Juris origo, primaque antiquæ Juriſprudentiæ lumina prorſus exciderint, ideoque in veteribus Hiſtoricis, ſive Poetis, qui vetera plerumque juris capita, moreſque reſpiciunt, obſcuritas maxima deprehendatur, quæ vix ab acutioribus Criticis dilui, vel vinci poſſit. Ejuſmodi porrò Volumen hac celeritate, vel incuriâ collectum, in quo recentiorum plerumque Juriſconſultorum placita digeſta fuerant, *Digeſtum*, ſive *Pandecta* vocatur, & L. libris, vel 430. Titulis componitur, quibus variæ leges variis ex fontibus erutæ continentur.

XXV.

XXV. Antequam tamen Juſtinianus Cæſar Digeſta, ſive Pandectas emitteret, quod menſe Decembri anni 533. factum putat Gothofredus junior, quatuor Inſtitutionum libros ſuperiori menſe Novembris edi curaverat, quibus prima veluti Juris Civilis principia, vel ſemina 99. Titulis, vel 816. Paragraphis continentur. Atque ejuſmodi certè quatuor Inſtitutionum libris nihil purius, aut elegantius optari poterat, niſi veterum contextui plura ſubinde recentioris ætatis addita, vel admixta fuiſſent.

XXVI. Quandoquidem verò in Codice plura vel ommiſſa, vel obſcuriùs pertractata fuerant, ideoque de pluribus Juris capitibus variæ, ac diſſidentes Juriſconſultorum ſententiæ prodierant, ex quibus maxima in ferendis judiciis, vel controverſiis dirimendis ambiguitas oriri poteterat, Imperator editum Codicem emendari juſſit, novumque auctiorem, atque in XII. libros, XII. Tabularum inſtar, diſtributum in quibus 776. Tituli continentur, edidit anno 534. menſe Novembris: quem *Codicem repetitæ prælectionis* appellavit; ipſique, abrogato priori Codice, robur, autoritatemque conceſſit.

XXVII. Cùm denique reliquo imperii ſui tempore poſt editum Codicem varia decreta, ſeu leges Juſtinianus edidiſſet ipſas quoque 39. vel ultimo imperii ſui anno, ſive vulgaris æræ 565. in corpus unum, ſive Volumen collegit, quas deinde Juriſconſulti *Novellas* appellant. Atque illarum quidem 98. parem ceteris Juris Romani legibus auctoritatem habent, ſuntque ab Accurſio, aliiſque Interpretibus illuſtratæ. Julianus tamen Juriſconſultus, qui ipſas poſt Juſtiniani Cæſaris mortem in compendium redegit, 125. Novellas enumerat; Haloander 165. quibus tres

aliæ a Cujacio repertæ adjungi debent, ut 168. Novellæ enumerentur, quæ græco quidem ſermone plerumque conſcriptæ fuerant, ſed ab Anonymo Juſtini II. Cæſaris ætate in Latinum converſæ ſunt, atque ab Irnerio deinde, aliiſque Interpretibus emendatæ, meliorique ordine diſpoſitæ in Juris Civilis corpore continentur, & *Authentica* appellantur, ſive quòd eadem ipſis, ac legibus aliis autoritas eſſet; ſive quòd integras, ſinceraſque Novellas exponerent, cùm alia Novellarum collectio, ſive translatio, quæ circa eadem tempora a Juliano quodam Conſtantinopolitano J. C. edita fuerat, potiùs *Juliani Novellæ*, quàm *Authenticæ* nominentur.

XXVIII. Integrum itaque, perfectumque Juris Civilis Corpus IV. libris Inſtitutionum, L. libris Pandectarum, vel Digeſtorum; XII. libr. Codicis, atque Novellis CLXVIII. componitur. Sed cum quinquaginta Digeſtorum libri unico volumine comprehendi vix poſſent, illos in tria volumina librarii digeſſere, quorum primum *Digeſtum vetus* appellatur, quòd ante cetera editum fuerit; alterum dicitur *Infortiatum*, ſive quod *infarcitum*, vel inter primum, ac tertium volumen poſitum ſit, ſive quod pleniorem, fortioremque legum cognitionem exhibeat; tertium denique *Digeſtum novum*, quòd ultimo, vel poſteriori loco prodierit.

XXIX. Quemadmodum verò, ubi de Juris Canonici voluminibus agebamus, oſtendimus modum, quo textus ex illo citari, vel indicari ſubinde ſolent, ita quoque nunc juverit modum exponere, quo varia Civilis Juris volumina, illorumque textus allegari conſueverint.

Pandectarum loca, vel textus exprimi ſolent, littera grecà π, cujus loco librarii communi-

ter ponunt latinam literam ff. Quod ſi non Pandectas, ſed potiùs Digeſta nominare volueris, ponitur latina littera D. Sic ex. gr. *L.* 89. *D. de legat.* 3. ſignificat legem 89. de Legatis, quæ reperitur libr. 3. Digeſtorum. Sic etiam *l.* 1. §. 3. *D.* ſive *ff. de juſtitia, & jure*, ſignificat legem I. paragraphi 3. Digeſtorum, vel Pandectarum titulo *de juſtitia, & jure*.

Textus illi, qui ex Inſtitutionibus allegantur, citantur expreſſo nomine Inſtitutionum, tituli numero, & paragrapho, ut *Inſtit.* §. *de Jur. Nat. & gent.*

Codicis loca citantur expreſſo nomine Codicis, numero, vel initio legis, & titulo libri; ut *l.* 13. *C. de dignitatibus*, lege 13. in Codice libro, vel titulo de dignitatibus; ſive *l. Nemo* 2. *C.* de Sacroſanctis Eccleſiis, quæ lex incipiens *Nemo* eſt 2. in titulo *de Sacroſanctis Eccleſiis*, qui titulus eſt ſecundus libri I.

Novellæ denique propriis nominibus, & numeris indicantur, & ipſa Novellarum capita indicantur, ut *Novel.* 22. ſicuti Authenticæ ſic allegantur *Auth. ſed hodie C. ad Legem Juliam de Adulteriis*.

XXX. His ominbus Juris civilis Voluminibus, quæ nos hactenus enumeravimus, ac in Juris Civilis Corpore, ſive Juſtiniani Cæſaris Collectione continentur, alia plura adjungi poſſent, quæ variis deinde temporibus ab Imperatoribus edita ſunt, ut duo libri *Feudorum*, libri, ſive *fragmenta XII. Tabularum*, *Novellæ Leonis*, *Fragmenta Ulpiani*, *Inſtitutiones Caii*, *Sententiæ Pauli*, aliorumque *Cæſarum Conſtitutiones*, ſive *Juriſconſultorum Placita*, quæ Cæſarum auctoritate edita, vel confirmata prodiere, unde aliorum inſtar in omnibus ferè Eu-

ropæ Regnis maxima authoritas illis conceditur, ideoque maximus etiam illorum uſus in dirimendis cauſſis, quas excitari contigerit, haberi ſolet; niſi fortaſſe conſuetudo, vel oppoſitæ alicujus Regni, ſive Provinciæ leges ſervari debeant.

XXXI. Optimo ſiquidem, ſapientiſſimoque conſilio factum conſpicimus, ut quodlibet Regnum, Provincia, vel Civitas proprias leges habeat, quibus pro variâ temporis, rerum, locorumque conditione privata Reipublicæ ipſius utilitas, ſive tranquillitas conſervetur. Quin etiam cuilibet Principi, ſive Reipublicæ vis, & auctoritas ineſſe debet, quâ novas leges inſtituere, ſubditos dirigere, & obligare poſſit, ut paullo ſuperiùs oſtendimus; quæ privatæ Principum leges ab ipſo Civili, ſive Romano Jure minimè abhorrent, ſed potiùs ab illo veluti ſacro, auguſtoque fonte derivant, ipſumque Civile Jus uberiùs, atque nitidiùs exponunt, vel certè minutiora quædam expreſsè præcipiunt, quæ in Romano Jure obſcuriùs fortaſſe, vel generaliùs continentur.

CAP.

CAP. IX.

De publicatione, interpretatione, revocatione, aliiſque proprietatibus Legum.

I. QUæ ſit humani, divinique Juris origo, quæ mira legum varietas novis ſubinde temporibus ſit inſtituta, quæ denique illarum ſingulis vis, & authoritas concedi debeat, ſatis, ut arbitror, ſuperioribus Capitibus demonſtravimus. Varias itaque legum proprietates, & accidentia ſupremo hoc loco oſtendere, ſive complecti juverit, ut illa ſimul conjuncta, ac veluti connexa intueri liceat; quæ ad uberiorem, nitidioremque legum notitiam ſpectare poſſe meritò viderentur. Quandoquidem verò leges inſtitui, publicari, explicari, revocari ſubinde ſolent, de iis omnibus uno, eodemque Capite diſſeremus: non modò quòd clariora certè illa ſint, quàm ut fuſiùs exponi debeant; verùm etiam quòd inter ſe mutuo, arctiſſimoque fœdere conjungantur, atque ex illarum ſingulis maximus cæteris, novuſque ſplendor accedat.

II. Atque illud in primis veluti certum, perſpectiſſimumque ſupponi debet, leges ab ullo inſtitui, ſive præſcribi non poſſe, qui dignitate cæteros non antecellat, qui juſto, legitimoque imperio non fruatur, cui nulla poteſtas, vis, & authoritas, ex populi conſenſione, hæreditario jure, ſive divino imperio non concedatur.

datur. Cum enim leges non modò mores componere, liberos voluntatis actus dirigere, ad honeſtatis amorem impellere debeant, unde *directivam* vim habere dicuntur; ſed liberam quoque, ac flexibilem hominis voluntatem cogere, quibuſdam veluti finibus coercere, pœnas infligere, illarumque formidine hominum animos a ſceleribus avocare; unde vis etiam *coactiva* illis conceditur *, quis apertè non videat id fieri, ſive ſperari non poſſe, niſi in Legislatore legitima ferendæ legis poteſtas, imperium, dominium, & autoritas reperiatur; tantòque meliori jure poteſtatem hanc in Legislatore requiri quantò frequentiùs legum dignitas, atque perfectio ex pœnis ipſis, quæ conſtitutæ, vel irrogatæ fuerint, oriri debet? Hinc *inter leges illa imperfecta dicitur, in qua nulla deviantibus pœna ſancitur* (*a*); ut *Valeria lex nihil ultra quàm improbe factum adiicit. Id (qui tum pudor hominum erat) viſum vinculum ſatis validum legis* [*b*]; & Zaleucus Rheginorum Legislator nullas pœnas conſtituit (*c*); atque apud Romanos ipſos *periurii pœna divina exitium, humana dedecus* dicebatur (*d*). Unde etiam fieri conſpicimus, ut in legibus non præmia juſtis, ſed potius iniquis pœnæ ſint conſtitutæ, quòd vehementior ſit in humanis animis mali formido, quàm boni cupiditas (*e*); ideoque faciliùs homines pœnarum timore, quàm præmii deſiderio, vel amore incendantur. Quod ſi à privatis hominibus,

(*a*) *Macr. Somn. II. c.* 17. (*b*) *Liv. X c.* 9. (*c*) *Diod. XII. c.* 20. (*d*) *Cic. Leg. II. c.* 9. (*e*) *Æſchin. orat. in Timarch. & Bayle Penſèes ſur la Comete vid. Puf. lib.* I. *c.* 6. *§.* 14. *Ariſt. Eth. Nic. III. c.* 12.

* Legis virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire. *Dig. lib.* I. *Tit.* 3. *leg.* 7.

bus, quibus nimirum autoritas nulla, nullumque imperium conveniat, leges aliquas inſtitui contigerit, ſanctæ illæ quidem, ac honeſtæ eſſe poterunt; nulla tamen vis; nullumque robur ipſis ineſſe poterit, ſed monita potiùs, atque conſilia, quàm legitimæ, veræque leges haberi debent.

III. Cui verò ferendæ legis autoritas concedatur, ſuperiori Capite oſtendimus. Illa nimirum Deo, veluti ſupremo rerum omnium domino tribuendam eſſe jam diximus, qui voluntates hominum ad quemcumque finem dirigere, & inflectere potuit; ideoque jus naturale, ac cęteræ leges omnes, quæ liberè ab ipſo Deo præſcriptæ fuerint, ab hoc infinito imperio, vel autoritate oriuntur. Quinetiam leges omnes, quas ab hominibus ipſis, ſive Principibus ad Eccleſiæ, ſive Reipublicæ bonum edi contigerit, ab ipſo divino jure, vel imperio veluti fonte dimanant, ut quemadmodum poteſtas illa, ac imperium, quod in Principibus reperitur, a ſupremo divino imperio dependet, ita quoque ferendæ legis poteſtas, quam in Principibus eſſe jam diximus, ex infinitâ Dei poteſtate, vel imperio profluere exiſtimetur. Quod ſi leges aliquæ a privatis ſolùm hominibus editæ, vel inſtitutæ ſint, ut de Solone, Lycurgo, Periandro, aliiſque pluribus memoratur, illæ conſilia ſolùm, ut antea dicebamus, quibus nulla cogendi, vel obligandi vis inerat, cenſeri debent; aut certè auctoritas omnis ex publico ſolùm imperio, quo rogatæ, conſcriptæque ſunt; ſive ex communi populi conſenſione, vel acceptatione dependet.

IV. Neque ſolùm ab æquo, legitimoque Principe leges inſtitui, ſive pręſcribi debent, ut obli-

obligandi vis, & autoritas illis accedat; ſed etiam requiritur, ut ejuſdem Principis imperio publicentur, ut a ſubditis omnibus, ad quos lex ipſa dirigitur, cognoſcantur. Iniquum enim foret legibus illis homines obnoxios eſſe, quas editas, vel obſervandas eſſe neſcirent; atque immeritò prorſus iis pęnæ infligerentur, qui leges ejuſmodi non liberè, ſed inconſultò, ſinè ullâ nimirum cognitione violaſſent. Hinc maxima certè ſeveritas, ac injuſtitia Caligulæ Cęſaris reprehendi ſolet, qui leges a ſe editas perexiguo, minutiſſimoque charactere exaratas in ſublimi, ac inacceſſo loco ponebat, ne ab ullo intelligi, legique poſſent; pęnas tamen violatæ legis immaniter expoſcebat ab iis, qui leges editas eſſe ignorabant aut quid ejuſmodi legibus vetitum, ſancitumque foret, coniicere, vel divinare (a) vix poterant. Sed hæc iniqui, perditiſſimique Tiranni mens fuerat, qui non in commune Reipublicæ bonum, vel civium amore, ut par fuerat; ſed effræni potiùs dominandi cupiditate, in civium perniciem leges edere, ac pęnas infligere per ſummum nefas conſueverat.

V. Optimus itaque Princeps, qui ſolo Reipublicæ amore incenſus leges inſtituere, atque a Civibus ſervari deſideret, leges omnes ita præſcribere debet, ut ſcriptis editis, pręconis voce, aut aliâ quacumque publicâ, & ſolemni ratione pro vario gentium more proponat; neque priùs ullum ſervandæ legi, vel ſubeundæ pęnę obnoxium eſſe velit, quàm legem illam nitidè, diſtinctèque cognoverit. Hinc apud veteres id in more poſitum, vel ſapienter inſtitu-

tum

(a) *Dion. Caſs.*

tum eſſe conſpicimus, ut leges ipſæ plerumque carminibus expreſſæ forent, ut faciliùs cordi inhęrere, ac publicè ſubindè cantari poſſent, quod Ariſtoteles (a), & eleganter etiam Horatius commemorat (b); quin etiam Principes pro variâ temporis, rerum, locorumque conditione aliquod temporis ſpatium definire plerumque ſolent, quo lex edita, ritèque propoſita obligare incipiat. Quòd ſi peracto hoc ipſo temporis intervallo, aliquis legem editam eſſe ignoraret, ipſamque violaret, non immeritò tamen a Principe puniretur; quòd error ille, vel ignorantia culpabilis foret, ideoque a ſcelere, vel pęnâ excuſare non poſſet, ut alibi demonſtravimus; aut ſi certè ignorantia invincibilis, vel inculpabilis eſſet, ab omni ſcelere immunis mitiùs etiam in exteriori foro puniretur.

VI. Atque iſta quidem de poſitivis ſolùm legibus, ſive humanæ, ſive divinæ ille fuerint, intelligi debent; quæ nimirum a libero Legislatoris arbitrio ita pendent, ut ſi ab illo propoſitæ, vel publicatæ non fuerint, cognoſci non poſſunt. Æterna ſiquidem lex, & jus naturæ, quod in ipſis hominum cordibus impreſſum eſt, clariſſimoque lumine in omnium mentibus effulget, nec ab ullo proinde ignorari poteſt, publicari non debuit, *quandoquidem manu formatoris noſtri in ipſis cordibus veritas ſcripſerit, Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri: hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet unde judicarentur etiam quibus non eſſet data.* (c); unde a ſacris Literis erudimur hanc legem ab ipsâ mundi origine, ad exitum populi

(a) *Probl. Sect. 29. probl. 28.* (b) *Art. Poet. v. 399.* (c) *Aug. in Pſ. 57.*

puli ex Ægypto non modò apud Judæos, ſed apud exteras quoque, barbaraſque gentes viguiſſe, etſi Moyſi primùm expreſsè tradita, ac mirificè publicata fuerit, ut alibi oſtendimus. Id eleganter etiam Cicero aſſeruit dum Lucretiæ factum commemorans, ait, *nec ſi regnante Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta lex de Stupris, idcirco non contra illam legem ſempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini Filiæ adtulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & a delicto avocans; quæ non tum denique incipit lex eſſe cum ſcripta eſt, ſed tunc cum orta eſt; orta autem ſimul eſt cum mente divina. Quam ob rem lex vera, atque princeps apta ad jubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Jovis* (*a*); atque Apoſtolus quoque docuit quod *cum Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ ſunt legis, faciunt, ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſcientiâ ipſorum* (*b*).

VII. Hinc refelli facilè poterit Rabbinorum opinio, qui ſingulorum hominum animos, qui deinde corporibus conjungendi fuerant, eo tempore creatos eſſe finxerunt, atque in Sinai montis lateribus adfuiſſe, quo Moyſes Decalogum, legemque a Deo ſibi traditam Ebreorum populo publicaret; neque enim fieri poſſe arbitrantur, ut illi ſervandæ legi obnoxii eſſe poſſent, niſi legem ipſam inſtitui, vel publicari cognoviſſent. Quàm verò temere, ineptiſſimeque delirent, ex aliis plurimis intelligi poteſt, ſed ex illo præſertim, quod naturæ lex omnium ani-

(*a*) *Offic. II. c. 4.* (*b*) *Rom. c. 2. vid. Hob. de Civ. c. 14. §. 3.*

animis impreſſa publicari non indiget, ut antea dicebamus; aut certè, ſi publicari deberet, id veriſimiliùs tunc fieri potuiſſe videatur cum animi ex optimi, divinique Artificis manu prodirent, & organizato jam corpori conjungerentur, aut ubi primum rationis lumen ipſis affulgeret, aut ubi denique ſenſim malum, bonumque diſtinguerent; ideoque temere prorſus, ac inutiliter rationales animæ tunc editæ fingerentur, quæ deinde a corpore ſejunctæ, inertes, otioſæ, per aerem vagarentur, ut olim Pythagorici, Stoici, aliique plures exiſtimarunt, qui Rabbinis hac in parte præluxerunt.

VIII. Facilè quoque refelli, vel impugnari poterit Hobii ſententia *(a)*, qui omne robur, omnemque vim, quæ in naturali, vel æternâ lege reperitur, ex liberâ Dei voce, ſive præcepto repetendam eſſe opinatur, ut illâ ſolùm de cauſsâ divina lex homines cogere, & obligare poſſit, quòd ab ipſo Dei ore prodierit, ipſo divinæ vocis oraculo præſcripta, ac publicata fuerit; nullum proinde robur habitura niſi divinæ hujus vocis autoritas acceſſiſſet. Quamvis enim Hobbio concedatur legem ab ipſo Deo, non verò potiùs ab Angelo editam, Moyſique traditam fuiſſe, nullâ tamen ratione concedi poterit tunc ejuſmodi legis vim, ac robur incepiſſe, cùm lex naturæ æterna, ac invariabilis eſſe debuerit, ut Capite VI. manifeſtiſſimè demonſtravimus; neque ab externâ promulgatione, ſed potiùs ab ipsâ hominis conditione, vel rationali, ſociabilique naturâ dependeat.

IX. Quandoquidem verò leges plurimæ, quæ preſertim ab hominibus inſtitutæ fuerint, non adeo

(a) *De Cive c. 3. §. ult.*

adeo nitidæ, faciles, diſtinctæque eſſe poſſunt; ut in explicandis, vel exequendis illis obſcuritas, & ambiguitas aliqua non offendatur, illud etiam ad plenam, uberioremque legis perfectionem requiritur, ut ſubinde explicari, vel illuſtriùs exponi debeant. Accedit etiam quod variæ temporis, loci, perſonarum conditiones, vel circumſtantiæ ita plerumque ſapientiſſimos etiam viros ancipites efficiunt, atque in diverſas opiniones abripiunt, ut facilè intelligi, vel definiri non poſſit, quæ in ejuſmodi circumſtantiis legis authoritas haberi debeat; quæ fuerit Legislatoris intentio; an ad ejuſmodi quoque circumſtantias lex extendatur; an peculiaris iſte caſus, de quo diſſeritur, in lege contineri, vel ab illâ potiùs excipi debeat; ut fuſiùs alibi diximus ubi de errore, vel ignorantiâ juris, & facti loquerremur.

X. Itaque ſi de lege, ejuſque vi dubitari contigerit, explicatio quędam, ac interpretatio adhiberi debet, quâ omnis obſcuritas, & ambiguitas auferatur. Ac dubitari certè non poterit, quod explicandæ, vel interpretandæ legis auctoritas in eodem Principe non reperiatur, qui legem ipſam edidit; aut in illo, qui pari poteſtate, vel imperio potiatur, qui nimirum hęreditario, vel alio quocumque jure Legislatoris ſucceſſit. Quemadmodum enim in ipſo vis, & poteſtas illa reperitur, quâ legem ferre, invertere, ac revocare poſſit, ita quoque legem exponere, ac interpretari poterit; cùmque ipſe communi Reipublicæ bono, legum obſervantiæ, civium tranquillitati conſulere debeat, definire etiam poterit, quæ legis vis, amplitudo, vel autoritas ſit futura, ideoque legem ad certas etiam temporis, rerumque circumſtantias

exten-

extendere; aut certis quibuſdam finibus coercere. Hinc innumeris in locis a ſacris Literis, vel utriuſque Teſtamenti libris erudimur; quod Regibus, Sacerdotibus, Epiſcopis, Conciliis, atque in primis Romano Pontifici explicandæ legis autoritas conceſſa fuit. Quod ſi divinam quoque legem, ac naturæ jus, quod variari, vel abrogari non poteſt, exponere, vel explicare iis licuit, meliori certè jure leges humanas ab ipſis hominibus liberè inſtitutas interpretari illi poterunt.

XI. Quod ſi a Principibus lex explicata, vel declarata non fuerit, tunc explicatio a communi, vel ſtabili conſuetudine repeti, ſive deſumi poterit. Quidquid enim non privato, ſed publico omnium more, vel conſenſione receptum, neque a Principibus expreſsè vetitum, vel abrogatum ſit, id a Principibus ipſis tacito veluti conſenſu probatum cenſeri poterit; ut ipſa proinde conſuetudo liberè, ac tranquillè inſtituta, & diuturno temporis ſpatio confirmata veluti nova lex, aut veteris certè legis explicatio haberi debeat: unde communis, ac celebris illa Juris regula quod optima legum interpres eſt conſuetudo [a], quæ proinde meritò definitur *Jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur cum deficit lex* [b]. Ex quo intelligitur conſuetudinem irritam, ac injuſtam eſſe ſi legi adverſetur; ideoque, ſi lex edita fuerit, plenumque robur obtineat, conſuetudo impedire non debet, *quominus* legis *veritas prævaleat, & vincat. Nam conſuetudo sinè veritate vetuſtas erroris eſt* [c], atque ubi lex ex-

(a) *Cap. cum dilectus tit. de conſuet.* (b) *Can. Conſuetudo V. diſt. 1.* (c) *D. Cypr. ep. 74. in Can. 8. diſtin. 8.*

preſſa fuerit, *non exemplis, ſed legibus* eſt *judicandum* (a); ſive *non tam ſpectandum quid factum ſit, quàm quid fieri debeat* (b). Sed de conſuetudine aliquid etiam inferiùs attexemus.

XII. Maxima quoque in dirimendis ambiguitatibus, & explicandâ lege illorum autoritas eſſe debet, qui legum peritiâ, ingenio, honeſtate, atque præſertim prudentiâ excellant. Hinc Juriſconſultos, ac Theologos veluti humani, divinique Juris Interpretes adire ſolemus; atque ubi in explicandâ lege conſpirent, illos veluti Duces, certo, ac inoffenſo pede ſequi nos poſſumus. Sin verò diſſideant, ut fieri plerumque ſolet, atque in oppoſitas ſententias mirificè inclinent, tunc opinionem illam, eoſque duces amplecti debemus, quæ melior, probabilior, ac veriſimilior affulſerit, ut ſequenti Capite demonſtrabitur.

XIII. Quod ſi neque Principem ipſum, neque Juriſconſultos adire libeat, privato quoque judicio legem exponere ſubinde licet. Cautiſſimè tamen hæc ipſa privata legis interpretatio adhiberi debet. Incredibilis enim, ac ingenitus amor ille, quo nos diligimus, irrequieta libertatis cupiditas, vehemens affectuum ardor, ac ſenſibilium rerum illecebræ; animum noſtrum ſæpiſſimè in errorem abripiunt, ut *nimis callida, atque malitioſa juris interpretatio* (c) a nobis adhibeatur, ac illa proinde licita exiſtimemus, unde voluptas aliqua oriatur, vel occulta plerumque cupiditas expleatur. Hinc ſapientiſſimos etiam viros, qui cæteris præclarè conſulere, alioſque dirigere ſolent, ubi de ſe-

(a) *Leg. 13. Nemo Cod. de ſent. & interloc.* (b) *leg. ſed licet 12. ff. de officio Præſid.* (c) *Cic. offic. l. 6.*

ſeipſis, propriiſque actibus judicare contigerit, plerumque falli conſpicimus, ut deteriorem partem, a quâ cæteros avocaſſent, amplectantur. Itaque cupiditas, & affectus omnis pauliſper ſeponi debet; neque repente judicium ferri, vel actus exeri poteſt: ſed ubi cupiditas, ac vehemens animi fervor veluti pacatus conſederit, rerumque veritas, actûs peragendi bonitas, atque malitia tranquillo, ac ſereno rationis lumine appareat, tunc liberè a nobis eligi, vel reſpui poterit. Hinc Serv. Sulpitius a Cicerone maximè commendatur, quod *non magis Juris Conſultus, quàm juſtitiæ fuerit*, ita erat in illo *admirabilis quædam, & incredibilis, & penè divina in legibus interpretandis, æquitate explianda ſcientia, ita ea, quæ proficiſcebantur a legibus, & ab jure civili, ſemper ad facilitatem, æquitatemque referebat* [a].

XIV. In explicandâ verò, vel interpretandâ lege ſpectari plurimùm debet ipſa legis natura, ſive conditio; cum certè non eadem vis, idemque robur in ſingulis legum generibus haberi poſſit. Itaque lex æterna ſemper eadem, conſtans, ac invariabilis eſſe debet, ut nullo proinde pœnarum timore, nullâ mortis inſtantis formidine, nullo cujuſcumque boni, vel maximi, amore violari poſſit. Hinc primis Eccleſiæ ſæculis veluti ſacrilegi, idololatræ, ſummique ſceleris rei cenſebantur, qui tormentorum vi Diis thura adolerent, Chriſtianamque fidem, vel ſimulatè ſolùm ejurarent. Hinc ſapientiſſimus ſenex Eleazar glorioſam potiùs mortem oppetere, quàm ſuillam carnem comedere conſtantiſſimè elegit, ne patrias leges contemnere, externoque ritu Gentium

(a) Phil. 9.

tium mores amplecti videretur. Hinc etiam Suſanna nullâ dedecoris, vel mortis formidine adduci potuit, ut debitam ſponſo fidem, ac naturæ jus violaret; quod innumeris certè exemplis non modò ex divinis, ſed ex profanis etiam Scriptoribus oſtendi poſſet, quorum plura variis in locis opportunè afferentur, ubi de juſtitiâ, fortitudine, & hominum officiis diſſeremus, Itaque meritò quorumdam hominum ſententia, ab Innocentio XI. Romano Pontif. damnata fuit, qui aſſerere minimè verebantur mortis vitandæ cauſa perjurium aliquando licere, ſi vocum ambiguitas adhiberetur; poſſe thura Diis adoleri, ſi tamen intentio ad verum Deum dirigeretur; hominem occidi poſſe non modò decoris, ac famæ, ſed etiam pecuniæ, &, quod ferri certè vix poteſt, *unius aurei* conſervandi ſtudio; Suſannam denique perditorum ſenum libidinem pati potuiſſe, dummodo interiori animi voluntate ab illorum ſcelere diſſentiret. Sed hæc, aliaque id genus depravatæ doctrinæ portenta ſequenti Capite explicabuntur.

XV. Maxima quoque in explicandis legibus varietas oriri poterit ex inſigni diſcrimine, quod inter præcepta legis *affirmativa*, *vel negativa*, reperitur. Affirmativa præcepta dicuntur illa, quæ actum aliquem veluti honeſtum, ac debitum faciendum præſcribunt, ut Deum colere, parentes honorare, &c. negativa verò, quæ actum aliquem veluti indecorum, pravum, ac illicitum fieri vetant, ut occidere, furari, &c. Quamvis itaque præcepta ſingula, ſive negativa, ſive potiùs affirmativa illa fuerint, ab uno, eodemque fonte, ſeu lege derivent, ideoque homines obligent, major tamen vis, & autoritas negativis concedi ſolet, ut nullo unquam tem-

pore

pore violari poſſint; ideoque actus ille, qui vetitus eſt, ſemper illicitus ſit, adeoque nunquam fieri poſſit; unde præcepta ipſa dicuntur obligare *ſemper*, *& ad ſemper*, ut ſemper illicitum, vetitumque ſit furari, ac occidere. Affirmativa verò, quæ actum aliquem imperant, non ſemper obligant, neque ſemper actum illum exeri jubent; ſed in certâ ſolùm temporis, rerum, loci circumſtantiâ, ut aliquo proinde temporis ſpatio deſeri, vel ommitti poſſint. Sic Deum colere, amoris, aliarumque virtutum actus elicere certis ſolùm temporibus jubemur, quibus definiendis inter ſe Theologi diſſident, ut Diſp. IV. Cap. I. oſtendemus.

XVI. Aliqua tamen ſunt juris naturalis præcepta, quæ licèt a naturâ ipsâ, vel a Deo præſcripta fuerint, cùm tamen ex hominum diſpoſitione, ſive contractibus oriantur, poterunt aliquando explicari; atque ubi mortis, alteriuſque incommodi timor impenderit, ſinè ullâ ſceleris labe violari. Sic ex. gr. aliena rapere, ſive furari divinâ lege prohibetur; cùm tamen bonorum diviſio, ſive dominium ex liberâ hominum voluntate, ac fortuito plerumque caſu dependeat, illa in commune generis humani, ſive naturæ præjudicium, ſive hominis perniciem fieri certè non poterat; ideoque qui maximâ, vel extremâ inopiâ, ſive neceſſitate prematur, ut vel mori debeat, vel aliquid ex alienis bonis ſurripere, tunc iis liberè veluti propriis uti poterit. Qui mortem aliter evadere, propriæque ſaluti conſulere non poteſt, quàm ſi alienas ſegetes diripiat, id jure præſtare poterit, antiquius enim, longèque efficacius eſt illud naturæ jus, quo quilibet hominum ſeipſum defendere, vel conſervare poteſt, quàm illa bo-

norum diviſio ab hominibus inſtituta: quâ diviſione ſublatâ, omnis etiam divinæ legis autoritas, quâ furtum prohibetur, in ejuſmodi peculiari caſu ceſſare debet; ſive non legis quidem autoritas, roburque imminuitur, ſed materia ſolùm huic legi ſubjecta variatur, ut ampliùs in communi, vel generali lege minimè contineatur.

XVII. Quod ſi divini quoque juris præcepta commodè explicari, vel benignè exponi ſubinde poſſunt, meliori certè jure id fieri poterit in humanis legibus, quæ liberè ſunt ab hominibus inſtitutæ, ideoque pro variâ temporis conditione variari, dirimi, ſive ceſſare ſolent. Communis eſt itaque Juriſconſultorum, ac Theologorum omnium ſententia, quod humanæ leges, ſive civiles, ſive ſacræ illæ fuerint, cum gravi incommodo obligare non poſſunt; atque illam Legislatoris mentem fuiſſe meritò exiſtimatur, ut in illo caſu, quo ex legis obſervantiâ mortis, alteriuſve gravis incommodi periculum oriatur, lex ipſa ceſſet, ac veluti extinguatur. Communis eſt etiam opinio, quod *leges ſunt interpretandæ benigniùs, quò voluntas earum conſervetur* (a); ut illæ nimirum faciliùs, atque alacriùs ab hominibus obſerventur: unde etiam celebre effatum illud conſtanti Juriſconſultorum, ac Theologorum omnium voce mirificè confirmatum, quod odioſæ leges reſtringi, vel mitiùs exponi debent; privilegia verò, ſive favorabiles leges ſunt ampliandæ, atque alia id genus plura, quæ a Juriſconſultis, ac Theologis adhibentur. Tantum itaque abeſt, ut in ejuſmodi caſibus legem violare non liceat,

(a) *Celſus l. 18. ff. de leg. ſenatuſque conſ.*

liceat, ut ille potiùs veluti prudens meritò exiſtimetur, qui *epicheiâ*, ſive prudentiâ noverit legum dignitati, ſimulque proprio commodo, atque incolumitati conſulere. Hinc in Evangelio (*a*) David a Chriſto commendatur; quod ex quinque panibus propoſitionis, quibus ex veteris legis præcepto ſolis Sacerdotibus veſci licebat, in maximâ neceſſitate comederit; cùmque nullus alius enſis ſuppeteret, quo ſe tueretur, Goliath enſem, qui in Templo veluti anathema appenſus fuerat, arripuerit; quod innumeris etiam exemplis aliis mirificè confirmatur.

XVIII. Atque hactenus quidem de legitimâ, ac juſtâ legis interpretatione, vel explicatione, quæ vel a Principe, ſive Legislatore, vel a conſuetudine, vel a privatis etiam, prudentibus viris adhiberi ſubinde poteſt. Proximum eſt, ut aliqua de legis diſpenſatione attexamus, quæ ad interpretationem, explicationemque legis maximè accedit.

Cùm itaque in humanis actibus, in ipſis rerum, perſonarum, loci, vel temporis circumſtantiis tanta varietas eſſe ſoleat, ut illa, quæ in commune Reipublicæ bonum edita, ſive præſcripta fuerint, aliquando noxia, vel incommoda videantur, optimo, ſapientiſſimoque conſilio inſtitutum eſſe conſpicimus, ut aliquando legis autoritas relaxetur, ſive in legibus ipſis diſpenſatio, ubi id meritò, ac prudenter fieri poterit, concedatur. Hinc diſpenſatio communiter definitur *relaxatio juris communis cum cognitione cauſſæ facta in quibuſdam caſibus ab eo, qui habet juriſdictionem*. Dicitur relaxatio juris communis, ut ab interpretatione diſtinguatur, in quâ legis autoritas non minuitur, aut aliquâ

(*a*) *Matth. c. 12. v. 4.*

ex parte relaxatur, ſed ſolùm exprimitur, peculiarem illam perſonam, ſive caſum, de quo diſputari contigerit, in communi lege non contineri. Fieri verò, ſive concedi debet in aliquibus ſolùm caſibus, partim ut à privilegio diſtingui poſſit, quod perpetuum eſſe plerumque ſolet, ac veluti *privata lex* quædam haberi debet; partim etiam ut ab integrâ legis abolitione, vel abrogatione ſecernatur. Autoritas etiam in diſpenſante, vel juriſdictio requiritur; alioquin legis robur infringere, minuere non poſſet; ideoque par, & æqualis autoritas in ferendâ, vel diſpenſandâ lege requiritur: unde inferior in lege, quæ a ſuperiore præſcripta fuerit, diſpenſare non poteſt, niſi id ipſi ex ſuperioris imperio conceſſum fuerit. Ut denique diſpenſatio juſta, ac legitima ſit, poſtremò requiritur, ut non temere, & inconſultò, ſolo nimirum Principis arbitrio, ſive rogantis deſiderio, ſed ex aliquâ rationabili cauſsâ concedatur, quæ tantò major, & gravior eſſe debet, quantò nobilior, utilior, atque ſeverior eſt illa lex, cui diſpenſationibus ejuſmodi derogatur: alioquin ejuſmodi diſpenſationibus, quas immeritò concedi contingeret, legis autoritas, ac dignitas, moralis diſciplinæ ſeveritas ſenſim languere, vel extingui propemodum videretur. Hinc optimè a Tridentinâ Synodo definitur quod *ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverint, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſsâ cognitâ, ac ſummâ maturitate, atque gratis a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur* (a).

Cui

(a) *Seſſ. 35. v. 18. de ref.*

Cui quidem ſaluberrimo Tridentini Concilii decreto non modò perennis Eccleſiæ conſuetudo, quæ primis etiam temporibus floruiſſe conſpicitur, ſed ipſa quoque Apoſtolorum exempla præluxerant, ut ex innumeris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ locis apparet. Itaque reprehendi meritò poterit qui ſinè cauſsâ, vel prorſus immeritò diſpenſari deſiderat, ac ſolo libertatis, & voluptatis amore a communi legis onere ſolvi, vel eximi curet. Ille nimirum Principem, qui *nihil eſt aliud*, ut præclarè monuit Ariſtoteles, *quàm cuſtos juris* [a], tacitè impellit, ut immeritò legem infringat, ejuſque robori, ac dignitati plurimùm detrahat: unde ejuſmodi diſpenſatio, ſive petentem ſubditum, ſive etiam Principem ipſum conſideres, prorſus illicita cenſeri debet; ideoque licèt validè concedatur, cùm certè lex ipſa ſolo Principis imperio, ſeu voluntate ſublata, vel abrogata fuerit, licitè tamen adhiberi non poteſt, cùm naturalis juris obligatio perſeveret, atque ex illicitâ diſpenſatione, vel ipſius uſu ſcandalum plerumque oriri conſueverit.

XIX. Quod ſi diſpenſatio non modò ſinè cauſsâ peti, ſive concedi contigerit, ſed etiam *obreptione*, vel *ſubreptione* quadam fuerit impetrata, falſa nimirum exponendo, vel reticendo vera, ut Principis animus, qui alioquin legem dirimere, vel diſpenſare non vellet, faciliùs inclinetur, tunc diſpenſatio non ſolùm illicita, ſed etiam invalida cenſeri debet; niſi fortaſſe veritas illa, quæ ſuppreſſa, vel falſitas, quæ expoſita fuerit, ejuſmodi ſit, ut quamvis etiam expreſſa, vel omiſſa foret, Principem tamen a concedendâ gratiâ minimè retardaſſet,

(a) *Ethic. Nic. V. c. 10.*

ſet, ut accuratè, ac luculenter etiam expreſſit Innocentius III. in Capit. *Super litteris* de Reſcriptis. Sed hæc, aliaque id genus plurima apud Juriſconſultos, & Theologos, qui longâ de his oratione diſſerunt, haberi poterunt. Aliqua potiùs de legis abrogâtione, ſive revocatione dicenda nobis ſuperſunt.

XX. Communis eſt itaque opinio quod lex poſitiva, ſive humanâ, ſive divina illa fuerit, aliquando abrogari, reſcindi, deleri, vel revocari meritò poteſt (*a*). Quemadmodum enim lex poſitiva a ſolo Principis, ſive Legislatoris arbitrio in commune Reipublicæ bonum, ac civium utilitatem poſita, ſive præſcripta fuit; ita quoque pro variâ temporis conditione, ubi nimirum id Reipublicæ utilitas exigere videatur, ita revocari, vel abrogari poterit, ut omnem vim, vel obligandi robur amittat; quod innumeris certè exemplis, tum ex hiſtoriâ profanâ, tum ex ſacris etiam Literis facilè oſtendi poſſet. Sic veterem Moſaicam legem, quæ ab ipſo Deo ſolemniter adeo conſtituta, vel confirmata fuerat, Chriſti Redemptoris funere abrogatam eſſe jam diximus. Sic quamvis Eccleſiæ leges, quæ ad morum honeſtatem, fidemque pertinent, *irreformabiles* ſint, ut præclarè docuit Tertullianus (*b*); leges tamen aliæ, quæ ad exteriorem cultum, & Eccleſiæ regimen pertinebant, & primis Eccleſiæ ſæculis ab Apoſtolis, Patribus, Conciliis editæ fuerant, a poſterioribus deinde Conciliis, ſunt revocatæ. Sic denique nulla natio optimis licèt, ſapientiſſimiſque legibus inſtituta deprehendi poterit, in quâ

(*a*) *vid. Cic. epiſt. ad Artic. III. ep.* 23. (*b*) *de virgin. vel. c.* 1.

quâ leges ipſæ reſciſſæ, mutatæ, vel abrogatæ non fuerint, ut a Gravina, Pufendorfio, aliiſque innumeris demonſtratur.

XXI. Neque ſolùm poſteriori lege, ſive decreto lex aliqua revocari poterit, ſed conſtanti quoque legitimâ, ac diuturnâ conſuetudine. Cùm enim legitima conſuetudo novæ legis inſtar haberi poſſit, ut paullò ſuperiùs oſtendimus, ſicuti novâ lege veterem legem abrogari poſſe jam diximus, ita quoque lex ipſa conſuetudine poterit abrogari. Quemadmodum tamen conſuetudo legis vim habere non poteſt, niſi conditiones aliquæ accedant, ita quoque conditiones aliquæ requiruntur, ut lex aliqua rite inſtituta contrariâ conſuetudine abrogetur. Itaque primò requiritur, ut conſuetudini Legislatoris conſenſus tacitus, vel expreſſus accedat; tota nimirum viris, & autoritas, quæ conſuetudini concedi ſolet, ex ejuſmodi conſenſu veluti fonte deduci debet; ideoque ſi Princeps editam legem nullâ conſuetudine violari pateretur, ſi oppoſitos actus nullos, irritos, ac injuſtos eſſe decerneret, præſertim verò ſi legis contemptores, novæque conſuetudinis aſſertores minis, ac pœnis etiam coerceret, dubitari certè non poterit, quin conſuetudo prorſus illicita cenſeri debeat, vel abuſus potiùs, ac inviolatæ legis contemptus exiſtimari. Si tamen ejuſmodi conſuetudo, licèt invito, ac reluctante Principe ſit inſtituta, ſemper eadem, conſtans, ac invariabilis perſeveret, ac legitimâ demum temporis præſcriptione confirmata fuerit, tunc veterem legem abrogare, novæque legis vim ſortiri illa poterit; diuturnâ ſiquidem temporis conſuetudine, ac legitimâ præſcriptione legem abrogari, ſive conſuetudini robur accedere civilibus, atque canonicis juribus

bus erudimur; ideoque conſuetudini jam præſcriptæ Principis etiam conſenſus accedere exiſtimatur. Quæ verò temporis diuturnitas requiratur, ut conſuetudo præſcribi poſſit, etſi non eadem ſit Juriſconſultorum omnium opinio, plerique tamen exiſtimant in civili, communique jure 10. ſaltèm annorum ſpatium requiri, in eccleſiaſticis verò, quæ puriores, ſanctioreſque eſſe debent, non niſi 40. annorum præſcriptionem ſufficere, ut veteri legi oppoſitâ conſuetudine derogetur.

XXII. Quemadmodum verò legi jam inſtitutæ contrariâ conſuetudine derogatur, ut ipſa proinde legis vis, & autoritas ex populi more pendere quodammodo videatur, ita quoque plurimi exiſtimant, quod legis autoritas ex populi conſenſu, vel acceptatione dependeat; ideoque lex veluti abrogata, vel irrita cenſeri debeat, niſi libera populi acceptatio, ſive conſenſus accedat. Sed hæc opinio nullâ ratione defendi poterit. Si enim legis autoritas ex populi conſenſu penderet, ferendæ legis poteſtas potiùs in ſubditis, quàm in Principe reſideret; lex a conſilio nullo diſcrimine diſtingueretur; ac Princeps legem ſolùm, ſive legis materiam veluti conſiliarius proponeret, quam deinde populi libero ſuffragio confirmare, ſive reſpuere poſſent, ut illi robur, ac obligandi vim, in quo legis eſſentia, ſive natura conſiſtit, adiicerent; nulla denique legum dignitas foret, quæ facilè reſcindi, ac violari non poſſet: unde Principum auctoritas, Civium tranquillitas, atque Reipublicæ bonum funditus everti, vel extingui deberet. Hinc meritò illorum ſententia ab Alexandro VII. proſcripta fuit, qui aſſerere non erubuerant *populum non peccare, etiamſi abſque*

ullâ

ullâ cauſsâ non recipiat legem a Principe promulgatam ; cùm certè ferendæ legis autoritas Principibus, independenter a populi conſenſu, divino, ac naturali jure conceſſa fuerit, ut ſuperiori Capite clariſſimè demonſtravimus.

XXIII. Si tamen Legislator ipſe, ubi pervicacem populi reſiſtentiam viderit, legem impune violari permittat, atque oppoſitâ conſuetudine legi derogari patiatur, tunc legem ipſam reſcindere, vel abrogare præſumitur; ideoque tunc legis autoritas, non ex pervicaci quidem populi repugnantiâ, ſed potiùs ex libero Principis conſenſu minui, vel extingui concipitur. Atque optimo ſanè conſilio id aliquando fieri conſpicimus, ut Principes ipſi leges a ſe editas violari, vel abrogari patiantur; cùmque illas non in commune Reipublicæ bonum, cujus amore præſcriptæ fuerant, ſed potiùs ex pravo ſubditorùm animo, illorumque vitio in Reipublicæ, vel civium perniciem, legum dedecus, atque imperii diſſidium cedere viderint, communi potiùs Reipublicæ tranquillitati, vel diſſidentium civium deſiderio conſulere amantiſſimè velint, quàm decoris, ac imperii proprii dignitatem civium ſanguine, ac rebellium cædibus tueri.

Quod ſi libera populorum conſenſio ad legis robur a ſapientiſſimis etiam viris requiritur, & *ipſæ leges non aliâ ex cauſsâ nos tenere* dicuntur, *quàm quod judicio populi recepta ſunt* [a], id negari facilè poterit; vel ita potiùs intelligi ut illa populorum conſenſio, quæ Principem elegit, atque illi imperium, vim, poteſtatemque contulit, legibus etiam illis vim, conſenſumque

(a) *Celſus leg. 28. ff. de leg. ſenatuſque conſ.*

que præſtiterit, quas ille ſubinde in Reipublicæ bonum proponeret: unde *quod Principi placuit, legis habet vigorem, utpote cum lege regiâ, qua de imperio ejus lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem conferat* [a].

CAP. X.

De Conſcientia, ejuſque diviſione.

I. MAxima, & incredibilis illa legum varietas, quas dirigendis hominum moribus partim a naturâ ipsâ, partim a Deo, partim denique ab hominibus inſtitutas eſſe jam diximus, inutilis propemodum videretur, niſi ab hominibus illæ cognoſcantur; niſi vivido quodam, intimoque ſenſu in ſingulis actibus exerendis illarum vis, & autoritas deprehendatur; niſi denique voluntas ipſa de operis bonitate, ſive malitiâ ritè judicare, vel definire ita poſſet, ut liberè deinde bonum actum amplecteretur, legemque ſervaret; vel ad malum potiùs inflecteretur, ac legem violaret.

II. Neceſſarium itaque fuerat, ut non modò lex aliqua liberis hominum actibus dirigendis præſcriberetur; ſed ut inſuper alio puriori, vel interiori lumine mens dirigeretur, quo non ſolùm legem ejuſmodi ſancitam, vel editam eſſe cognoſceret, ſimulque actum ipſum, accidentia, & circumſtantias omnes accuratiſſimè circum-

(a) Ulpian. leg. 32. ff. de conſt. Princ.

cumſpiceret, verùm etiam nitidè adverteret actum ipſum ab ejuſmodi lege diſſidere, vel potiùs cum ipsâ lege congruere. Hinc meritò Theologos, ac Philoſophos omnes in hoc mirificè conſpirare conſpicimus, ut conſcientiam veluti proximam actuum humanorum legem, editæ, vel ſcriptæ legis interpretem velint, melioremque in exerendis humanis actibus ducem haberi poſſe; ut omnis proinde legum autoritas languere videatur, niſi conſcientiæ lumen accedat. Quemadmodum itaque de legibus ipſis ſuperiori loco plurima diſſeruimus, ita nunc varia de conſcientiæ viribus, ejuſque diviſione complecti juverit, ut inde quidquid ad humanos actus ſpectare poterat, fæliciter abſolvatur.

III. Atque, ut obſcuritas omnis, & ambiguitas, quæ ex vocibus oriri fortaſſe poterit, dirimatur, obſervare juverit conſcientiam duplici modo concipi, ſive ſpectari poſſe. Aliquando nimirum *conſcientiæ* nomine intelligitur illa cognitio reflexa, quâ actus ille, qui exeritur, ejuſque circumſtantiæ nitidè cognoſcantur; etſi nulla legis cognitio habeatur, ſive certè actus ille cum lege minime comparetur. Atque ejuſmodi certè conſcientia in homine haberi debet, quotieſcumque non temere, & inconſultò, ſed prævio rationis lumine, ac humano modo operetur, ut fuſiùs alibi declaravimus; ideoque tunc homo propriæ operationis conſcius eſſe cenſetur, quando nitidè, clariſſimèque cognoſcit quidquid intellectu, ac voluntate peregerit, ſive peragere meditetur. Aliquando verò conſcientiæ nomine intelligitur actus ille intellectûs, quo non modò actum ipſum cognoſcimus, ſed etiam legem, quâ talem actum præſcribi, vel prohiberi conſpicimus; ideo-

que

que actum legi conformem, ſive difformem eſſe intelligimus. Si conſcientiæ nomine ſola actûs cognitio intelligatur, in quâ lex ipſa, vel ordo cum lege non deprehendatur, illa quidem requiritur, ut actus humanus, vel bonus, vel malus haberi poſſit, ut alibi oſtendimus, cum de ignorantiâ loqueremur; non tamen ſufficit, ut bonitas, vel malitia moralis habeatur. Cùm enim bonitas ipſa, ſive malitia moralis oriatur ex ordine, quem actus humanus præviâ cognitione elicitus habet ad legem, vel finem ſibi conſtitutum, clariſſimè apparet, quod non ſolùm actus ipſe cognoſci debet, ſimulque lex, ad quam talis actus dirigitur; ſed etiam connexio, vel repugnantia, quæ in actu ejuſmodi cum lege propoſitâ reperitur.

IV. Itaque conſcientia illa, de quâ diſſerimus, eſt illa cognitio reflexa, quæ ſimul actum voluntatis, & legem conſiderat, eumque ordinem, qui inter actum ipſum, ac legem reperitur; ideoque talem actum veluti illicitum, ſive debitum eſſe cognoſcit. Hinc optimè definitur conſcientia *judicium actuale practicum, dictans quid in particulari ſit faciendum, vel ommittendùm: judicium* quidem, quia, ut antea dicebamus, non modò actum apprehendere, ſive concipere debet; ſed etiam de ipſius bonitate, ſive malitiâ judicare; *practicum* verò dicitur, quia non actus merè poſſibiles, ſcientiæ inſtar, contemplatur, ſed illos veluti futuros, ſive proximè eliciendos conſiderat; additur poſtremò quod illa dictat, quid *in particulari* fieri, vel potiùs omitti debeat, ut a ſindereſi diſtinguatur, quæ univerſalia ſolùm principia conſiderat, *ut quod tibi non vis, alteri ne feceris;* ſimulque a prudentiâ, quæ concluſiones univer-
ſales

ſales ex principiis ipſis deducit, unde conſcientia veluti proxima, & immediata lex ſingulos actus inſpicere, ac dirigere debet, & voluntatem ad ipſos inflectere. Sed clariùs etiam hujus reflexæ cognitionis, ſive conſcientiæ vis, & autoritas cognoſci poterit, ubi advertatur, quod omnis moralis bonitas, atque malitia ex conſcientiâ ipsâ proximè deduci debet; ut ipſa proinde lex obligare, bonum, vel malum actum efficere non poſſit, niſi conſcientiæ lumen, judicium, ſive dictamen accedat. Hinc fieri plerumque ſolet, ut actus aliquis non ſit contra legem, & tamen malus ſit; alter verò malitiâ careat, etſi legi opponatur: quod illuſtriùs adhuc intelligi poterit, ubi varia conſcientiæ diviſio expoſita, vel explicata fuerit.

V. Itaque communi Philoſophorum, ac Theologorum omnium conſenſu in varias ſpecies conſcientia diſtingui ſolet, *certam* nimirum, *dubiam*, *erroneam*, *ſcrupoloſam*, atque *probabilem*, de quarum ſingulis, illarumque legibus breviter diſſeremus.

Conſcientia *certa*, vel *recta* vocatur illa, quæ actum, legem, circumſtantias omnes, ideoque malitiam, & bonitatem actûs nitidè, diſtinctèque cognoſcit; ſive quæ principiis, atque argumentis certis innititur, ut de bonitate, vel malitiâ actûs dubitare non poſſit, ſed certò ſibi conſcia ſit actum lege præſcriptum, ſeu vetitum eſſe; ideoque ſe legem violare, vel implere, ſi actum illum exerat, vel omittat.

Conſcientia *erronea*, vel *falſa* vocatur illa, quæ temere, vel falsò de lege, ideoque de bonitate, ſeu malitiâ operis judicat, atque certò exiſtimat actum aliquem eſſe malum, vel legi contrarium, qui revera bonus ſit, ac legi co-

hæreat; ſive actum eſſe bonum, qui revera lege prohibitus, pravuſque ſit: unde conſcientia erronea ab errore, vel ignorantiâ legis exoritur.

Quod ſi error ille non certis, vel probabilibus ſaltèm rationibus innitatur, ſed animus leviſſimis ſolùm conjecturis de operis bonitate, ſive malitiâ judicet, tunc conſcientia *ſcrupuloſa* vocari ſolet.

Conſcientia dubia dicitur illa, quæ de operis bonitate, ſeu malitiâ definire non poteſt; cùmque pares ex utrâque parte rationes inveniat, paribus etiam ex utraque parte momentis inclinat, ſeu potiùs inter utramque partem ſuſpenſa reperitur.

Conſcientia probabilis eſt illa, quæ non certis quidem, ac evidentibus, ſed probabilibus ſolùm rationibus innixa in unam partem, ſive ſententiam inclinat, ut tamen oppoſitam partem, ſive ſententiam probabilem eſſe conſpiciat.

VI. His ita ſuppoſitis, ac explicatis pro vario conſcientiæ, vel cognitionis genere, variæ quoque leges conſtitui, vel definiri ſolent, quibus in exerendis actibus dirigamur.

Illud itaque in primis veluti certum, perſpectiſſimumque ſupponi debet, quod ubi conſcientia recta, vel certa fuerit, certò nimirum, ac evidenter operis bonitatem, ſive malitiam nobis oſtenderit, illam veluti ducem ſequi debemus, atque actum illum exerere, qui legi conveniens, ſive lege præſcriptus cognoſcatur; atque ab illo recedere, qui legi contrarius videatur. Cùm enim actus quilibet ad legem dirigi debeat, ac moralis bonitas, ſive malitia oriatur ab ordine, quem actus ipſe habet cum lege, ubi bonitas ipſa, ſive malitia nitidè, certòque cognoſcatur, intellectus illam amplecti debet; alio-

quin,

quin, ſi ab ejuſmodi cognitione, ſive normâ recederet, actum legi oppoſitum eligere, ideoque legem violare vellet: in quo omnem actûs humani pravitatem poſitam eſſe jam diximus.

VII. Tanta verò hujus conſcientiæ certæ vis, & autoritas in dirigendis humanis actibus eſſe debet, ut quamvis illa de lege, ſive bonitate, & malitiâ temere, ac falsò judicet, ideoque erronea ſit, dummodo tamen id illa vetitum, ſive præſcriptum eſſe exiſtimet, quod revera vetitum, ſive præſcriptum non eſt, ſi ab ejuſmodi cognitione recedat, vel contra conſcientiam erroneam operetur, nihilominus peccare debeat; ut ex. gr. ſi quis certò crederet feſtucam furari peccatum eſſe, & tamen illam furaretur, furti peccatum committeret; quia nempe voluntatem ſic affectam habet, ut legem violare velit, & actum illum, quem certò legi contrarium, ac lege prohibitum exiſtimat, liberè, ac pervicaciter amplectatur.

Sic etiam error ille, vel conſcientia erronea a peccato plerumque excuſat, ut ex. gr. qui certò crederet licitum eſſe arma furioſo domino reſtituere, idque præſtaret, a peccato liber, & immunis videretur. Quæ tamen omnia intelligi debent de errore, vel ignorantiâ, quæ facilè vinci, vel ſuperari non poſſit. Si enim error ipſe vincibilis foret, facilè nimirum vinci deberet, ac poſſet, ut alibi diximus, tantum abeſt ut a peccato excuſet, ut potiùs error ipſe peccatum cenſeri debeat. Unde clariſſimè apparet, quod in quibuſdam caſibus ille, qui errore, vel ignorantiâ vincibili operatur, ſive conſcientiâ erroneâ dirigitur, quæ revera culpabilis, ac vitioſa ſit, quemcumque ex oppoſitis actibus elegerit, ſive operetur, ſive non

operetur, ſemper tamen peccabit. Si enim contra conſcientiam erroneam, quâ proximè, & immediatè dirigitur, operetur, ideoque actum illum eliciat, quem conſcientiâ erroneâ vetitum eſſe exiſtimet, peccare debet, cùm in ipſius actu malitia, vel pravitas illa reperiatur, quæ ad peccatum ipſum requiritur. Si verò ſecundùm conſcientiam operari voluerit, ſed contra legem, quam vitiosè, vel culpabiliter ignorat, legem nihilominus violabit, cùm ab ejuſmodi errore non excuſetur, ideoque ex utraque parte peccatum admittet. Ejuſmodi verò peccandi neceſſitas, quæcumque illa ſit, peccati labem minuere, vel excuſare non poteſt, cùm illa perfectè libera ſit, hoc eſt a liberâ, ſive culpabili ignorantiâ oriatur. Hinc Scriptura reos admiſſi ſceleris eſſe definit qui Chriſti fidem extinguere, & fideles omnes perimere nitebantur, etſi certò illi crederent ſe ritè operari. Deoque placere, *ut omnis, qui interficeret illos, arbitraretur obſequium ſe præſtare Deo* [a]; *quod* Apoſtolus exemplo proprio confirmat, qui ſe *indignum eſſe* fatetur *vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus erat Eccleſiam Dei* [b], etſi id vehementi Judaicæ legis amore, patriæque conſuetudinis zelo, ex erroneâ nimirum conſcientiâ, præſtitiſſet; quemadmodum etiam clementiſſimus generis humani Redemptor jam moriturus a Patre veniam ſceleſtiſſimis viris exoravit, qui illum morti addixerant, quamvis illos id errore, vel ignorantiâ feciſſe fateatur; ſiquidem error ille culpabilis fuerat, ideoque immane Deicidii ſcelus minuere, vel elevare non poterat.

VIII. Mitiùs verò de conſcientiâ ſcrupoloſâ ſen-

(a) *Joan. c. 16. ver. 2.* (b) *Corinth. I. c. 15. ver. 9.*

ſentiendum eſt, de illo nimirum, qui leviſſimis rationibus, & conjecturis innixus aliquid vetitum, vel malum eſſe veretur, ideoque ſollicitè, & anxiè ab illo deflectit. Quamvis enim ſcrupulus plerumque ex errore, vel ignorantiâ oriri ſoleat, cum animus rite de operis bonitate, ſive malitiâ judicare non poteſt, ſcrupuloſa tamen conſcientia ab erroneâ diſtingui debet. Atque in primis hoc inſigne diſcrimen inter utramque reperitur, quod erronea conſcientia ex errore juris, & facti derivat; ſcrupuloſa verò ex ſolâ plerumque facti ignorantiâ dependet: unde doctiſſimos etiam viros, qui legum peritiâ, ac ingenio mirificè excellant, ceteriſque conſulere optimè noverint, ſcrupulis, & anxietatibus torqueri conſpicimus, quòd eadem conſilia ſibi ipſis exhibere non poſſint, quibus alios dirigere perfectè ſolent; ſe legibus illis teneri exiſtiment, a quibus alios ſolutos, & immunes eſſe cognoſcunt; ſe denique legem violare vereantur, quam ceteri ſanctiſſimè obſervent. Tanta ſimiliter in ipſis anxietas, & ægritudo eſſe ſolet, ut etiamſi doctiſſimi viri conſilium, vel auctoritas accedat, ſemper tamen diffidant, illi parere detrectent, illum decipi vereantur, ideoque animum aſſiduis veluti fluctibus æſtuantem experiantur; cumque ſe aliquando legem implere, animumque pacare poſſe arbitrentur, ubi conſilium illud elegerint, ex quo ſerenitas, atque tranquillitas oriri poſſe videbatur, novis tamen, & acrioribus ſtimulis, ac ambagibus irretiantur.

Qui denique conſcientiâ erroneâ operatur, de operis bonitate, ſive malitiâ ſolicitus eſſe non ſolet; ideoque legem inquirere, operis circumſtantias ſcrutari non curat, unde error il-

le culpabilis, ac vitioſus meritò exiſtimatur. Qui verò ſcrupulis torquetur, a peccato, ejuſque amore longiſſimè abhorret; cùmque ſingulas operis circumſtantias, legem, conſilia circumſpexerit, ſe tamen peccare, atque eodem animo, quo peccatum contemnere, & averſari conſtantiſſimè ſatagit, ſe peccatum ipſum inquirere, & amplecti formidat. Ex quo certè tanta perplexitas, perturbatio, ambiguitas, atque irrequieta æſtuantis animi ægritudo oriri ſolet, ut nihil gravius effingi poſſit, nihilque piis præſertim animis contingere, quod illos vehementiùs excruciare, vel dilaniare poſſe videatur: quod illi ſolum intelligere poſſunt, quos ſcrupulis, & anxietatibus ipſis aliquando torqueri, vel agitari contigerit.

IX. Exinde verò facilè apparet, quod ſcrupulos ejuſmodi expellere, ſcrupuloſam conſcientiam deponere, ſive contra illius conſilia operari debemus; & quemadmodum variis ex cauſſis anxietas, vel ſcrupulus oriri ſolet, ex ipsâ nimirum ſanguinis, vel corporis habitudine, quâ graves, ac moleſtas imagines verſare, vel ſubinde fovere ſolemus; ex acriori, ſubtiliorique mentis acumine, quo ſingula inquirimus, & evidentiam illam, ac certitudinem in moribus dirigendis acquiri poſſe putamus, quæ in cæteris ſcientiis haberi ſolet, ideoque tandiu ſoliciti ſumus, quamdiu ſplendor ille nobis affulgeat; denique ex juſtiſſimo, & occulto Dei conſilio, qui puriores etiam, ſanctiſſimoſque viros his doloribus, & anguſtiis premi permittit, ut uberiori deinde gloriâ exornentur, ita quoque contra ejuſmodi conſcientiam plurimùm juverit illa complecti, quæ animum exhilarent, atque a moleſtis illis imaginibus avocent; ſibi deinde

de perſuadere in moralibus humanam ſolùm, ac moralem certitudinem, qualis ex ſapientis, ac prudentis viri conſilio exoritur, ſufficere; in optimi denique, amantiſque patris clementiâ quieſcere, & confidere, cui tranquillo, hilari, ac ſeno animo ſervire jubemur. Nihil tamen efficaciùs ab hoc animi vitio, vel ægritudine liberare nos poterit, atque animi tranquillitatem reſtituere, quàm ſi gravis alicujus, prudentiſque viri conſilio innixi ſcrupulos contemnere, & contra illos operari nitamur; ſenſim nimirum illius ſcrupuloſæ conſcientiæ vanitas diſſipabitur, atque animo ſerenitas orietur.

X. Quod ſi ſepoſitis pravis affectibus, omnique perturbatione, vel ægritudine animus legem, & argumenta ſingula rite conſideret; atque ex utraque parte pares rationes inveniat, ut ex quâ parte bonitas reperiatur, definire non poſſit, ſed ambiguo quodam judicio inter utrumque pendere debeat, vel æquali pondere in utrumque inclinetur, ſimulque ab utroque recedat, in quo conſcientiam dubiam poſitam eſſe jam diximus, tunc operari non licet, niſi priùs ambiguitas illa, vel dubium deponatur. Si enim pares ex utrâque parte rationes appareant, neque cognoſci poſſit, an actus ille vetitus, vel licitus ſit, qui temere partem unam potiùs, quàm alteram amplecteretur, peccandi periculo ſe exponeret, dum illam fortaſſe potiùs eligeret, quæ legi contraria ſit, ideoque pravitatem aliquam conjunctam habet; is verò, qui temere, & inconſultò ſeſe peccandi periculo exponit, manifeſtiſſimè peccat cùm periculum ipſum, veluti peccati cauſſam liberè velit, ideòque etiam peccatum, quod ex periculo, veluti cauſsâ liberè volitâ ſequitur, amare, ſeu vel-

le meritò exiſtimetur. Hinc expreſsè docet Scriptura, quod *qui amat periculum peribit in illo* [a], ex quo D. Thomas optimè inferre potuit, quod *ſi ille, qui plures poſſidet præbendas, in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat* [b]. Ubi itaque in eligendis, vel exerendis actibus animum noſtrum ſic ancipitem eſſe contigerit, ut facilè definiri non poſſit, utrum actus aliquis licitus, vel illicitus ſit, actum omnem ſuſpendere ille debet, nihilque temere definire, donec alterutrâ ex parte nova ratio, vel authoritas accedat, quæ dubium illud, ac ancipitem animi ſententiam in partem unam inflectat. Quod fieri certè facilè poterit, ſi res iterum accuratiùs perpendatur; ſemper enim, aut ex novæ rationis ſuffragio, aut ex prudentis viri conſilio novus veritatis ſplendor, novumque robur accedet, quo ambiguitas illa dirimatur, & animus in unam potiùs, quàm alteram partem inclinetur.

XI. Quod ſi adhibitâ quoque novâ diligentiâ dubius adhuc animus perſeveret, neque ab opere deſiſtere liceat, ſed temporis anguſtiâ, rerumque conditionibus alterutrum eligere quis compellatur, communis illa regula adhiberi debet, quod ſemper *in dubiis tutior pars eſt eligenda*, illa nimirum, quæ a peccati periculo remotior eſſe conſpicitur. Illa verò ſecurior, atque a periculo peccandi remotior cenſeri debet, non quæ libertati faveat, vel hominis deſiderio cohæreat, ſed illa potiùs, quæ Legis dignitati conſulere videatur. Nec immeritò quidem

(a) *Eccl. 3. v. 27.* (b) *D. Th. quodl. 8. art. 3.*

dem Legi potiùs, quàm libertati conſulere debemus; nimirum ubi vel Legem violare, vel arbitrii vim, libertatemque coercere quis debeat, legem potiùs incolumem ſervare, quàm libertatem ſequi tenetur. Communis enim, atque certiſſima naturæ Lex eſſe debet, quod *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis* *; ideoque dum alterâ ex parte lex reperitur, quæ actum illum exeri vetat; ex alterâ verò libertas, quæ in utramque partem inflecti, & actum illum exerere poteſt, atque ambigimus utrum in tali caſu legis autoritas ceſſet, ſeu violari illa poſſit, Legi potiùs conſulere debemus, cujus poſſeſſio, & autoritas certa eſt; quàm arbitrii libertati favere, quam adhuc dubiam, ambiguam, & incertam eſſe conſpicimus. Hinc meritò a Patribus, atque Conciliis erudimur, quod *in his, quæ ſalutem animæ reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ pars ſecurior eſt tenenda* [a]; quod *in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus* [b]; quod *in his rebus, in quibus nihil certi poſſumus invenire, nihil certum voluntas noſtra definiat, ſed pendeat inter utrumque* [c]; quod denique *graviter quis peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo quod certis incerta præponeret* [d]; quod innumeris aliis authoritatibus confirmari facilè poſſet, niſi perſpicuitas ipſa, & conſtans Philoſophorum omnium, ac Theologorum conſenſus id manifeſtiſſimè oſtenderet.

XII.

(a) *Conc. Vien. c. exivit de verb. ſignif.* (b) *Cap. juvenis de ſponſal.* (c) *D. Bernar. de volunt. noſtra ſub. divina.* (d) *Aug. lib. I. de Bapt. c. 3.*

* In pari cauſſa poſſeſſor potior haberi debet, *Dig. lib. I. Tit. 17. de div. reg. Juris 128.*

XII. Utinam verò, quemadmodum Theologi in explicandis conſcientiæ dubiæ legibus maximè conſpirant, ita quoque in definiendis probabilis conſcientiæ legibus convenirent, atque accuratè nobis exponerent quantum ejuſmodi probabilis conſcientiæ vis, & autoritas extendi debeat! Si enim illi ſepoſito partium ſtudio, ſolo honeſtatis amore puriora Moralis principia, ipſumque rationis lumen hac in parte ſequuti certiſſimis etiam Patrum veſtigiis inſtitiſſent, incredibilis illa opinionum varietas, quæ leges omnes divinas, ac humanas eludere, vel extinguere prorſus conſpicitur, eximiam hanc diſciplinam miſerrimè non deturpaſſet, nec humanos animos in libertatem, voluptatemque proclives mirificè non infeciſſet. Ut itaque celeberrima hæc quæſtio, ſive ſententia, ex quâ veluti ex uberrimo fonte errores plurimi derivarunt, atque in dies incredibili animorum pernicie ſerpere conſpiciuntur, meliori quo poterit ordine dirimatur, juverit opiniones ipſas accuratè exponere, quæ apud Philoſophos, atque Theologos circumferentur; deinde verò meliorem, certioremque ſententiam ita defendere, ut certa, atque tutiſſima morum regula in eliciendis humanis actibus, ſive opinionibus ſeligendis demonſtretur.

XIII. Illud itaque initio ſupponi debet, quod duplex probabilitatis cauſſa, & origo, ſive probabilitas ipſa diſtingui ſolet, *intrinſeca* nimirum, atque *extrinſeca*. Intrinſeca dicitur illa, quæ ex rationibus ipſis deducitur, quibus animus in ſententiam illam, quam probabilibus rationibus fulciri viderit, intrinſecè inclinat. Extrinſeca verò vocatur illa, quæ ex ſapientum hominum autoritate, ſive judicio deducitur

tur, qui ſententiam illam ſuffragio, vel exemplo ſuo confirmarunt. Hinc opinio quædam probabilis eſſe, vel dici poterit, cui ex alterutro principio, intrinſeco nimirum, vel extrinſeco, vis, & robur accedat; ut ſi proinde ſententia aliqua probabili, licet unicâ, ratione fulciatur, etſi nuperrimè inventa ſit, probabilis tamen cenſeri debeat; ſicuti, ſi a gravi, ſapientique viro, nullâ etiam additâ ratione, doceatur, hoc illuſtri probabilitatis nomine donetur; opinio denique magis, vel minùs probabilis haberi poterit, ſi alterutro ex fonte major in ipsâ probabilitas reperiatur, ſi nimirum pluribus rationibus innitatur, aut ſi a pluribus Theologis doceatur; unde ſententia quædam *minùs probabilis*, vel *probabilior*, atque etiam *probabiliſſima* vocari ſolet.

XIV. His ita conſtitutis, inquiri ſolet, utrum in exerendis humanis actibus conſcientiam probabilem ſequi poſſimus, vel opinionem illam amplecti, quæ probabilibus ſolùm, non verò certis, ac evidentibus rationibus innitatur? Plures enim exiſtimarunt hominem operari non poſſe, niſi priùs certò, ac evidenter operis bonitatem, ſive malitiam cognoverit; ideoque niſi certis, ac evidentibus argumentis in unam potiùs, quàm alteram partem inclinetur, ut nulla proinde formido, vel ambiguitas ſuperſit.

XV. Sed hæc opinio veluti abſurda facilè refelli poteſt. Quemadmodum enim pluribus in locis oſtendimus, ea eſt humanæ mentis conditio, ut ſive legem ipſam, ſive circumſtantias conſideres, de operis bonitate, ſive malitiâ certò, ac infallibiliter judicare non poſſit; ideoque rarò admodum certis, ac evidentibus rationibus ad alterutram partem inclinetur; &

ſicuti

ſicuti aliquando fieri poſſe jam diximus; ut lex ipſa errore invincibili, vel inculpabili ignoretur, ita quoque faciliùs continget, ut lex ipſa probabilibus ſolùm conjecturis cognoſcatur.

Sed etiamſi lex ipſa nitidè, certiſſimèque cognoſci poſſit, quis apertè non videat ex variâ temporis, loci, perſonarum conditione, vel circumſtantiâ, ſæpiſſime dubitari utrum lex illa perſonam, & caſum ejuſmodi complectatur; utrum in hac ipsâ peculiari temporis conditione legis autoritas admitti debeat; utrum denique actus ille legi contrarius, pravuſque ſit, an verò potiùs legi cohæreat, ideoque licitus cenſeri debeat?

XVI. Quod ſi de operis bonitate, ſive malitiâ cognitio certa haberi vix poteſt, ideoque rariſſimè in eligendis actibus conſcientiâ certâ dirigimur, ſæpiſſime verò, ac ferè ſemper probabilibus ſolùm rationibus, & conjecturis innitimur, manifeſtè apparet, quod aliquando conſcientiam probabilem veluti ducem ſequi poſſimus; ut actus ille, qui non certò, ſed probabiliter ſolùm bonus exiſtimetur, eligi poſſit; actus ille, qui probabiliter malus appareat, omitti debeat. Hinc Theologorum illorum ſententia, qui ſolo certitudinis, vel ſcientię lumine dirigi nos poſſe putarunt, atque aſſerere non dubitabant *non licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*, ab Alexandro VIII. Romano Pontifice meritò proſcripta fuit; quippe quæ rigidior, atque ſeverior videretur, ideoque humanis animis laqueos iniiceret. Sed hæc ſententia, quæ legum dignitati conſulere, ac effrænem libertatis, ac voluptatis licentiam nimiùm temperare videbatur, paucos admodum aſſertores habere conſpicitur; altera verò, quam

mox

mox exponendam ſuſcipimus, quæ legem extinguere, omnemque voluptati licentiam tribuere non immeritò exiſtimatur, innumeros abripuit, qui in aſſerendâ illâ vires omnes, ac ingenii robur contulerunt.

XVII. Quæritur itaque an ex duabus ſententiis, & opinionibus, quæ inæqualiter probabiles ſint, altera nimirum probabilior, altera verò minùs probabilis cognoſcatur, relictâ probabiliori, minùs probabilem amplecti liceat; an verò potiùs eligenda, vel amplectenda ſit illa, quæ probabilior ſit, pluribus nimirum, gravioribuſque rationibus, & auctoritatibus innitatur, relictâ minùs probabili, quæ paucioribus, ſive levioribus argumentis innixa a paucioribus etiam, minùſque gravibus Theologis doceatur?

XVIII. Theologi, qui ſuperiori ſæculo *probabilitatis*, ſive *probabiliſmi* doctrinam in maximum Moralis diſciplinæ, Chriſtianæque Religionis dedecus, & animorum perniciem invexere, id fieri licere arbitrantur; poſſe nimirum ſententiam minùs probabilem in concurſu probabilioris eligi; cùm tamen prima, atque integerrima Chriſtianæ diſciplinæ lumina, ex perpetuâ Patrum, Conciliorum, Pontificum, ac Theologorum omnium doctrinâ, oppoſitam ſententiam pluribus autoritatibus, atque rationibus ipſis clariſſimè tueantur, quarum aliquas nos ipſi quoque breviſſimè nunc complectemur.

1. Atque illud in primis afferri poteſt, quod flexibilis arbitrii libertas, & voluntas ipſa, quæ in homine reperitur, ita ab intellectûs lumine dirigi debet, ut ultimum judicium intellectûs ſequatur, quo de operis bonitate, ſive malitiâ judicetur; neque enim animus humano modo ope-

rari

rari videretur, ſi voluntas ab intellectu diſſideret, ſeu voluntatis amor, & electio ab intellectûs cognitione, ſive judicio deflecteret. Si itaque intellectus in opinionem illam innato veluti pondere inclinat, quæ probabilior ſit, in quâ nimirum uberior veritatis ſplendor effulgeat, voluntas etiam, ut humano, debitoque modo operetur, non poterit minùs probabilem ſententiam amplecti, ſeque in illam temere, & inconſultò proiicere; ſic enim a proximâ morum regulâ, a proprio duce, ab humano operandi modo, a lege, vel ordine conſtituto recederet.

2. Ac certè inter intellectum, ac voluntatem affinitas, proportio quædam, ac ſimilitudo eſſe debet, cùm intellectus ad verum, voluntas autem ad bonum, ac honeſtum naturâ propriâ dirigatur. Quemadmodum itaque intellectus pravè ageret, ſi ex duabus opinionibus illam amplecteretur, quam minùs probabilem, vel minùs veram eſſe cognoſcit, ita quoque voluntas pravè, ac impudenter operaretur, quæ ex duabus opinionibus ſibi propoſitis illam eligeret, quam minùs probabilem eſſe fatetur hoc maximo tamen diſcrimine quod error intellectûs nihil ad beatam vitam conferret; error autem voluntatis maximam perniciem, ac æternam quoque damnationem inferret: ſicuti præclarè Lactantius ait quod, *illis* ſpeculativis *poteſt venia concedi, quia ſive aliquid dicunt, nihil proſunt, ſi delirant, nihil nocent. Hìc verò nullus diſſidio, nullus errori eſt locus; unum ſentire omnes oportet, ipſamque Philoſophiam uno quaſi ore præcipere; quia ſi quid fuerit erratum, vita omnis evertitur* (a).

3. Dein-

(a) *Lact.* III. c. 7.

3. Deinde verò quis unquam exiſtimet illum tutò, ac prudenter operari, qui cum de graviſſimis rebus diſſeritur, unde æterna hominum ſalus, ſive æterna damnatio pendeat, non meliori, ac probabiliori modo operetur, illo nimirum, qui ſibi magis conveniens videatur; ſed illum eligat, qui tenui quacumque probabilitate fulciatur, tenuiſſimoque diſcrimine a ſententiâ falsâ, vel errore diſtinguatur? Certè qui in humanis actibus, ubi de caduco ſolùm, ac temporali bono diſſeritur, ex variis mediis, atque ſententiis, quæ ſibi proponuntur, deteriorem eligeret, veluti imprudens meritò reprehendi poſſet; quid itaque de hominibus illis videri debet, qui in graviſſimo, atque unico ſalutis æternæ diſcrimine non meliori, ſed deteriori conſilio innitantur? *

4. Quis unquam ubi de tuenda, vel recuperandâ corporis ſanitate diſſeritur, Medicum illum inquirat, quem minùs peritum, minori ſcientiâ, ingenio, autoritate præditum noverit, atque oblatis etiam ſibi medicis, quorum alios aliis peritiores, meliores, accuratioreſque eſſe noverit, peritiores, melioreſque contemnere, deteriores amplecti, illorumque, conſilio regi, vel curari maluerit; neque proinde maximam ſtupidi, ac impudentis hominis notam incurrat, quippe qui propriam ſalutem in diſcrimen adduxerit? Illum verò prudenter, ſapienter, ac tutò operari

---

* Si veſtimentum empturus unum giras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas, an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi ſincerè veritas Chriſti venundatur, & ubi corrupta; & veriorem eligere pluſquam veſtimentum? *Chryſoſt. Hom.* 44. *in Matth.*

rari poſſe putabimus, qui cum de rerum ſummâ, animi ægritudinibus, æternâ ſalute res eſt, ex variis Theologis, quos optimè animorum medicos dixeris, non meliores, gravioreſque, quique puriori animorum zelo puriora conſilia ſuggerant, ſed illos ipſos ſequatur, quos leviores, libertatis aſſertores, novitatum inventores eſſe cognoverit?

5. Quid verò quod Theologos ejuſmodi, ſive probabilitatis defenſores ſæpiſſime falſos, ſive deceptos eſſe cognoſcimus, ideoque ſemper ſuſpicari meritò poſſumus, an doctrina illa, quæ ab illis veluti probabilis traditur, abſolutè falſa, atque erronea ſit; ac rationes illæ, quæ ab illis ſubtiliter inventæ, ac veluti probabiles editæ ſunt, revera falſæ, atque improbabiles ſint: quemadmodum certè innumeras illorum ſententias, quæ ab ipſis probabiles, ideoque licitæ, ac tutæ dicebantur, ab Eccleſiâ veluti falſas, erroneas, pernicioſas proſcriptas eſſe dicemus? Quis itaque illos duces ſequi velit, quos ſæpiſſime erraſſe intelligat; aut ſolo probabilitatis lumine dirigi, ex quo errores plurimos, veluti ex infectâ radice, ac morum peſte prodiiſſe cognoſcat?

6. Itaque qui minùs probabilem ſententiam in concurſu probabilioris, ſolo libertatis, ac voluptatis amore, amplectatur, peccandi periculo ſe exponit, non modò quòd minùs probabilis ſententia, ſi cum probabiliori comparetur, veluti practicè improbabilis evadit, ſicuti opinio ſpeculativè minùs probabilis, ſi cum aliâ probabiliori conferatur, ſimpliciter improbabilis, vel abſolutè falſa ab intellectu reiicitur; verùm etiam quòd opiniones illæ, quæ minùs probabiles eſſe dicuntur, atque a Theologis defen-

defenduntur, ſive opiniones ipſas, illarumque probabilitatem intrinſecam; ſive Auctores, & extrinſecam probabilitatem conſideres, plerumque falſæ, temerariæ, ac perniciofæ eſſe ſolent; ut qui proinde illarum aliquam temerè, ac promiſcuè relictâ probabiliori ſequatur, illam ſe eligere intelligat, quam falſam, & abſurdam eſſe poſſe cognoſcit; ideoque ſe in peccandi periculum, ſive ſalutis diſcrimen adducat: & tantò quidem gravius, quantò gravior eſt lex illa, quam violare deſiderat, vel probabilior eſt illa ſententia, quam deſerere, vel minùs probabili poſthabere conſtituit.

7. Sin verò potiùs ſententiam, vel opinionem illam elegerit, quæ ſibi probabilior appareat, certiſſimus eſt ſe ab omni peccandi periculo longiſſimè abeſſe, cum manifeſtiſſimè intelligat ſententiam probabiliorem, veluti certam ducem ab Adverſariis ipſis haberi; ſimulque cognoſcat Theologos illos, qui ſententiam probabiliorem conſulere, proponere, & amplecti ſolent, ab erroribus diffidere; ac ſententias illas, quæ probabiliores fuerint, nunquam ab Eccleſiâ proſcriptas eſſe.

8. Quin etiam ſi Theologus, vel quicumque operatur, ex duabus opinionibus ſententiam illam elegerit, quæ in ſe non verè probabilior, ſed minùs probabilis, & aliquando etiam falſa, vel improbabilis ſit, ab omni tamen peccati labe immunis haberi debet, ac prudenter operatur, ſi illam elegerit, quæ, omnibus ritè, vel accuratè perpenſis, interim ſibi veriſimilior, vel probabilior appareat. Quum enim voluntas intellectûs cognitionem ſequi, atque ab illâ veluti proximâ morum regulâ dirigi debeat, ſi errore, vel ignorantiâ invincibili exiſtimet opinio-

nionem aliquam probabiliorem, ac veram eſſe, quæ tamen in ſe minùs probabilis, vel etiam falſa ſit, ab ejuſmodi tamen errore excuſatur; ideoque prudenter, ac optimè operatur ſi intellectûs judicium ſequatur, ut fuſiùs oſtendimus ubi de errore, vel ignorantiâ loqueremur. Ex quo clariſſimè apparet inſigne diſcrimen, quod inter Theologos illos reperitur, qui vel minùs probabilem, vel probabiliorem ſententiam elegerint: ille nimirum, qui ſententiam illam amplectatur, quæ ſibi probabilior appareat, etſi ſententia ipſa revera minùs probabilis, ac falſa foret, ab omni tamen peccandi periculo longiſſimè abeſſet; ille verò, qui ſententiæ potiùs adhæſerit, quam minùs probabilem eſſe exiſtimat, etſi illa probabilior fortaſſe, vel melior ſit, ſeipſum tamen peccandi periculo exponit.

9. Denique ſi communi ſententiâ ille, qui dubius ſit, pares nimirum ex utrâque parte rationes eſſe conſpiciat, ideoque utramque ſententiam æquè probabilem viderit, alterutram eligere ſinè peccato non poteſt, multò certè minùs ex duabus ſententiis, quæ inæqualiter probabiles fuerint, illa deſeri, quæ probabilior, illa autem eligi poterit, quæ minùs probabilis videatur. Quis enim exiſtimet, quod ille, qui pares ex utraque parte rationes, & argumenta conſiderat, ac definire non poteſt, quæ graviores, verioreſque ſint, operari, atque alterutram ex illis ſinè peccato amplecti non poſſit; illi verò, qui inæquales rationes inſpiciat, & opiniones inæqualiter probabiles eſſe cognoſcat, eam prudenter, liberè, ac impunè amplecti liceat, quæ minùs probabilis ſit, levioribuſque rationibus innitatur? quod ille, qui reli-

ctâ

ctâ opinione probabili alteram æquè probabilem eligit, peccandi periculum, ideoque peccatum ampleċtatur; ille verò, qui reliċtâ probabiliori, minùs probabili adhæret, nullo periculo, nulloque peccato ſe exponat? ille, qui in dubio verſatur, atque utramque ſententiam æquè probabilem videt, operari non poſſit, ſed debeat novas rationes, & autoritates inquirere; illi verò, qui temere, & inconſultò viderit ſententias eſſe inæqualiter probabiles, eam deſerere liceat, quæ probabilior appareat, atque illam ampleċti, quæ minùs probabilis ſit? ſententia denique, vel opinio illa, quæ, ſi cum alterâ comparetur, æquè probabilis ſit, prudenter eligi non poſſit; illa verò, quæ, ſi cum alterâ conferatur, minùs probabilis ſit, prudenter eligi, ac tutò defendi poſſit?

Quid unquam abſurdius, quid inveriſimilius, quid deterius effingi poteſt, quo non modò morum honeſtas violetur, atque graviſſimæ illæ Patrum, & Conciliorum autoritates ſuperiùs expoſitæ impudentiſſimè eludantur; ſed ipſum quoque rationis lumen, ac prima veluti moralis, ac honeſtatis principia turpiſſimè convellantur? Ex admirabili nimirum, ac novâ Theologorum iſtorum ſententiâ, ubi aliquis oppoſitas ſententias æquè probabiles viderit, ideoque alterutram eligere ſinè peccato non poteſt, debet alterutram ex illis extenuare, debiliorem, deterioremque reddere, ut illam deinde liberè, ac tutò ampleċtatur; atque ob hoc ipſum eam licitè ampleċti poterit, quòd illa ſibi nunc deterior appareat; cum antea ideo ampleċti non poſſet, quòd æquè probabilis, æquè a peccato remota videretur: quemadmodum, ut ſententiam aliquam, quæ legi conformis videba-

tur, deſerere poſſit, nihil aliud requiritur, niſi, ut illam legi magis conformem, ſive probabiliorem cognoſcat: tunc nimirum faciliùs, prudenter, ac impuniùs legem violare poterit, cum illam novis, & gravioribus rationibus aſſeri, vel confirmari jam viderit? Quis unquam, non ex iis dicam, quibus divinum fidei lumen affulſit, ſed ex Ethnicis quoque, qui ſolo rationis lumine de honeſtate diſſererent, portenta ejuſmodi ferre unquam poſſit?

XIX. Hinc mirari certè non poſſumus, ſi ex ejuſmodi principio, vel Probabilitatis doctrinâ, veluti infectâ radice, tot errores eruperint, quibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſanctitas vitiata, puriora Moralis doctrinæ capita funditus everſa, omnia denique naturalia, humana, ac divina jura miſerrimè violata conſpicimus. Quum enim plures extiterint liberioris ingenii viri, in quibus aut doctrinæ ſplendor, aut morum integritas optari poterat, qui incredibili ferè licentiâ de morum doctrinâ, vel ut inquiunt, Morali Theologiâ volumina conſcripſere, & opiniones aliquas mirificè a veritate diſſidentes ſerere non erubuerunt, nihil ferè divino, aut humano jure præceptum offendi poterit, nulla in moralibus controverſia excitari, in quâ oppoſitæ Theologorum ſententiæ non reperiantur, quarum altera honeſtatem, legiſque ſanctitatem tueatur; altera libertati conſulere, ideoque legis vim elevare non videatur. Si itaque ex propoſitis opinionibus illam deſerere liceat, quæ legi conformior, ac probabilior ſit, atque illam complecti, quæ minùs tuta, minùs probabilis, minùſque legi conveniens videatur, quis apertè non videat, omnium ferè præceptorum vim, & omne robur eludi, & in quocum-

cumque, licèt graviſſimo, divini juris, ac Moralis capite legem impunè violari poſſe, dum unius ſolùm Scriptoris autoritas, incredibiles illæ ſubtilitates, effugia, & cavilli, quos illi accuratiſſimè excogitarunt, libertati favere, omnemque licentiam tribuere exiſtimantur? Si prudenter ille, ac tutò operatur, qui probabili opinioni innititur, atque ut opinio quædam probabilis ſit, nihil aliud requiritur, niſi ut ab aliquo Auctore tradita ſit, etſi illam nullâ ratione, ſed ſolo nomine ſive ſuffragio confirmaverit, quis non intelligat, nihil eſſe tam abſurdum, ac impium, divinis omnibus, humaniſque legibus contrarium, quod prudenter, ac impunè fieri non liceat; cùm ſemper Theologus aliquis afferri poſſit, qui tenuiſſimâ ratione, vel conjecturâ; ac ſi conjectura quoque, vel ratio non afferatur, nomine ſolùm, vel auctoritate ſuâ opinionem illam probabilem, ideòque tutam reddiderit?

XX. Atque illud certè incredibile videretur, niſi hæc pernicioſa doctrinæ ſemina, & fructus ipſi, qui ex pravis ejuſmodi ſeminibus uberrimè prodierunt, in voluminibus illis, quæ ipſi non ſinè maximo Chriſtianæ Moralis dedecore conſcripſere, clariſſimè, & frequentiſſimè legerentur; niſi hæc eadem incautis hominibus, qui ſolo libertatis, & voluptatis amore, peccandi licentiam ab Auctoribus illis inquirunt, ſæpiſſime obtruderentur.

Si enim a ſacris Literis eruditus *Deum in toto corde tuo, in totâ animâ tuâ, & totâ mente tua diligendum eſſe* (a) intelligas, atque a Doctoribus illis, qui prima Moralis diſciplinæ lumina,

(a) *Matth. c. 22. v. 37.*

mina, legis Interpretes, animorum duces haberi voluerunt, inquiras, quo tempore, vel quàm frequenter amare debeas, reſpondebunt quod *homo non tenetur unquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris, fidei, ſpei ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Si divinâ Redemptoris voce nitidè, vel expreſsè dictum legeris *qui non crediderit, & baptizatus fuerit, condemnabitur (a)*, aderit benignus legis interpres, qui Chriſti legem mitiùs exponat, & conſtanter aſſerat *infidelem, cui proponitur noſtra fides ut magis credibilis, dum ejus ſecta probabiliter adhuc credibilis appareat, non teneri ad recipiendam noſtram fidem, extra mortis articulum*; cùmque *mortis articulus haud novam regolam operationum inducat moralium*, alius *conſequenter aſſeret infidelem illum nec in mortis articulo obligari ad credendum.*

Si Eccleſiæ præcepto teneris ſemel in anno menſæ cæleſti accumbere, & diebus feſtis ſacro intereſſe, mitiùs hæc præcepta nuperus Theologus exponet, ut *communione ſacrilegâ præcepto ſatisfacias;* ſimulque doceat *poſſe quempartem Miſſæ ab uno, partem ab alio Sacerdote audire, immo poſſe priùs partem Miſſæ poſteriorem audiri, & poſtea priorem: licere ſimul, & eodem tempore dimidiatas Miſſas audire quando ex duobus Sacerdotibus unus Miſſam inchoaret, alter conſecrationi operam daret, quia Eccleſia tantùm præcipit ut Miſſa audiatur, duæ autem medietates unam Miſſam componunt:* quod de *quatuor* etiam partibus intelligi poſſe arbitrantur.

Si falſum dicere, fallere, decipere, ac impunè mentiri velis, Theologos ejuſmodi conſulas,

---

(a) *Marc. c. 16. v. 16.*

las, qui mirâ ſubtilitate varias æquivocationis, & reſtrictionis mentalis artes exponent, quibus fæliciter utaris; *ut ſi vel ſolus, vel coram aliis ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſſa, ſive quocumque alio fine jures te non feciſſe aliquid, quod revera feciſti, intelligendo intra te aliquid aliud, quod non feciſti, vel aliam viam ab eâ, in quâ feciſti, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentiris, nec es perjurus;* ſicut jurando *non eſſet pluſquam veniale mendacium dicere* uro *ablatâ* j, *cùm verè nil urat; ſive licebit reo non juridicè interrogato reſpondere ſe non occidiſſe Petrum, intelligendo alium ejuſdem nominis, vel etiam eundemmet, intelligendo antequam naſceretur.*

Si calumniari velis, aderit qui prudenter aſſerat quod *calumniam calumniâ repellere non eſt peccatum contra juſtitiam, ſed ſolùm peccatum veniale contra veritatem*, quod æquivocatione, vel reſtrictione mentali facilè diluatur; quin etiam quod *eſt probabile non peccare mortaliter qui imponit falſum teſtimonium alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat: quia illud eſt probabile, quod aſſeritur a viris doctis, probiſque, & hac doctrina habet pro ſe 20. aut plures viros magnos, & doctos, qui ſi dicantur non ſufficere, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia;* quod, *ſi alio modo te ab injuſto teſte tueri nequeas, licitè illi falſa crimina potes obiicere quanta ſufficiant ad tuam juſtitiam defendendam: probabile enim eſt ſi id facias non peccare contra juſtitiam, unde nec obligari ad reſtitutionem;* quod denique *id poteſt fieri licitè ſinè ullâ culpâ, & ſi ſolum eſſet mendacium ſinè juramento, non eſſet mortale; etiam accedente juramento poteſt adhiberi æquivocatio, & ſic vitari perjurium, ſive mendacium.*

Si Chriſtus in Evangelio præcipit *quod ſupereſt, date eleemoſinam* (a), aderit Theologus, qui *vix in ſæcularibus inveniat, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatûs*, ideoque legem hanc inutilem, & abſurdam eſſe definiat.

Si Redemptor ipſe graviter admonet *attendite ne corda veſtra graventur crapulâ, & ebrietate* (b), eximiam hanc temperantiæ legem abrogabit Theologus aſſerens quod *comedere, & bibere uſque ad ſatietatem abſque neceſſitate modò non obſit valetudini, non eſt peccatum*; vel *veniale tantùm eſt ſi abſque utilitate ſe quis cibo, & potu uſque ad vomitum ingurgitet, niſi ex hujuſmodi vomitione gravia ſalutis incommoda exoriantur; idque etiamſi quis vomat ut iterato poſſit bibere*: ac ne rationem quoque deſideres, hanc præclaram adjunget, quam impurioribus aliis voluptatibus aptare facilè poſſis, *quia* nimirum *licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*.

Si celebre Redemptoris præceptum, quo inimicos diligere jubemur, durius, atque difficile videatur, aderit qui præcepto deroget, ac ultionem licitam, ac neceſſariam eſſe definiat probabiliter, & prudenter aſſerens, quod *ille, qui colaphum accepit, poteſt ſtatim repercutere etiam cum gladio, non ad ſumendam vindictam, ſed ad vitandam infamiam, & ignominiam, ne videatur gallina non vir; eſt enim in praxi probabilis, & tuta opinio* quod *licet poſt impactam alapam percutientem inſequi, & interimere, quia alapâ percuſſus cenſetur tandiu honore privatus quandiu adverſarium non interimit*.

Si divino, ac naturali jure homicidium vetari videas, ne tamen exiſtimes alteri mortem optari,

(a) *Luc.* 11. 41. (b) *Luc.* 21. 34.

ri, vel inferri non poſſe: ſiquidem *potes hoſti tibi alioqui valde nocituro mortem exoptare non odio, ſed ad vitandum damnum tuum*: ſicuti non peccas ſi *abſolutè deſideres in hunc modum, cupio mortem Patris, non ut malum patris eſt, ſed ut bonum meum;* quemadmodum mater filiarum mortem optare poteſt, *quòd ob deformitatem, aut inopiam nequeat juxta animi ſui deſiderium eas nuptui tradere*. Neque optare ſolùm, ſed etiam mortem facilè inferre poteris; plures enim exiſtimant *licitum eſſe calumniatorem gravia crimina de ſe, vel ſuâ Religione ſpargere minitantem occidere;* violatam virginem perimere ne id quoque minitari poſſit; licitum denique *in tutelam ſuarum facultatum, unius aurei, vel minoris adhuc valoris*, aut *pro pomo* furem, vel invaſorem occidere.

Si veras æquitatis, atque juſtitiæ leges in ferendis judiciis deſideres, Theologos illos conſulas, omnemque ſcrupulum adiment, docebuntque *judicem in ſententiis ferendis opinionem minùs probabilem relictâ opinione probabiliori ſequi poſſe, immo contra propriam opinionem;* illum, *qui bonis cedat, tutâ conſcientiâ poſſe ſibi, & familia ſua, ne indecorè vivat, neceſſaria retinere, licèt debita, pro quibus cedit, ſint ex injuſtitiâ, & notorio delicto contracta; licere ei, qui paratus eſt furari a paupere, perſuaderi ut furetur a divite tali determinatè: non eſſe* denique *in conſcientiâ furem, nec peccare, qui per occultam acceptionem compenſat id, quod ſibi debetur, & poſſe jurare etiam coram judice ſe nihil accepiſſe, intelligendo quod ſibi non debeatur*.

Si denique in rebus aliis erudiri velis, in quibus effrænis hominum cupiditas, & corporeæ voluptatis ardor liberrimè exſpatiatur, non mo-

modò ſingula, & minutiora quælibet accuratiſſimè exponent, ac longâ de his oratione diſſerent, a quibus honeſtas, ac pudor ingenuas aures, & oculos deterrere debet; ſed faciles etiam, ac benignos aſſertores invenies, qui divinas, humanaſque leges mitiori, ac benignori ſenſu inflectentes ab ejuſmodi flagitiis, ac libidinibus omnem ferè peccati labem abſtergant, parumque abſint, ut illa non modò licita, ſed debita quoque eſſe velint, ut nempe *appetitus naturalis ſuis actibus licitè fruatur.*

XXI. Ubi verò probabilibus ejuſmodi rationibus innixus, atque eximiâ graviſſimorum hominum auctoritate confirmatus ejuſmodi actus prudenter admiſeris, nulla tibi ſeveritas timenda erit; nec dubitare unquam poteris, quin tibi divinâ Sacerdotis poteſtate ſcelerum abſolutio concedatur. *Si* enim *rectam habeas intentionem probabilem opinionem acquirendi, quæ tibi faveat, animoque afficiaris nihil agendi probabili conſcientiæ contrarium, licitè quidem potes varios adire conſiliarios donec invenias qui reſpondeat ad libitum; quin etiam, quando pœnitentis opinio eſt probabilis, abſolvi a Sacerdote debet, etſi ſecus opinante quàm ille ſentiat;* ſiquidem *negare abſolutionem operanti ex opinione probabili culpa eſt ex genere ſuo mortalis; & ſi pœnitens probabiliter credat Confeſſarium non impenſurum abſolutionem ſi fateretur conſuetudinem peccandi, poteſt æquivocatione utendo negare conſuetudinem, ut fiat ſenſus conſuetudine peccandi careo, non abſolutè, ſed ad confitendum tibi de præſenti: idem dicendum eſt de occaſione proxima, inevitabili tamen ſinè magno incommodo, & ſcandalo;* quinetiam *licebit quærere occaſionem peccandi primò, & perſe ob bonum ſpirituale, vel tempora-*

porale, vel noſtrum, vel proximi. Et ſi diligentiùs inquiras quodnam incomodum magnum, vel temporale bonum cenſeri debeat, id expreſſiùs exemplo exponent, quod ex. gr. *ſi concubina nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, cum deficiente illâ nimis ægrè ageret vitam, eiicere illam non erit concubinarius obligandus.* Verùm quid hæc uberiùs proſequamur? integra illorum volumina exſcribenda forent, ſi errores omnes exponere mens foret, qui ex virulentâ Probabilitatis doctrinâ uberrimè prodierunt. Nos verò tantum abeſt, ut ſingula complecti velimus, ut ab exprimendis etiam Auctorum nominibus plerumque abſtinendum eſſe duxerimus, ne Auctoribus potiùs, quàm illorum ſententiæ invidiam, aut dedecus aliquod conciliare videremur; cùm præſertim illa in pluribus, graviſſimiſque Scriptoribus, quos hac in parte ſequuti ſumus, nitidè, ac ſincerè expoſita deprehendi poſſint. Hæc itaque solùm delibaſſe ſufficiat, ut quiſque intelligeret, quò Recentiorum illorum benignitas dirigatur: quæ morum honeſtas in ejuſmodi ſententiâ habeatur, in quâ calumniæ, ingluvies, furtum, homicidia, fraudes, mendacia, ultiones, libidines, ac omnia ſcelera patrocinium, doctores, & aſſertores invenerunt; quæ denique legum dignitas dum divina, ac humana jura cavillis, ac interpretationibus eluduntur, ut facilè, prudenter, ac impunè violari deinde poſſit.

XXII. Quod ſi Romani Pontificis auctoritate, certiſſimoque Theologorum, Academiarum, Conciliorum judicio plurimæ propoſitiones ab Auctoribus ejuſmodi traditæ, veluti pernicioſæ, omnique honeſtatis, ac pietatis lumini contrariæ proſcriptæ, ſive damnatæ ſunt, plurimi

tamen

tamen inutiliter damnatas eſſe non immeritò queruntur. Primòſiquidem ex eodem illo principio, quo ille eruperant, opiniones aliæ in dies oriri poterunt; & quemadmodum ab Auctoribus illis gravibus, prudentibus, religioſis opiniones illæ traditæ, & probabili ratione, vel ſolâ auctoritate confirmatæ ſunt, ita a gravibus aliis ejuſdem ſententiæ, vel ſectæ viris opiniones aliæ procudi, pari ratione, vel auctoritate probari poterunt; ideoque quamdiu ab Apoſtolicâ Sede perniciosum illud principium, ſive Probabilitatis doctrina expreſſiùs damnata, evulſa, penituſque extirpata non fuerit, quod bonorum omnium votis optari conſpicimus, ſemper eadem opinionum portenta, Moralis perverſitas, morumque peſtis exſpatiabitur.

Deinde verò tanta in pleriſque temeritas, ac pervicacia jam fuit, ut etiamſi opiniones illæ a Conciliis, a Romano Pontifice, a Theologis omnibus damnatæ ſint, tutò tamen, ac prudenter illas defendi, vel adhiberi poſſe arbitrarentur *. Cùm enim Theologorum omnium, Concilii, Eccleſiæ, Pontificis autoritas, ſive ſententia efficere non poſſit, ut opinio illa, quæ probabilis eſt, ab aliquibus nimirum docetur, re-

* Finge quemcumque caſum præter definitionem Eccleſiæ: congregentur univerſi Europæi, docti, indocti, magni, parvi, non tamen poterunt facere, aut definire viginti non eſſe viginti, & proinde eam ſententiam improbabilem facere, cui viginti Auctores ſubſcribant. *Caram. Theol. fund. p. 89. & 393.*

Dixerit hoc Summus Pontifex tamquam caput Eccleſiæ. volo: at dixit tamen in ſphæra probabilitatis ſuæ... adhærendo opinioni affirmativæ, quam nos probabilem etiam exiſtimamus; ſed non exinde ſequitur negativam ſententiam carere probabilitate.
Diana par. V. Tract. 13. reſol. 65. & reſol. 39.

revera probabilis non ſit, nec etiam illud efficere poteſt, ut illa prudenter eligi, vel adhiberi non poſſit. Id conceptis verbis aſſeruit Caramuel, & Diana, qui tamen Eccleſiæ definitionem excepit, ut verbis luderet, atque incautis hanc religionis, & modeſtiæ ſpeciem obtruderet. Si enim Theologorum omnium conſenſus, atque ſententia efficere non poteſt, ut ſententia illa, quæ a pluribus defenditur a pluribus non defendatur, ideoque probabilis non ſit, nec etiam Eccleſia, & (quod ſinè ſummo ſcelere, ac impudentiâ dici non poteſt) nec etiam Deus ipſe efficere id poterit, ideoque ſententiam aliquam damnare, vel improbabilem, illicitam, dubiam efficere.

XXIII. Hinc mirari non ſubeſt, ſi in Auctoribus illis tantus Conciliorum, Pontificum, Patrumque contemptus ubique ſpiret, ut illorum decreta veluti inutilia, conſuetudine abrogata, ſeveriora, temporum conditioni diſſona liberrime traducant, illorumque vim prorſus evaneſcere arbitrentur, ubi alterâ ex parte probabilis Recentioris alicujus opinio oriatur *. Quo certè fieri oportuit, ut Recentiores illi impudentiſſimè glorientur, ut aliquid Patrum ætate, vel ſuperioribus ſæculis prohibitum, ac malum foret, quod nunc licitum ſit **; quòd nimirum tunc in fidelibus, ac Theologis omnibus una, eademque foret opi-

* In materia morum majoris faciendæ ſunt juniorum opiniones, quàm veterum. *Caram. n. 197.*
Doctrina morum, a Recentioribus ſumenda. *Cellot de Hier. l. VIII. c. 16. Reginal. epiſt. ad lect.*

** Dianæ induſtria multæ opiniones evaſerunt probabiles, quæ antea non erant . . . ſi jam ſunt probabiles, jam non peccant qui eas ſequuntur, licet ante peccaverint. *Caram. epiſt. ded. ad Dian.*

opinio a Patribus, atque Conciliis tradita, vel derivata: nunc verò novus Morali diſciplinæ ſplendor acceſſerit, atque ab aliquo Auctore oppoſita ſententia probabili ratione, proprioque nomine decorata ſit, ut exinde probabilis, ideoque licita, ac tuta foret.

XXIV. Quàm verò turpiter, atque mirificè hac in parte non a divino ſolùm fidei lumine, ſed ab ipſis etiam rationis principiis aberraverint, clariſſimè oſtendi poteſt non modò quòd actuum honeſtas invariabilis ſit, atque a ſolâ lege, ſive divinâ, ſive humanâ, non verò a privatâ, ac peculiari cujuslibet hominis opinione, vel interpretatione dependeat; verùm etiam quòd ſi privata alicujus hominis opinio ſententiam aliquam probabilem, & actum licitum efficere poſſet, hoc non ſolùm Theologorum noſtrorum ætate, qui *totam Moralem Theologiam novam eſſe* (a) gloriantur, ſed antiquiſſimis etiam, ac primis Eccleſiæ ſæculis fieri, vel obſervari potuiſſet. Quis enim ignoret temporibus omnibus aliquos extitiſſe, qui vel errore, vel opinandi, vel agendi licentiâ opiniones aliquas invexerint, quæ etſi a communibus receptiſque Eccleſiæ opinionibus diſſiderent, probabilibus tamen rationibus fulciri, variis etiam Scripturæ autoritatibus confirmari conſueverant?

Neque enim perditi, ſceleſtique viri, qui variis subinde temporibus legem violarunt, effrænes adeo, pervicaces, ac ſolo malitiæ, voluptatis, ac libidinis æſtu perciti, vel abrepti cenſeri poterunt, ut nullâ probabili ratione in eligendo ſcelere uterentur, nullo doctorum conſilio in ſuſcepto propoſito confirmati, nullis ami-

(a) *Caram. n.* 126.

amicorum, vel aſſentantium vocibus excitati forent; ſed facilè potiùs, certiſſimèque concedi poterit, ſemper illis probabilem aliquam rationem adfuiſſe, quâ ſceleris gravitatem minuerent: quemadmodum certè a ſacris Literis erudimur adfuiſſe Judeis ſapientes, graves, doctoſque viros, Theologos, ac Prophetas etiam, qui illos in errorem abducerent. Et ſanè miſerrima temporum illorum conditio fuiſſet, ac plumbea ferè ingeniorum conditio dicenda foret, ſi nulla ratio ſaltèm *probabiliter probabilis* illorum animis affulſiſſet, quâ probabiliter, prudenter, ideoque licitè legem violare, ac impunè peccare poſſent. Quod ſi revera ſceleſtiſſimis etiam viris, atque Prophetis illis probabilis quædam ratio, nec levior fortaſſe, vel minùs probabilis, quàm ſint illarum plurimæ, quæ a Theologis noſtris afferri ſolent, ut eadem ſcelera tueantur, affulſit, neque tamen efficere illa potuit, ut actus illi flagitioſi, & illiciti non forent, ideoque meritò Deus, qui probabili ratione non dirigitur, graviſſimas illis pœnas non infligeret, quis unquam putaverit, hanc veniam, autoritatemque nuperrimis Prophetis, atque Theologis concedi poſſe, ut opinionem aliquam probabilem, ideoque licitam efficiant? Si opiniones illæ, quæ nunc veluti probabiles defendi ſolent, quamvis ab antiquiſſimis etiam temporibus veluti probabiles haberi, variis rationibus, & exemplis confirmari conſueverint, ab omnibus tamen Eccleſiæ Patribus, melioriſque notæ Philoſophis veluti pernicioſæ, & abſurdæ proſcriptæ fuerunt, quis a fidelibus veluti ſinceras, ac honeſtas nunc admittendas eſſe crediderit? Si denique hæc ipſa Probabilitatis doctrina unà cum ingenito ſceleris, ac voluptatis amo-

amore ſemper in humanis animis veluti peccati germen erupit, atque nefarios homines ad peccandum admotâ veluti face vividiùs incendit, ut Auguſtini auctoritate mox demonſtrabitur, quis non intelligat illam prorſus immeritò veluti novam, a recentioribus Theologis fæliciter inventam exiſtimari. Itaque diſcrimen aliud afferri fortaſſe non poterit, niſi quod illa, cum olim a ſceleſtis solùm, perditis, ac nefariis hominibus, quos voluptatis ardor abripuit, exemplo potiùs, quàm literis doceretur; modò liberiùs a gravibus alioqui, ſapientibus, ac religioſis hominibus traditur, ac ſcriptis editis illuſtratur, veluti prudens, optima, ac honeſtiſſima mirificè commendatur: ex quo certè diſcrimine tantum abeſt, ut novæ ſententiæ dignitas, honeſtas, ac veritas concilietur; ut exinde potiùs veluti abſurda, atque ex omnium animis extirpanda manifeſtiſſimè demonſtretur.

XXV. Quæ cum ita ſint, facilè profectò refelli poterunt argumenta ſingula, vel potiùs effugia, quibus in aſſerendâ Probabilitatis doctrinâ nuperrimi Theologi abuti conſueverunt.

Itaque primò reponere ſolent ſe non quamcumque opinionem probabilem veluti licitam, ac tutam proponere, ſed illam ſolùm, quæ gravibus rationibus innitatur; quæ à gravi, prudenti, religioſo Theologo doceatur; quæ denique Scripturæ, Conciliis, ſive Pontificum decretis non adverſetur; ideoque mendaces, ac iniquos eſſe queruntur, qui Probabilitatis doctrinam coloribus aliis expreſſerint.

Sed primum hoc Adverſariorum effugium, quo leviores homines decipere plerumque ſolent, pluribus rationibus facilè revinci poterit.

Ac primò certum eſt a pleriſque Theologis

Pro-

Probabilitatis aſſertoribus conditiones illas minimè requiri, dum quamlibet opinionem probabilem, licitam, ac tutam eſſe definiunt, quæ ab aliquo Auctore doceatur, nullâ adhibitâ conditione, vel circumſtantiâ. Sic illorum plurimi expreſsè docent quod *probabilis ea opinio dicitur, qua rationibus innititur alicujus momenti; unde aliquando unus tantùm doctor gravis admodum opinionem probabilem poteſt efficere*; ideoque *dum probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ, quantumvis tenui, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*: unde conditiones alias, quas nullibi certè commemorant, ſatis excludunt. Quinetiam ut aliquis opinioni probabili adhæreat, ac tutò, & prudenter operetur, non requiritur, ut certò cognoſcat opinionem illam probabilem eſſe, ſed ſolùm ſufficit ut illa opinio *probabiliter probabilis* videatur.

Deinde verò, qui conditiones illas apponunt, nihilo meliorem Probabilitatis doctrinam efficiunt, ſed incautis ſolùm, atque imperitis ludificant, hanc illis honeſtatis ſpeciem obtrudunt, ut corruptæ Moralis diſciplinæ invidiam avertant. Quod ſi ſubtilitas illa, vel ſubdola verborum ambages attentiùs dirimatur, eadem ſemper pernicioſa doctrinæ facies, eadem opinionum portenta, eademque flagitiorum impunitas nitidiſſimè apparebit; tantòque periculoſior, quantò diligentiùs ſub ementitâ pietatis, ac honeſtatis imagine objecta fuerat.

Quos enim Auctores, atque Theologos eſſe putabimus, quos illi graves, prudentes, ac religioſos appellant, niſi illos ipſos, quos ipſi judicio, amore, ac ſuffragio ſuo comprobarunt; quos paſſim laudare, citare, exſcribere, atque in dirigendis moribus veluti duces, ac lumina com-

plecti ſolent; illos nimirum, qui morum doctrinam non ex Patribus, atque Conciliis, ſed ex Recentiorum libris eruendam eſſe definiunt; illos, qui ingenio, doctrinâ, atque autoritate propriâ effecerunt, ut quæ olim illicita, ſive peccata fuerant, jam licita ſint; illos denique, qui admirabiles illas, omnibuſque retro ſæculis inauditas opiniones graviter, prudenter, ſapientiſſimèque invexere, quarum aliquas paullo ſuperiùs expreſſimus, aliaſque innumeras a Romanis Pontificibus confixas conſpicimus?

Quas verò rationes graves ab illis appellari, ſive cenſeri putabimus, niſi illas ipſas, quas Auctores illi ſubtiliter adeo, ac ingenioſè excogitarunt; quas in illorum ſcriptis ſolâ opinandi licentiâ congeſtas conſpicimus; quas ingenuus, ac honeſtus quilibet non ſinè maximo certè pudore, verecundiâ, ac horrore legere poſſit, ut ſatis intelligi poterit ex illarum aliquibus, quas ſuperiori loco ſubjecimus?

Itaque ſi opiniones illas probabiles, ac licitas eſſe velint, quæ graves, honeſtæque ſint, quæ a gravibus, honeſtis, religioſiſque viris editæ, vel confirmatæ ſint, tota certè illorum ſententia, vel benignior illa morum doctrina refelli poterit cûm nulla in ſententiis gravitas, ac honeſtas appareat; nulla in Auctoribus prudentia, vel moderatio deprehendatur; ſed maxima potiùs laxitas, humanæ, divinæque legis eludendæ ſtudium, Patrum, Pontificum, Conciliorum contemptus, pernicioſa denique opinandi licentia ubique ſpiret, atque mirificè debacchetur.

XXVI. Sed etiamſi perhumaniter, ac liberaliter concedatur Auctores illos, illorumque ſententias graves eſſe, eadem tamen difficultas,

ſem-

ſemper ſupererit. Neque enim quæritur, utrum opinionem aliquam amplecti liceat, quæ gravis, atque probabilis ſit, quæ a gravibus, ac religioſis Auctoribus doceatur? Quis enim ignoret, id meritò, prudenter, ac tutò fieri poſſe, quemadmodum nos ipſi paullo ſuperiùs oſtendimus? Sed illud unum inquiritur, utrum opinionem illam amplecti liceat, ubi cum alterâ probabiliori comparetur; ubi nimirum opinio, quæ gravis, probabilis ſit, probabilibus, gravibus rationibus innitatur, atque a religioſis etiam gravibus Auctoribus defendatur, ſimul cum alterâ proponatur, quæ magis gravis, atque probabilis ſit, gravioribus, probabilioribuſque rationibus confirmetur, atque a gravioribus etiam viris defendatur, minùs gravis eligi, & probabilior deſeri poſſit?

XXVII. Mirificè quoque falluntur, aut fallere certè nos volunt dum ſe opiniones illas veluti probabiles defendere dicunt, quæ ſacris Literis, Conciliorum, atque Pontificum decretis non adverſentur. Plurimæ nimirum opiniones, quæ ab illis veluti probabiles defenduntur, ſacris Literis, divino, atque humano juri manifeſtiſſimè repugnant, ut paullo ſuperiùs oſtendimus. Deinde verò ex principiis Adverſariorum nulla opinio probabilis afferri, vel eſſe poteſt, quæ ſacris Literis opponatur, cùm nec ipſa quoque divina Scripturæ autoritas, Pontificum, vel Conciliorum decreta efficere poſſint, ut illa ſententia, quæ ab aliquo doceatur, ideoque probabilis ſit, revera probabilis eſſe non poſſit. Et certè ſi Adverſariis ipſis aliqua Scripturæ, vel Conciliorum autoritas opponatur, reponere illi ſolent repugnantiam illam apparentem, non veram eſſe; ipſamque mirâ

calliditate, vel ſubdolâ diſtinctione eludunt, ut facilè intelliget quicumque in exempla ſuperiùs allata oculos conjecerit. Quin etiam, licèt ipſi repugnantiam illam diluere non poſſint, Scripturæque auctoritas evidentiſſima videatur, adhuc tamen opinionem illam probabilem eſſe defendunt, idque unum requiri, ſive ſufficere exiſtimant, ut Auctores alii, ſive Theologi ſupponi, vel eſſe poſſint, qui repugnantiam illam dirimere noverint: quemadmodum *ſi tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium convincens videatur, non inde opinio probabilitatem ammittit; quia licèt tu illam non valeas ſolvere rationem, alius ſolvere quibit, idque tibi debes perſuadere.*

Poſtremò ſi solùm opiniones illæ probabiles dicerentur, quæ ſacris Literis, divinis, & humanis legibus cohærent, jam non probabiles ſolùm, & minùs probabiles, ſed potiùs probabiliores, gravioreſque illæ forent; ideoque Auctor ille non minùs probabilem, ſed probabiliorem amplecteretur, atque proponeret; unde tota Probabilitatis doctrina evaneſceret, hac etiam ex parte controverſiæ ſtatus inverteretur, atque admirabilis illa morum doctrina, quam recentiores Theologi novam, & a ſe inventam eſſe gloriantur, nihil a veteri, conſtanti, communique aliorum ſententiâ, ſive doctrinâ diſſideret.

XXVIII. Opponere deinde ſolent, quod ille, qui probabiliter operatur, prudenter, ac tutò operatur; ideoque qui probabili opinioni innititur, etſi probabiliorem deſerat, licitè operatur: unde celebre apud ipſos effatum illud, *qui probabiliter operatur, prudenter operatur.*

Sed celebris illa Probabiliſtarum regula, cui

tota illorum diſciplina innititur, & ex quâ veluti fonte errores omnes prodierunt, pluribus rationibus refelli facilè poterit.

Ac primò reponi poteſt, opinionem illam, quæ in ſe probabilis ſit, ubi cum alterâ magis probabili conferatur, veluti probabilem concipi, vel haberi non poſſe, ſed potiùs improbabilem fieri; ideoque illum, qui relictâ probabiliori minùs probabilem amplectatur, neque probabiliter, neque prudenter operari.

Deinde hæc ipſa Probabilitatis doctrina ab Academicis tradita, ac illuſtrata fuerat, ut Auguſtinus ipſe commemorat. Communis enim illorum ſententia fuit, *quod cum agit quiſque quod ſibi probabile videtur, non peccat, neque errat* (*a*); ideoque ſicuti hæc ipſa Academicorum doctrina ab Auguſtino, aliiſque Patribus veluti falſa, ac perniciosa rejecta fuit, ita quoque a Theologis omnibus meritò refelli debet.

Et certè ſi principium illud veluti prima morum, & agendi regula haberi poſſet, *id audiens adoleſcens inſidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ. Te te conſulo, M. Tulli, de adoleſcentium moribus, vitâque tractamus, cui educandæ, atque inſtituendæ omnes illæ literæ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quàm non tibi eſſe probabile, ut id faciat adoleſcens? At illi probabile eſt. Nam ſi ex alieno probabili vivimus, nec tu debuiſti adminiſtrare Rempublicam, quia Epicuro viſum eſt non eſſe faciendum... adulterabit igitur ille juvenis conjugem alienam... non enim faciendum eſſe adulterium pro vero ſibi perſuaſit, probabile ſibi occurrit, ſecutus eſt, fecit... libet dejerare per omne divinum neſcire me prorſus quomodo iſte*

(*a*) *Contra Acad.* III. c. 16.

iſte peccaverit, ſi quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat; niſi fortè in totum alind eſſe dicunt errare, aliud peccare, ſeque illis præſcriptis egiſſe ne erremus, peccare autem nihil magnum eſſe dixiſſe. Taceo de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibuſque omnino, quæ fieri, aut cogitari poſſunt, flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod eſt gravius, apud ſapientiſſimos judices defenduntur, quomodo autem non facerem, quod probabile viſum eſt? Qui autem non putant iſta probabiliter poſſe perſuaderi, legant orationem Catilinæ (a), *quâ patriæ parricidium, quo uno continentur omnia ſcelera, perſuaſit ... Illud* itaque *eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam viſum fuerit, eſſe faciendum, non ſolùm ſinè ſceleris, ſed etiam ſinè erroris vituperatione committatur*. Quo certè loco futuram Theologorum noſtrum indolem, atque licentiam expreſſiſſe videtur Auguſtinus. Si itaque ex principio illo abſurda plura deducuntur, omnis honeſtas, legum dignitas, atque authoritas minuitur, ſceleribus omnibus venia conceditur, manifeſtiſſimè inferri debet, principium illud abſurdum, ac falſum eſſe.

Tertiò reſponderi debet principium illud verum eſſe ſi unica ſolùm probabilis opinio proponatur, aut ex duabus probabilibus illâ, quæ magis probabilis ſit, eligatur; non verò ſi ex duabus opinionibus, quæ ſimul, eodemque tempore intellectui noſtro proponuntur, illa eligatur, quæ minùs probabilis ſit. Quemadmodum enim paullò ſuperiùs oſtendimus, tantum abeſt

(a) *Apud Saluſt. in Cati.*

abeſt ut ille, qui ex duabus ſententiis minùs probabilem eligit, prudenter operari poſſit, ut imprudenter potiùs operetur, atque ab ipſo rationis lumine, primiſque morum, ſive prudentiæ principiis mirificè abhorreat. Nec alia certè fuiſſe vidètur illorum opinio, qui fortaſſe in exerendis, vel dirigendis humanis actibus ſolam opinionem probabilem ſufficere exiſtimarunt. Cùm enim animadverterent, in morum doctrinâ rariſſimò certas, ac evidentiſſimas rationes intellectui noſtro affulgere, quibus ille certiſſimò dirigeretur; ut anxietates omnes deponeret, optimè docuerunt in moralibus ſolam opinionem probabilem, vel probabilitatem, quæ intellectui ſincerè, ac feriò cogitanti tandem affulſerit, ſufficere, ut nos ipſi num. XV. demonſtravimus: ſed nullibi certè docuerunt hanc opinionem ſufficere ubi altera æque probabilis proponatur: multòque minùs ubi altera probabilior appareat, ut nempe probabilior deſeri, minùſque probabilis eligi poſſit, ut ex illorum autoritatibus evidentiſſimè demonſtratur.

XXIX. Illud etiam obiicere plerique ſolent, quod ſi probabilior ſententia ſemper eligenda foret, nimis aſpera, ac inſuavis, ac ferè impoſſibilis videretur Chriſti lex, quæ tamen levis, ſuavis, & lex amoris vocatur: quemadmodum omnes a divitiis, ſæculi voluptatibus ſejungi deberent, atque in ſolitudines convolare, ut ibi probabiliùs, ac tutiùs æternæ ſaluti conſulerent.

Sed hoc ipſo loco perniciosam Probabilitatis indolem Adverſarii nobis oſtendunt. Quamvis enim Chriſti lex levis, ſuavis, & lex amoris in ſacris Literis appelletur, ſemper tamen lex, onus, & jugum eſſe debet; ut proinde

de meritò dixerit Chriſtus *arcta eſt via, quæ ducit ad vitam (a)*; at verò admirabilis illa Probabilitatis doctrina non modò divinam legem leviorem, ſuavioremque reddidit; ſed ipſam quoque ex hominum cordibus extinxit, effecitque ut illa prudenter, liberè, ac impunè violari poſſet: ideoque meritò ſuſpicari quis poterit Theologos illos, qui contra Chriſti monitum ſalutis æternæ viam planiorem, ſuavioremque efficiunt, *cæcos eſſe, & Duces cæcorum (b)*; illis propemodum ſimiles, *qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ carnis ad decipiendas animas (c)*; quos in Eccleſiâ futuros Paulus prædixerit: *erit enim tempus, inquit, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertantur (d), & falſo ſcientiæ nomine a corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ convertantur in vaniloquium (e)*.

Addi etiam poterit, quod tota levitas, ac ſuavitas divinæ legis non ex opinionum laxitate, vel pravis interpretationibus; ſed potiùs ex ſolâ charitate, ſive divinâ gratiâ oriri debet, quæ legem omnem leviſſimam, ac jucundiſſimam efficiat: unde optimè D. Auguſtinus dixit, *ut ſarcina ejus ſit tibi levis, & jugum ejus ſuave, amorem tibi inſpiravit Deus: amanti ſuave eſt, non amanti durum (f)*.

XXX. Quod verò deinde objecerant ex ſententiâ noſtrâ tutiores ſemper opiniones eligendas eſſe, facilè refelli poterit, ubi advertatur

(a) *Matth. c. 7. v. 14.* (b) *id c. 15. v. 14.* (c) *Ezech. c. 13. v. 18.* (d) *II. Tim. c. 4. v. 3.* (e) *I. Tim. c. 1.* (f) *De verb. Ap. ſerm. 12. c. 8.*

ſtatur non idem eſſe opinionem aliquam tutiorem, & probabiliorem eſſe, ſed potiùs tutiorem a probabiliori diſtingui, ut aliquando opinio quædam tutior quidem, atque ſecurior, non verò ſimul probabilior eſſe poſſit. Illa nimirum tutior vocatur, quæ magis a peccandi periculo recedit, legique ipſi preſſiùs, & accuratiùs adhæret: ut ſi quis in eleæmoſinam integram ſubſtantiam ſuam pauperibus eroget; dum ab iniquis hominibus fortunas, honorem, vitamque ſibi eripi videat, æquo animo id ferat, neque reſiſtere ſatagat; ubi peccatum admiſerit, repente Confeſſarium adeat, ut admiſſi ſceleris veniam obtineat, &c.

Probabilior verò ſententia dicitur illa, quæ circumſtantiis omnibus rite perpenſis magis rationi, atque præſertim Legislatoris intentioni conformior eſt. Sic in exemplis allatis probabilius eſt quod vi repellere vim liceat, fortunas, & honorem tueri, calumnias elidere, & agreſſorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, ſi aliter inſidiæ, vel mors ab illo intentata vitari non poſſit; ſive veriſimilius, & probabilius eſt Legislatoris mentem non fuiſſe, ut ipſa lex in ejuſmodi caſu, vel circumſtantiâ obligaret. Ex quo clariſſimè apparet tutius quidem aliquando fore ab exerendis actibus abſtinere; ſed tamen probabilius eſſe actus illos a lege non prohiberi, ideoque licitos eſſe: ſicuti aliquando tutius, ac perfectiùs erit aliquos actus exerere, aliquod vitæ genus amplecti; ſed tamen probabilius eſt actus illos, ſeu vitæ genus nullâ lege, ſive præcepto præſcribi; ideoque in liberâ prorſus hominis voluntate poſitum eſſe ut actus illos eligere, ſive deſerere, velit; ut illo potiùs, quàm altero vivendi genere

nere uti malit, cum illorum quodlibet perfectum, licitum, ac tutum ſit.

Hoc itaque inſigne diſcrimen inter opiniones illas, quæ tutæ, vel probabiles fuerint, reperitur, quod ſi intellectui duæ opiniones propoſitæ ſint, quarum utraque legi conformis, vel tuta ſit, alterutram eligere, vel amplecti licet, illam nimirum, quæ tuta ſimul, & probabilior ſit, etſi fortaſſe minùs tuta videatur; at ubi duæ opiniones inæqualiter probabiles offerantur, illa, quæ minùs probabilis eſt, tuta cenſeri non poterit, ideoque illa ſolùm eligi poteſt, quæ probabilior appareat, ut in exemplis ipſis, aliiſque rationibus ſuperiùs expoſitis clariſſimè demonſtratur.

XXXI. Opponere denique, vel gloriari ſubinde ſolent hanc Probabilitatis doctrinam ab innumeris, doctiſſimis, ſapientiſſimiſque viris probatam, ac illuſtratam eſſe; ideoque nonniſi temere reprehendi poſſe, cùm maximus illi ex doctiſſimorum hominum auctoritate ſplendor, & incredibile robur accedat.

Sed hoc argumenti genus fuſiùs refellere profectò dedecet. Id unum reponere juverit, quod immeritò prorſus illi veluti graviſſimi, doctiſſimi, ſapientiſſimi habentur, atque mirificè commendantur, qui pernicioſam hanc doctrinam, & opiniones illas ſuperiùs expoſitas, non ſinè maximo Theologiæ dedecore in æternam animorum perniciem invexerunt *; quod ubi de graviſſimis rebus diſſeritur, ex quibus animorum perfectio, morum honeſtas, religionis ſan-

* Non enim putetis, fratres, quia potuerunt fieri hæreſes per aliquas parvas animas; non fecerunt hæreſes niſi magni homines, ſed quantum magni, tantum mali montes. *Aug. in Pſal.* 124.

ſanctitas, æterna demum fælicitas pendet, non hominum auctoritate, ſed divino fidei, purioriſque rationis lumine, aut eximiâ certè Patrum, Pontificum, Conciliorumque autoritate dirigi, vel inniti nos oportet; quod *in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri* (*a*); quod denique hominum auctoritas, opinionumque veritas non ex illorum numero, ſed honeſtate, ingenio, doctrinâ æſtimanda eſt *: cùm præſertim plurimi ſolâ aſſentandi, blandiendique cupiditate, libertatis amore, partium ſtudio in laxiores ſententias abrepti fuerint, nulloque judicio, vel accurato examine unus alium exſcripſerit; nec aliâ plerumque ratione opinionem aliquam calculo, nomine, vel ſuffragio ſuo comprobaverit, quàm quia ab aliquo ſolùm Recentiore traditam viderit: ut proinde plures *nihil a ratione alienum fore* exiſtiment *ſi doctor conſultus ſignificet conſulenti opinionem a quibuſdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ſequi ipſi liceat; quamvis idem doctor ejuſmodi ſententiam ſpeculativè falſam eſſe certè ſibi perſuadeat, ut proinde ipſemet in praxi eam ſequi non poſſit* **.

Quod ſi ſolo Scriptorum numero gloriari illi

(*a*) D. *Th. quodl.* 3. *art.* 10.

* Cum videris multos non ſolùm hæc facere, ſed defendere, atque ſuadere, tene te ad legem Dei, & non ſequaris prævaricatores ejus. Non enim ſecundùm illorum ſenſum, ſed ſecundùm illius veritatem judicaberis. *Aug. de cathe. rud. c.* 3.

** Quid eſt aliud erranti viam non moſtrare, quod Athenis execrationibus publicis ſancitum eſt, ſi hoc non eſt hominem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam eſt ſcientem in errorem inducere. *Cic.*

illi ſolent, opinioneſque proprias tueri ſe poſſe putaverint, meliori certè jure gloriari nos poſſumus, quibus divina Scripturæ autoritas ſuffragatur, Patrum omnium conſenſus, Pontificum, Conciliorumque decreta, graviorum denique Theologorum, qui prima Moralis diſciplinæ lumina exiſtimantur, novamque Probabilitatis doctrinam, aut penitus ignorarunt, aut certè veluti falſam, pernicioſam, animorum peſtem inviciſſimè proſcripſerunt.

XXXII. Atque hæc de conſcientiâ probabili, ejuſque legibus, niſi pro rei dignitate, quantùm certè conſilii, vel inſtituti noſtri ratio patiebatur, dicta ſint. Quod ſi fortaſſe modum exceſſimus, eamque fuſius pertractavimus, quàm Philoſophum decere videbatur, id meritò a nobis factum facilè intelliget quicumque viderit ex hoc ipſo Moralis diſciplinæ capite omnem ferè ipſius ſplendorem, ac dignitatem pendere, quo probè conſtituto, morum doctrina purior, atque ſincerior effulgeat. Fruſtra nimirum, atque inutiliter in ſuperioribus Capitibus hominis fælicitas, morum honeſtas, divinæ, humanæque legis dignitas expoſita, vel confirmata fuiſſet, niſi perditam hanc Probabilitatis doctrinam meliori, nitidiorique ordine ſuis ex fontibus expoſitam convellere, atque extirpare niteremur; quâ ſemel admiſsâ morum ſanctitatem, legum majeſtatem, omnem denique Moralis, ac religionis ſplendorem extinctum eſſe, vel facilè extingui poſſe conſpicimus.

ETHI-

ETHICÆ,
SIVE
MORALIS
DISPUTATIO III.
De Virtutibus, & Vitiis.

PRæclarè, & eleganter admodum ab Ariſtotele [*a*] dictum accepimus tria in hominibus, vel in ipſorum animis accuratiſſimè diſtingui poſſe, *facultatem* nimirum, *affectionem*, & *habitum*; quod Empiricus etiam, Plutarchus, aliique plurimi demonſtrarunt. Facultas eſt illa vis, & potentia, quæ nobis indita, vel impreſſa conſpicitur, ut aliquos actus exerere, vel operari poſſumus, ut amare, odiſſe, dolere, &c. Affectio verò, vel actio eſt actus ille, qui ope illius virtutis, potentiæ, vel facultatis efficitur, ut

(*a*) *Ethic. Nic. II. c. 5. & Eud. II. c. 2. Mag. Moral. I. c. 8. & lib. de virt. mor.*

ut amor ipſe, odium, dolor, &c. Habitus denique vocatur illa propenſio, quæ oritur in animo, ubi plures actus produxerit, ad ſimiles actus iterum producendos; ubi nimirum ſæpius, atque frequenter amaverit, ingenito quodam, ac novo veluti pondere inclinat ad amorem: unde habitus ille ex frequentatis, vel iteratis, actibus oriri dicitur. Quemadmodum itaque ſuperiori loco de variis hominis viribus, ſeu facultatibus diſſeruimus, intellectu nimirum, ac voluntate, ſive flexibili voluntatis potentiâ, quâ liberos actus exerere, vel non exerere poteſt; deinde verò de liberis actibus ipſis, quos ab intellectu, ſeu potiùs a voluntate fieri ſubinde contigerit, ita nunc varia de habitibus ipſis complecti juverit, qui ex liberis actibus producuntur. Cùmque actus ipſi boni, vel mali eſſe poſſint, habitus etiam in *bonos*, vel *malos* diſtingui commodè ſolent, ut illi nimirum, qui a bonis actibus oriuntur, & bonos actus exerere ſubinde poſſunt, habitus boni, ſive *virtutes* dicantur; illi verò, qui a pravis actibus producuntur, & in pravos actus inclinant, habitus mali, ſeu *vitia* virtutibus ipſis oppoſita nominentur. Varias itaque virtutum, & vitiorumque ſpecies, naturam, originem ſolitâ methodo, ac meliori, quo poterit ordine complectemur, ut in omnium animis vitiorum horror, atque ingenuus virtutis amor accendatur.

CAP. I.

De Virtutis natura, & origine.

I. CUm celebre, atque pulcherrimum Virtutis nomen variis plerumque rebus explicandis adhiberi conſueverit, ne ex ipſo virtutis nomine obſcuritas, & ambiguitas oriatur, juverit in ipſo Diſputationis limine vocem ipſam exponere, tum virtutis naturam, & originem contemplari; ut exinde cætera, quæ de Virtutibus explicanda fuerint, nitidâ quadam, ac nativâ ſerie, vel ordine deducantur.

II. Non aliud itaque eſt virtus illa, de quâ diſſerimus, niſi perfectio quædam animi, quæ bonis, ſive perfectis actibus acquiritur, animumque ad actus illos iterum exerendos inclinat. Cùmque animus ipſe duplici parte, ſive potentiâ conſtare meritò exiſtimetur, intellectu nimirum, ac voluntate, quarum ille ad veritatem naturâ propriâ dirigitur, ideoque ſolâ rerum cognitione perfici poteſt; hæc ad honeſtatem, vel bonum ingenito veluti pondere inclinat, ideoque ſolo honeſtatis amore perficitur, virtus illa, ſive perfectio, quæ in intellectu reperitur, *intellectualis* vocatur; illa verò, quæ liberam, atque flexibilem voluntatem perficiat, ac dirigendis, perficiendiſque moribus deſtinetur, *moralis* appellatur. Hinc a pleriſque Philoſophis ita virtutem expoſitam, vel definitam eſſe conſpicimus, ut illi ſimul utrumque virtutis genus complecti voluerint; cùm tamen alii definitiones illas expreſſerint, quæ

ſolis

[illegible]ris moralibus convenirent. Quamvis tamen virtutes plurimæ ad intellectum pertineant, neque virtutes illæ, quæ Morales dicuntur, ac dirigendis moribus ſunt inſtitutæ, ſine ratione haberi, vel a prudentia ſejungi poſſint, ſed illi potiùs arctiſſimo veluti fœdere devinciantur, unde Socrates *(a)* virtutes omnes *prudentias*, vel ſcientias etiam appellare conſueverat, hoc tamen loco meliori quodam jure de moralibus habitibus, ſive virtutibus diſſeremus, quæ nimirum honeſtis voluntatis actibus acquiruntur, & unde pulcherrimus ille honeſtatis ſplendor illuſtriùs effulget, ad quem Moralem dirigi debere jam diximus, aliqua tamen oportunè de intellectualibus etiam habitibus loquuturi.

III. Moralis itaque virtus ab Ariſtotele definitur *habitus bonum reddens habentem, & opus ejus bonum (b); qui habitus enim, & virtus non ſolùm rectæ rationi conſentiens eſt, ſed cum rectâ etiam ratione conjunctus (c);* quemadmodum etiam Cicero dixit virtutem *eſſe animi habitum naturæ modo, atque rationi conſentaneum (d)*. Clariùs, & expreſſiùs etiam virtus ab ipſo Tullio definitur, *affectio animi conſtans, convenienſque laudabiles efficiens eos, in quibus eſt, & ipſa per ſe ſua ſponte, ſeparatâ etiam utilitate, laudabilis (e)*, acſi virtus ipſa, ſepoſitis etiam cæteris omnibus, quæ in homine ſpectari poſſint, puro, ac perenni honeſtatis ſplendore fulgere debeat, omniumque animis mirificè commendari. Pulcherrima tamen virtutis, & accuratiſſima definitio cenſetur illa, quam Ariſtoteles ipſe tradidit, & variis ſubinde locis uberrimè

(a) Plato in Menon. & de Republ. vid. Ariſt. Ethic. Nic. VI. c. 13. (b) Eth. Nic. II. c. 6. (c) ibi. c. 2. (d) de Invent. II. & D. Aug. lib. 83. quæſt. q. 31. (e) Tuſc. IV. c. 15.

mè exponit. Cùm enim plurima de virtutis naturâ, & origine diſſeruiſſet, veterumque Philoſophorum ſententias, atque in primis Socraticam methodum rejeciſſet, novâ, melioriqueͅ methodo virtutem deſcribere, vel definire volens aſſeruit, quod illa nihil eſt aliud, quàmͅ *habitus electivus in mediocritate, quantùm ad nos, conſiſtens, ratione definitus, & prout vir prudens definierit (a).*

IV. Atque ejuſmodi quidem virtutis definitio non modò perenni Peripateticorum omnium conſenſu, ſed ipsâ quoque Philoſophorum omnium ſententiâ mirificè confirmatur, cùm in illâ omnes ferè conſpirent. Optimè nimirum *electivus* habitus illa vocatur, ut ab intellectualibus habitibus diſtinguatur, qui liberi non ſunt, neque a flexibili voluntatis arbitrio eliguntur; quemadmodum ipſa quoque prudentia liberaͅ, vel electiva cenſeri non poterit; niſi quatenus liberis humanis actibus dirigendis applicatur. Meritò quoque virtutem ratione definiri, ſiveͅ cum prudentiâ conjungi dicitur; neque enim perfecta virtus haberi poterit, niſi rationi conjuncta, puriorique prudentiæ lumine directaͅ fuerit, ut ab Epicuro, Socrate, Cicerone dictum accepimus. Quod verò Ariſtoteles interſerit virtutem in modo, ſive mediocritate conſiſtereͅ, ipſam nimirum inter duo vitia veluti extrema quædam collocatam eſſe, ut ſi ad alterutrum illa deflectat, atque auream illam mediocritatem excedat, in vitium vergere videatur *, pluribus quidem ab Ariſtotele exponi, ſive defendi ſo-

(a) *Eth. Nic. II. c. 6.*

* Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.
Horat. I. Sat. I. v. 106.

ſolet, ſed a Stoicis, tamen, aliiſque pluribus reprehendi, ſive refelli conſpicimus, acſi Ariſtoteles virtutem ipſam utriuſque extremi participem eſſe putaverit; nihilque aliud virtutem eſſe crediderit, quàm vitium moderatum, in quo nimirum temperies, ſive mediocritas adhibeatur.

V. Ut itaque celeberrima Ariſtotelis opinio intelligi, ideoque controverſia, quæ Peripateticos inter, & Stoicos exarſerat, accuratè dirimi poſſit, illud cum Ariſtotele obſervari facilè poterit humanos animos in exerendis actibus, & eligendis objectis plerumque ad extrema deflectere, ut a propoſito fine deficiant, vel finem ipſum excedant; ideoque virtutes omnes, ut ad propoſitum finem dirigi, atque ab utroque extremo, ſeu vitio deflectere poſſint, inter utrumque extremum conſiſtere. Sic verecundia inter impudentiam, ac ſtupiditatem reperitur; fortitudo inter ignaviam, & audaciam; liberalitas inter avaritiam, & prodigalitatem; modeſtia inter ambitionem, & honoris incuriam, ſive contemptum; feſtivitas inter ſcurrilitatem, ac ruſticitatem; prudentia inter ſtultitiam, ac verſutiam: quod innumeris aliis exemplis oſtendi poteſt, atque in virtutibus omnibus explicari, niſi quòd juſtitia ſola exceſſum pati, vel modum excedere non poſſe videtur, ut aliquis proinde nimiùm juſtus exiſtimetur. Obſervat tamen Ariſtoteles contra juſtitiam quoque per exceſſum peccari poſſe, ubi nimirum alteri plus tribuatur, quàm debitum, æquum, ſive par ſit; ſicuti per defectum cum alteri non totum tribuitur, quod illi deberi intelligimus. Præclarè deinde ediſſerit Ariſtoteles, quod extrema, ſeu vitia non modò inter

ſe,

ſe, ſed etiam cum medio, ſive virtute pugnare videntur; ut ſi proinde fortis cum audaci compararetur, ignavus; ſi cum ignavo, audax appareat; liberalitas reſpectu prodigalitatis avaritia, reſpectu avaritiæ prodigalitas exiſtimetur; feſtivitas reſpectu ſcurræ ruſticitas, reſpectu ruſtici ſcurrilitas videatur. Quin etiam virtutes ipſæ ad alterutrum potiùs extremum vergere videntur, ut fortitudo magis ad audaciam, quàm ad ignaviam inclinet; feſtivitas ad ſcurrilitatem, quàm ruſticitatem; modeſtia ad honoris contemptum, quàm ad ambitionem, quod in exemplis, & virtutibus aliis facilè oſtendi poteſt.

VI. Hinc meritò Ariſtoteles ipſe concludit virtutem aſſequi difficile admodum, ac operoſum eſſe; ab alterutro nimirum vitio, vel extremo deflectere, ut medium illud, ſive mediocritas illa eligatur, in quâ virtutis naturam collocatam eſſe jam dixerat. Neque enim, ut ſubtiliter, & accuratè monuit Ariſtoteles, ita virtus in medio conſiſtere debet, ut ab utroque extremo, vel vitio paribus intervallis illa recedat, ut numerus binarius, atque ſenarius a quaternario, qui proinde medius inter binarium, atque ſenarium vocatur; ſed mediocritas illa, ſive locus, in quo virtus inter extrema conſiſtere debet, ſola ratione, ſive prudentiâ definiri poterit, quæ juxta varias temporis, rerumque conditiones, atque præſertim ex variâ virtutum naturâ definiet, quò virtus ipſa, vel actus dirigi poſſit, ut mediocritatem ſibi debitam aſſequatur. Quemadmodum enim paullò ſuperiùs oſtendimus, virtutes aliquæ magis ad extremum unum, quàm ad aliud accedunt, ut fortitudo magis ad audaciam,

quam ignaviam; ideoque habitus ille, qui paribus intervallis ab audaciâ, vel ignaviâ recederet, fortitudo vocari, vel eſſe non poſſet, ſed aliquid ipſi deeſſet, ut eximium fortitudinis ſplendorem acquireret. Itaque mediocritas illa, in quâ virtus poſita ſit, non ex ipsâ rerum, & extremorum naturâ, ſed potiùs ab intellectu, ratione, prudentiâ, virtutis indole deſumi, vel definiri debet; ſive, ut Ariſtoteles ait, *quoad nos*, quatenus nimirum hominis naturæ, rationi, vel conditioni conveniat; cùm præſertim unus, idemque actus, quem a diverſis hominibus fieri contigerit, pro variâ, vel inæquali diverſorum hominum conditione, in uno laudabilis, vitioſus in altero; in uno vitium, in altero virtus eſſe poſſit, ut eleganter inquit Poeta

Atticus eximiè ſi cænat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens (a).

VII. Ab hac illuſtri Peripateticorum omnium definitione, ſive virtutis imagine Stoici diſſidebant, quos Epicurus, & Cicero, aliique plurimi ſunt æmulati, ut ipſe Cicero ſingulorum argumenta complexus uberrimè demonſtravit. Illud itaque Stoicis videbatur, atque Peripateticis opponi conſueverat virtutis naturam in mediocritate prorſus immeritò collocari, cùm virtutes plurimæ ſint, quibus nullus modus, ſive mediocritas èſt definita; ſed tantò potiùs puriores nobilioreſque ſunt, quantò liberiùs mediocritatem, ſive quemcumque modum exceſſerint. Quis enim exiſtimet veram amoris virtutem a nobis acquiri non poſſe niſi moderatè, ac mediocriter Deum diligamus; non

(a) *Juven. Sat. XI. v. 1. vid. Ariſt. Nicom. II. c. 6.*

non verò potiùs intelligat huic amori nullum, finem conſtitui poſſe, tantòque puriori chari- tatis virtute cor exornari, quantò vehementio- ri ardore vividiùs exarſerit? Sic nunquam ſa- tis peccatum odiſſe poſſumus, æterna bona ſa- tis appetere, æterna mala refugere, vel for- midare; ideoque tantum abeſt, ut charitatis, deſiderii, ſpei, timoris virtutes in mediocri- tate conſiſtant, ut exceſſum potiùs in illis quæ- rere debeamus; quemadmodum certè divinâ Redemptoris voce erudimur, virtutes omnes ad infinitum exemplar dirigi oportere, infinitas ni- mirum virtutes, quæ in ipſo Deo reperiuntur. *Eſtote*, inquit, *perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis per- fectus eſt* (a); quod fieri certè non poſſet, ſi in virtutibus ipſis mediocritas adhibenda foret, atque in exerendis virtutum actibus exceſſus ali- quis haberi, ſive timeri poſſet. Hinc meritò, atque præclarè Gellius admonuit eſſe quædam, quorum amplitudines nullis finibus cohibeantur, & quæ quantò majora, auctioraque ſint, tan- tò laudatiora eſſe debeant: ut plurimùm proin- de virtutibus Peripatetici detrahere, melioremque lucem virtutis extinguere videantur, dum illam certis quibuſdam finibus circumſcriptam, atque in mediocritate collocatam eſſe arbitrantur.

VIII. Deinde verò, ſi virtus inter utrumque extremum, veluti media collocatur, &

Virtus eſt medium vitiorum, & utrinque redu- ctum (b),

virtus ipſa ex utroque vitio ſimul compoſita, ſive permixta cenſeri poterit, ut fortitudo par- tim ex audaciâ, partim ex timore, vel igna- viâ participet, atque ex ipſis veluti ſimul con-

 fuſis

(a) Matth. c. 5. v. 48. (b) Horat. I. ep. 18. v. 9.

fuſis coaleſcat; ut ipſa proinde virtus aliud eſſe, vel exiſtimari non poſſit, quàm vitium mediocre, vel moderatum; ut fortitudo ſit moderata audacia; verecundia ſit moderata ſtupiditas; temperantia ſit moderata voluptas &c.

Ac certè Peripatetici, cùm affectus omnes ſive *perturbationes non modò naturales eſſe, ſed etiam utiliter a naturâ datas eſſe* putarent, ideoque ſolerent *laudare iracundiam cotem fortitudinis eſſe dicentes . . . hæc reſecanda eſſe fatentur, ovelli penitus dicant non poſſe, nec opus eſſe, & in omnibus ferè rebus mediocritatem eſſe optimam exiſtiment*, virtutes omnes in affectuum temperie, ſive moderatâ vitiorum mediocritate ponere videbantur. *Quocirca mollis, & enervata putanda eſt Peripateticorum ratio, & oratio, qui perturbari animos neceſſe eſſe dicunt, ſed adhibent modum quendam, quem ultra progredi non oporteat* (a); acſi vitio modus aliquis adhiberi poſſet, aut vitium aliquod, adhibitâ mediocritate, pulcherrimam virtutis indolem ſuſcipere, ut virtutes omnes a vitiis tenuiſſimo diſcrimine diſtinguerentur, ideoque facilè virtus in vitium abire, vel ex vitio virtus oriri poſſet; & quemadmodum virtus in moderato vitio conſiſtit, ita quoque vitium in mediocri, vel moderatâ virtute conſiſteret. *Quamobrem nihil intereſt*, ut præclarè concludit Cicero, *utrum moderatas perturbationes approbent, an moderatam injuſtitiam, moderatam ignaviam, moderatam intemperantiam. Qui enim vitiis modum apponit, is partem ſuſcipit vitiorum, quod cùm ipſum per ſe odioſum eſt, tum eo moleſtius, quia ſunt in lubrico, incitataque ſemel in proclive labuntur, ſuſti-*

(a) *Cic. Tuſc. IV. c. 17. & 18.*

ſuſtinerique nullo modo poſſunt .. & qui modum vitio quærit ſimiliter facit, ut ſi poſſe putet eum, qui ſe e Leucade præcipitaverit, ſuſtinere ſe cum velit: ut enim id non poteſt, ſic animus perturbatus, & incitatus nec cobibere ſe poteſt, nec quo loco vult inſiſtere omnino. Namquod ajunt nimia reſecari oportere, naturalia relinqui, quid tandem poteſt eſſe naturale, quod idem nimium eſſe poſſit? ſunt enim omnia iſta ex errorum orta radicibus, quæ evellenda, & extrahenda penitus, non circumcidenda, & amputanda ſunt (a). Atque hactenus quidem Cicero ex Stoicorum ſententiâ, qui affectus omnes vitioſos, & extirpandos eſſe putabant, ideoque ſapientem virum affectibus omnibus carere, nulliſque motibus affici, vel perturbari poſſe volebant; unde ferre non poterant virtutem ipſam in affectuum temperie, vel moderatis animi motibus a Peripateticis collocari.

IX. Quamvis tamen hæc omnia ſubtiliter a Stoicis opponerentur, Peripateticos tamen ab inſtitutâ ſententiâ revocare non poterant, cùm illi pari ſubtilitate, rationumque pondere ſingula Stoicorum argumenta diluerent.

Itaque primò ex Peripateticorum ſententiâ reponi poterit, plurimas quidem virtutes eſſe, quibus nulla mediocritas ſit definita, tantòque puriores ſint, quantò liberiùs quemcumque modum, ſive finem exceſſerint, ſi objectum ipſum virtutis ſpectetur; aliquem tamen modum, ſive mediocritatem requiri in circumſtantiis illis, quibus virtutis actus exeri, & ad objectum dirigi contingat. Sic tantò nobilior eſt charitas quantò vehementior fuerit, tantò purior religio quantò vividior, cùm religionis, & cha-

 rita-

(a) *Cic. Tuſc. IV. c. 28.*

ritatis objectum maximum, & infinitum ſit, ideoque nunquam ſatis, aut nimiùm Deum diligere, venerari, peccatum odiſſe poſſumus; in ejuſmodi tamen, religionis, & charitatis actibus peccari poſſe, niſi debita materia ſeligatur, in quâ virtutis actus debitis loco, & tempore producantur; unde religio plerumque in exceſſum, ſive ſuperſtitionem degenerat, & ex illâ plurima vitia, vel mala oriantur juxta celebre Poetæ dictum

Tantum Religio potuit ſuadere malorum (a).

Sic nunquam ſatis peccatum odiſſe poſſumus, corporeis voluptatibus abſtinere, &c. niſi tamen hæc omnia ad debitum finem dirigantur, vel odium, & horror ille, ex debitâ cauſsâ, vel motivo in noſtris cordibus excitetur, vitioſus haberi poterit; ideoque in eligendis etiam circumſtantiis, vel exerendis actibus moderatio quædam, ſive mediocritas eſt adhibenda, non quæ virtutem ipſam, ipſius objectum, ac honeſtatem temperare debeat, ſed potiùs materiam illam definire, in quâ virtus, & honeſtas ineſſe debent.

X. Cùm verò Stoici opponunt quod virtus illa, quæ inter utrumque extremum a Peripateticis collocatur, ex utroque extremo compoſita, ſive permixta cenſeri poteſt, ideoque virtus, quæ ab illis aſſeritur, non aliud erit, quàm vitium moderatum, non ingenuè certè, vel ſatis accuratè Peripateticorum ſententiam exponunt. Neque enim Peripateticorum mens fuerat, ita virtutem inter utrumque extremum conſiſtere, ut ex utroque permixta foret, atque ex vitiis utrinque reductis, vel moderatis conſtaret, ut tepidum ex calido, & frigido; ſed po-

(a) *Lucr. I. v. 102.*

potiùs inter illa, velut extrema, a quorum utroque recederet, ut pectus a pedibus, & capite: unde ipſi virtutem ſic inter utrumque extremum collocatam eſſe putabant, non ut ex utroque extremo participaret, ſed potiùs ut ab utroque extremo recederet, ut paulò ſuperiùs oſtendimus.

Et certè Ariſtoteles ipſe nitidè, vel expreſsè jam dixerat vitia, vel affectus plurimos ejus indolis eſſe, ut nunquam temperies aliqua ſic adhiberi poſſit, ut illa virtutis indolem, ſive ſpeciem acquirant, ideoque in adulterio, furto, aliiſque id genus mediocritatem inquirere aſſerit perinde fore, ac *ſi mediocritas, exceſſus, & defectus in ipſis injuſtitiâ, ignaviâ, ac intemperantiâ reputetur* (a), aliiſque extremis, quæ virtutibus opponuntur. Ex quo clariſſimè apparet in Ariſtotelis opinione nullam in vitiis mediocritatem haberi poſſe, ideoque virtutes in ſolâ vitii temperie, ſive moderatione non conſiſtere; ut immeritò proinde Cicero dixerit, mollem, ac enervatam illorum orationem eſſe, tenuiſſimoque diſcrimine vitia a virtutibus diſſidere.

XI. Quod verò Peripatetici dixerint affectus, vel animi perturbationes non modò naturales eſſe, ſed etiam utiliter a naturâ datas, ideoque temperandas quidem, ac moderandas eſſe, non verò penitus evellendas, ac extirpandas, id fuſiùs, & opportuniùs alibi examinabitur ubi de Affectibus ipſis diſſeremus. Interim obſervaſſe juverit affectus illos, qui in hominum cordibus excitantur, penitus extingui, vel extirpari non poſſe, ideoque inutilem, atque

(a) *Eth. Nic. II. c. 6.*

atque ſuperbam eſſe Stoicorum ſententiam, qui ſapientem nullis affectibus perturbari poſſe putabant, nec aliter hominem ſapientem, ac beatum eſſe dicebant, quàm ſi affectibus omnibus, arboris, vel ſtipitis inſtar, careret, ut alibi oſtendimus cum de ſummo bono, vel hominis beatitate loqueremur. Quod ſi fieri, vel obtineri certè non poteſt, ut humanus animus affectibus careat, iiſque motibus non incitetur, qui ex ipsâ hominis naturâ velut ex uberrimo fonte oriuntur, id unum ſupererit, ut affectus ipſi ratione, ſeu virtute temperari debeant; cùmque modum excedere plerumque illi ſoleant, atque in ſenſibilium rerum amorem inflecti, ita puriori, ac tranquillo rationis lumine, ſive prudentiæ, virtutumque omnium ope dirigi debent, ut ad honeſtatem, æternæ legis normam, atque ſanctiſſimas æquitatis regulas dirigantur.

XII. Neque tamen hinc fieri, vel inferri poſſe putaveris, ut virtus illa, quæ affectus animi temperat, ac moderatur, priſtinam vitii naturam extenuatam, languidioremque retineat, ut ex. gr. fortitudo ſit moderata audacia; liberalitas ſit moderata prodigalitas, &c. ſed potiùs affectus ipſi ſic a ratione, ſive prudentiâ temperantur, ut actus ille, qui ex naturâ propriâ, ſive flexibili humanæ voluntatis arbitrio, ſic exeri poterat, ut ad debitum finem tenderet, vel ab illo deflecteret; ut honeſtati conjungeretur, vel ab ipsâ recederet; ut denique bonus, vel pravus foret, puriori lumine ad finem ſibi conſtitutum, honeſtatemque dirigatur, ideoque bonus ſit, ac pulcherrimam virtutis indolem ſortiatur: quemadmodum ferè a liberâ hominis voluntate, ſive peritiâ dependet, ut navis illa, quæ celeriori, tardiorive motu in alte-

terutram partem ferri poteſt, in hanc potiùs, quàm aliam, hoc potiùs, quàm alio celeritatis impetu dirigatur.

Perperam verò, atque inutiliter Cicero comparat hominem, qui variis affectibus excitetur, illi, qui ex Leucade ſe præcipitaverit; ille nimirum, cum ſe præcipitem dederit, corporis impetum, ſive ruinam cohibere certè non poterit; at verò nunquam affectibus, & ſenſibilium rerum illecebris ita excitatur animus, ut ab illis abripi debeat, neque reſiſtere, vel diſſentiri poſſit, & affectus ipſos moderari, ut fuſiùs alibi oſtendimus cum de libero voluntatis arbitrio, ejuſque viribus loqueremur.

XIII. Cæterùm hæc uberius fortaſſe, quàm par fuerat, expoſita ſunt ut celeberrima hæc quæſtio dirimi deinde poſſet, eamque partem quis liberè amplecteretur, quæ ſibi veluti purior, ac veriſimilior affulſerit. Nobis verò videtur Ariſtotelis opinionem facilè defendi poſſe; non tamen ipſam virtutis naturam ſic ab illâ mediocritate repetendam eſſe putamus; ut etiamſi nullum extremum exiſteret, ſive conciperetur, perfecta tamen virtutis idea, ſive natura facilè concipi, vel admitti non poſſet: ut proinde mediocritas veluti virtutis character, atque proprietas haberi poſſit, non verò natura, & eſſentia, vel, ut Scholaſtici loquuntur, ipſius *conſtitutivum*. Cùm enim virtus ipſa, vel bonus habitus ex bonis, ac honeſtis actibus producatur, ſicuti actuum honeſtas ex hominum naturâ, vel æternâ lege repeti debet, ita quoque virtutis eſſentia ex eodem ipſo fonte deduci poterit. Adde, quod ſi virtutis eſſentia ex mediocritate repetenda foret, priùs cognoſci deberent vitia, inter quæ velut extrema virtus

conſiſteret, quàm virtus ipſa; ideoque virtutis cognitio ex vitii cognitione penderet: cùm potiùs eadem vitia, veluti virtutis contraria, vel privationes, ex ipsâ virtutis cognitione deduci debeant, ut inferiùs oſtendemus. Itaque potiùs adhiberi poterit aliqua virtutis definitio, quam paullo ſuperiùs ex Cicerone, Platone, vel Ariſtotele ipſo attulimus: aut celebris alia definitio, quæ ab Auguſtino tradita a Theologis omnibus mirificè probatur. Definitur itaque ab Auguſtino virtus *bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, & quâ nullus malè utitur, & quam Deus in nobis ſinè nobis operatur* (a). Illa nimirum eſt virtutis indoles, atque natura, ut ex bonis actibus oriatur; ad bonos, & honeſtos actus inclinet, ideoque, dùm virtus eſt, ad bonum dirigere debeat, neque proinde ullus virtute malum operari, vel virtutibus abuti poſſit. Quod ſi fortaſſe per accidens virtus ad malum dirigatur, ut ſi religio, fortitudo ad inhoneſtos actus inclinet, illa non ampliùs religio, vel fortitudo vocabitur, ſed ubi a debito fine deflectat, modumque excedat, in vitium degenerat, ut inquit Poeta

In vitium ducit culpa fuga, ſi caret arte (b).

Quod verò Auguſtinus adjecit virtutem in nobis, & ſinè nobis produci, id de infuſis ſolùm habitibus intelligi debet; cæteræ nimirum virtutes omnes ingenio, diligentiâ, vel exercitatione acquiri poſſunt, unde virtutes illæ non *infuſa*, ſed *acquiſita* vocari meritò ſolent.

XIV. Ut itaque pauca de virtutum cauſsâ, & origine diſſeramus, illud a Cicerone præclarè dictum accepimus, virtutes omnes ex ipsâ homi-

(a) *Aug.* (b) *Horat. art. Poet. v.* 31.

hominis naturâ veluti ex communi fonte prodire. *Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret: nunc autem ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omnì continuò pravitate, & in ſummâ opinionum perverſitate verſamur, ut penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cum verò parentibus redditi, ideſt magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat ... cum verò accedit eodem quaſi maximus quidam magiſter populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum pravitate, a naturâque ipſâ deſciſcimus, ut nobis optimam naturam invidiſſe videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praſtantius honoribus imperiis, populari gloriâ judicaverunt, ad quam fertur optimus quiſque, veramque illam honeſtatem expetens, quam unam natura maximè inquirit, in ſummâ inanitate verſatur, conſectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, ſed adumbratam imaginem gloriæ* [a].

Ex quo clariſſimè apparet virtutes ab ipsâ rationali naturâ, quâ præditi ſumus, atque ex ingenito amore, quo ad bonum, honeſtatemque dirigimur, oriri debere; cùmque illa boni, vel honeſtatis cupiditas pravis affectibus perturbetur, atque pulcherrimus virtutis ſplendor ſenſibilium rerum illecebris, ac erroribus extinguatur, induſtria quoque, vel exercitatio requiritur, ut perenni virtutis, ac honeſtatis amore in ſingulis actibus dirigamur.

XV.

(a) Cic. Tuſc. III. c. 12. & Fin. V. c. 15.

XV. Hinc refelli facilè poterit Ariſtippi, aliorum opinio, qui *nihil naturâ juſtum eſſe, aut honeſtum, vel turpe, ſed conſuetudine, & lege (a)* dixerunt; ideoque virtutes a vitiis non naturâ ipsâ, ſed opinione ſolùm, hominumque judicio diſtingui putarunt. *Hæc* enim *in opinione exiſtimare, non in naturâ, poſita, verè dementis eſt. Nam nec arboris, nec equi virtus, quæ dicitur [in quo abutimur nomine] in opinione ſita eſt, ſed in naturâ [b]*; ideoque, ſi rerum omnium bonitas, atque perfectio non ab incertâ hominum opinione, ſed ab ipsâ illarum naturâ dependet, meliori certè jure hominis virtutem ab ipsâ naturâ repetendam eſſe erudimur: cùm præſertim virtus ab honeſtate ſejungi non poſſit, ſed illi arctiſſimè adhæreat; adeoque ſicuti honeſtas, vel humanorum actuum bonitas ab æternâ, perenni, vel invariabili lege dependet, ita quoque virtus ipſa ab æternâ lege pendere debet, ut juxta varios hominum mores, opinioneſque variari minimè poſſit *.

Argumento quoque eſſe poterit virtutem non a variis hominum opinionibus, ſed ab ipsâ potiùs naturâ pendere, quod in explicandâ virtutis, ac honeſtatis imagine nationes omnes mirificè conſpirent; quod eximio prorſus amore virtutem inquirant; quod denique, licèt efferæ, barbaræque ſint, pulcherrimum tamen virtutis ſplendorem in aliis conſpiciant, ac venerentur. *Quæ* enim *natio non comitatem, non be-*

(a) *ap Laer. II. ſ. 93.* (b) *Cic. leg. I. c. 16.*

* Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intemeratis fulget honoribus,
Nec ſumit, aut ponit honores
Arbitrio popularis auræ.

Horat. III. ode 2.

benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit? quæ ſuperbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aſpernatur, non odit (a)? maximum itaque *hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium an mos lumen ſuum permittit, etiam qui non ſequuntur, illam vident (b):* quemadmodum D. Auguſtinus optimò aſſeruit *hominem fieri prudentem, aut juſtum non prudentiâ, aut juſtitiâ alterius, ſed coaptando animum illis incommutabilibus regulis, luminibuſque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsâ veritate, ſapientiâque communi (c);* & Cicero quoque jam dixerat, quod *non ob eam cauſſam illud dicitur honeſtum, quia laudatur, a multis; ſed quia tale ſit ut ſi ignorarent id homines, vel ſi obmutuiſſent, pulchritudine tamen ſuâ eſſet, ſpecieque laudabile.*

XVI. Hinc Hobbius ipſe (*d*), qui temere, & inconſultò jam dixerat in ſtatu naturali vitia a virtutibus diſtingui non poſſe, ſed omne virtutum, vitiorumque diſcrimen ab initâ ſocietate, conſuetudine, ſive civili vitâ pendere; alibi tamen clariſſimo, nitidoque rationis lumine eruditus aſſeruit homines tacitâ quadam naturæ voce ad virtutem, ac honeſtatem excitari, ac impelli; ut ipſa proinde virtus non ex libero, atque fortuito hominum fædere, pacto, vel conſuetudine; ſed potiùs ex ingenito quodem, ac invariabili naturæ lumine, ac pondere oriatur, quod fuſiùs alibi, & opportuniùs explicatum eſt, ubi de humanorum actuum honeſtate, atque ipsâ naturalis juris origine diſſeruimus.

CAP.

(*a*) *Cic. leg. I. c.* 11. (*b*) *Sen. de Benef. IV. c.* 17. (*c*) *de lib. arb. II. num.* 52. *al. c.* 19. . . . [*d*] *de Hom. c.* 13. *§.* 9.

CAP. II.

De Virtutum ſubjecto, connexione, & diviſione.

I. PLurima quidem, atque infinita propemodum forent, quæ de variis virtutum affectionibus dicenda nobis occurrerent, ſi ſingula complecti, vel uberiùs exponere mens eſſet, quæ a veteribus, vel recentioribus etiam Philoſophis de Virtutibus ipſis diſſeri, vel diſputari, ſubinde ſolent. Sed cùm præcipua ſolùm, ac ſumma veluti rerum capita proſequi conſueverimus, illa de virtutibus hìc addere juverit, ex quibus pulcherrima virtutis natura clariùs intelligi, ejuſque amor in humanis animis vividiùs excitari poſſit; cùm cetera aut a Philoſophis ipſis veluti ex fontibus haberi poſſint, aut certè ex iis, quæ dicenda fuerint, facillimè deducantur. Quandoquidem itaque Virtus ſubjectum aliquod habere debet, in quo reperiatur; & objectum, ad quod dirigatur, de ſubjecto ipſo, vel objecto virtutum breviſſimè diſſeremus; deindè verò de mirâ connexione, quæ in virtutibus reperitur; variiſque generibus, quæ in ipſis accuratiſſimè diſtingui ſolent.

II. Et quod ad virtutis quidem ſubjectum pertinet, ita Philoſophos diſſidere conſpicimus, ut cùm tres partes in animo diſtinguere ſoleant, *intellectum* nempe, *voluntatem*, & *ſenſum*, ſive partem ſenſibilibus, atque corporeis affecti-

bus ſubjectam, aliqui virtutes in intellectu, alii in voluntate, alii denique in ſenſibus veluti ſubjecto collocatas eſſe arbitrentur. Sed opiniones illæ facilè conciliari, atque ita conjungi poſſunt; ut cùm virtutes ipſæ in animo veluti puriori, nobiliorique hominis parte reperiantur, partim in intellectu, partim in voluntate reſideant.

Illæ nimirum, quæ intellectum perficiunt, & *intellectuales* proinde vocantur, in intellectu, ut ſcientiæ, vel cognitiones omnes, quæ ad veritatem veluti finem, & objectum diriguntur; illæ verò, quæ honeſtatem reſpiciunt, quæ honeſtis actibus acquiruntur, animumque ad honeſtatem inclinant, ideoque dirigendis, perficiendiſque moribus deſtinantur, in voluntate reperiuntur. Non immeritò tamen virtutes ipſæ in inferiori quoque hominis parte, vel in affectibus, & ſenſibilibus actibus collocantur, quatenus illi ſupremo voluntatis imperio, puriorique rationis lumine dirigi ſubinde poſſunt; ut quemadmodum actus illi, quos a voluntate exeri contigerit, honeſti, boni, ac virtute præditi exiſtimantur, ita quoque in corporeis actibus, qui a voluntate imperantur, atque in affectibus illis, qui a ratione, vel a virtutibus temperantur, aliquis honeſtatis, virtutiſque ſplendor appareat, qui ab interiori voluntatis virtute in exteriores actus veluti radius in ſubjecta corpora diffundatur; unde Ariſtoteles ipſe obſervavit, quod *in anima eſſe quidpiam contra rationem exiſtimandum eſt, quod ei adverſetur, ac reſiſtat; quomodo verò diverſum ſit, nihil refert. Quod tamen etiam ipſum rationis eſſe particeps videtur; continentis enim rationi obtemperat, atque etiam magis fortaſſe in temperante, ac for-*

 ti

ti obediens eſt ; omnia enim in his rationi conſonant (*a*).

III. Quemadmodum verò virtutes in aliquâ animi parte veluti ſubjecto reperiuntur, ita quoque virtutes omnes proprium objectum habere debent, ad quod veluti ſcopum, colliment, ſeu tanquam terminum dirigantur. Atque ejuſmodi quidem objectum in *materiale*, & *formale* ſatis accomodè diſtingui ſolet. Materiale nimirum eſt illa materia, circa quam virtus verſatur, vel in quâ virtutis actus exeritur, ut divitiæ reſpectu liberalitatis; voluptates reſpectu temperantiæ, &c. formale verò eſt ille modus, aut illa perfectio, bonitas, & honeſtas, quæ in objecto materiali, ſive materiâ inquiritur, atque producitur: ideoque eadem materia vitio, virtutique communis eſſe, vel dici poterit, ut virtus, ac vitium circa idem objectum materiale verſentur, liberalitas ex. gr. avaritia, ſimulque prodigalitas circa divitias, &c. ſed objectum formale virtutis vitio convenire non poterit, cum longè diverſo modo virtus, ac vitium objectum ipſum conſiderent, vel ad objectum ipſum diverſo prorſus ordine dirigantur.

IV. Admirabilis itaque virtutum varietas, quibus humanus animus veluti luminibus vel, ut inquit Cicero (*b*), *lineamentis* exornatur, partim ex ſubjecto, partim etiam ex objecto formali deduci poterit, ut virtutes illæ interſe meritò diſtingui debeant, quæ vel in diverſo ſubjecto, ſive potentiâ reperiuntur; vel ſi uni, eidemque ſubjecto inhæreant, ad varia tamen objecta diriguntur; cùmque ordo ille, ſive relatio,

(*a*) *Ariſt. Eth. Nic.* I. *c.* 13. (*b*) *Fin. Ill. c.* 22.

latio, quâ virtus aliqua ad objectum proprium dirigitur, intrinſeca ſit, atque ex ipsâ virtutis indole, ſive naturâ oriatur, ipſa quoque virtutum diverſitas, vel ut Scholaſticis appellare libuit, *ſpecificatio* intrinſeca cenſeri debet.

V. His ita ſuppoſitis clariſſimè inferri poteſt, quod virtutes, & habitus ratione ſubjecti diſtingui debent in *intellectuales*, atque *morales*. Illi nimirum in intellectu reſident, intellectum perficiunt, ad veritatem veluti objectum diriguntur, ac in ſolâ cognitione conſiſtunt. Iſti verò voluntatem perficiunt, diriguntur ad honeſtatem, moribuſque componendis, ac temperandis affectibus deſtinantur.

Intellectuales illæ virtutes, & habitus ab Ariſtotele (*a*) quinque numerantur, *intelligentia* nimirum, *ſapientia*, *ſcientia*, *prudentia*, & *ars*. Quibus accenſeri meritò poterit *fides*, *opinio*, *dubium*, & cognitiones omnes, quæ ad veritatem diriguntur, de quibus in Logicâ, & Metaphyſicâ variis in locis oportuniùs diſſeritur.

VI. Morales verò virtutes primò diſtingui ſolent in *infuſas*, & *acquiſitas*, quæ tamen diviſio intellectualibus etiam aptari poterit. Acquiſitæ dicuntur illæ, quæ ab hominibus ipſis induſtriâ, labore, ac repetitis, & iteratis virtutis actibus acquiruntur juxta celebre effatum illud

Virtutem voluere Dii ſudore parari (*b*),

ut ſunt plerumque virtutes omnes, quibus homines ornatos eſſe conſpicimus. Infuſæ verò dicuntur illæ, quæ ab ipſo Deo humanis animis impreſſæ, vel conceſſæ fuerint, ſive quòd aliter ab hominibus ipſis haberi, vel acquiri

 non

(*a*) *Ethic. Nic. VI. c. 3.* (*b*) *vid. Heſiod. ap. Plat. l V. de Leg. & Xenoph. II. de Memor.*

non poſſint, ut divina *fides*, *ſpes*, *charitas*, & *gratia*; ſive certè quòd, licèt induſtriâ quoque, vel exercitatione comparari poſſint, eximio tamen munere interdum ab ipſo Deo conceduntur, ut ſcientiâ, ſive rerum cognitio, quæ Adamo, & Salomoni indita memoratur.

VII. Atque ejuſmodi quidem diviſio deducitur ex vario modo, quo virtutes ipſæ in humanis animis producantur. Sed illæ meritò diſtingui poterunt etiam reſpectu modi, quo ad objectum dirigantur, in *naturales*, ac *ſupernaturales*. Naturalis virtus vocatur illa, quæ ſolis naturæ viribus, ac induſtriâ comparatur, ut virtutes illæ, quæ in Philoſophis veteribus, omnibuſque Ethnicis floruerunt (*a*). Supernaturales verò, quæ partim naturæ viribus, partim etiam, atque præcipuè divinæ gratiæ munere, comparantur, ideoque cum gratiâ, & charitate arctiſſimo fœdere conjunguntur; puriori, nobiliorique modo honeſtatem reſpiciunt; atque ad Deum ipſum veluti gratiæ, ac ſupernaturalis fælicitatis auctorem diriguntur. Etſi verè plurima ſint illa, quibus naturales virtutes a ſupernaturalibus diſtinguuntur, ut fusè Theologìs diſſerunt, illud etiam inſigne diſcrimen obſervari facilè poterit, quod naturales virtutes honeſtæ quidem, atque laudabiles ſunt, ſed labili ſolùm, ac temporali præmio donari, vel coronari poſſunt; cum ſupernaturales æterno, ac ſupernaturali præmio, ſive fælicitate donentur, ut alibi diximus cum de beatitudine loqueremur. Hinc meritò Auguſtinus (*b*) obſervat Romanos, qui mirâ, & incredibili prorſus virtutum naturalium gloriâ floruerant, imperii amplitudinem, fauſtitatemque ab optimo, juſtiſſimo-

(*a*) *vid. Morhe. de Virtut. Ethnic.* (*b*) *de Civ. Dei V. c.* 15.

ſimoque Deo veluti præmium adeptos eſſe, cum tamen ab æternæ fælicitatis, & gloriæ coronâ miſerrimè exciderint; quippequæ ſolis fidei, gratiæ, virtutumque ſupernaturalium meritis concedatur.

VIII. Quod ſi deinde virtutes ipſas morales, & acquiſitas ex objecto diſtinguere velis, incredibilis illarum varietas, & numerus orietur, qui tamen ad duo veluti capita revocari facilè poterit, ut aliquæ nimirum principes, *primæ*, ſive præcipuæ vocari poſſint; alteræ verò *ſecundariæ*, quippequæ ex primis veluti ex fontibus oriantur. Sed in præcipuis ejuſmodi virtutibus exponendis, definiendiſque non una, eademque Philoſophorum omnium ſententia fuit. Apollophanes enim, Megarici, & Ariſto unicam ſolùm virtutem eſſe putarunt, prudentiam nimirum, a quâ deinde cæteræ profluerent, cùm tamen Zeno plurimas eſſe cenſeret (*a*). Ariſtoteles verò ita de verecundiâ, gravitate, liberalitate, magnificentiâ, veritate, urbanitate, aliiſque diſſeruit, acſi illarum ſingulas diſtincta veluti virtutum genera haberi voluerit (*b*). Plato ſimiliter, etſi juſtitiam in primis, fortitudinem, ac temperantiam expreſſerit, ipſis tamen docilitatem quoque, memoriam, magnificentiam, *ac cætera id genus alia* adjecit (*c*); quemadmodum alibi fortitudini, temperantiæ, juſtitiæque *quæcumque id genus alia* conjunxit (*d*). Plerique tamen Philoſophi in hoc mirificè conſpirant, ut quatuor ſolùm virtutes illas enumerent, ex quibus cæteræ oriri poſſint, *prudentiam* nimirum, *juſtitiam*, *fortitudinem*, ac *temperantiam*. Illud

(*a*) *Laer. VII. ſ. 92.* (*b*) *Etib. Nic. IV. c. I.* (*c*) *Menon.* (*d*) *Lacbet.*

lud expreſsè memorat Epicurus, & Ariſtoteles ipſe ubi de virtutum illarum numero, quæ ad perfectam hominis beatitatem conferunt, accuratè diſſerit, has quatuor ſolùm enumerat, *nemo* enim, inquit, *illum dixerit fælicem, in quo neque fortitudinis, neque temperantiæ, neque juſtitiæ pars ulla inſit.. ſimiliterque, & quoad mentem ſpectat, tam ſit imprudens, & qui fallatur capax, quàm infans, aut inſanus eſt (a);* quemadmodum Plato quatuor perfectæ virtutis ſpecies enumerat (*b*), quæ ad Reipublicæ tranquillitatem, hominumque fælicitatem requirantur, de quarum ſingulis ex Platonis ſententiâ Laertius accuratè diſſeruit (*c*); ſicuti Poſidonius Stoicus parem virtutum numerum poſuit, ut a Laertio erudimur. Stoicos itaque, Platonem, Epicurum, & Ariſtotelem æmulatus eſſe videtur Cicero, ubi virtutes omnes ex quatuor illis oriri diſertè docuit. *Omne* enim, *quod boneſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliquâ. Aut enim id in perſpicientiâ veri, ſolertiâque verſatur; aut in hominum ſocietate tuendâ, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelſi, atque invicti magnitudine, ac robore, aut in omnium, quæ fiant, quæque dicuntur, ordine, & modo, in quo ineſt modeſtia, & temperantia (d)*, quam virtutis diviſionem admirabili deinde Philoſophorum omnium conſenſu receptam, atque probatam eſſe conſpicimus. Quinetiam divinâ Scripturarum auctoritate confirmari illa facilè poterit, ubi virtutes ipſæ veluti ſapientiæ fructus memorantur, *illa* nimirum *ſobrietatem, & prudentiam, & juſtitiam, & vir-*

(*a*) *Politic. VII. c. 1.* (*b*) *Republ. IV. & V.* (*c*) *Laer. III. ſ. 90.* (*d*) *Offic. I. c. 5.*

& virtutem docet (a); ideoque mirari certè non poſſumus ſi Patres omnes quatuor virtutes illas enumerant, illaſque principes & *cardinales* appellant (b), quòd ipſis tota virtutum ſeries, hominumque fælicitas veluti cardinibus innitatur.

Hanc itaque virtutum ſeriem, ac ordinem a Philoſophis omnibus, Patribus, diviniſque Literis mirificè commendatam ſervabimus; atque ita de quatuor iſtis virtutibus ſequentibus Capitibus diſſeremus, ut cæteras etiam virtutes omnes quæ ſub illis veluti generibus continentur, aut ab illis certè veluti fontibus oriuntur, meliori quo poterit ordine complectamur.

IX. Illud interim obſervaſſe juverit, quod in qualibet virtute virtutes aliæ veluti *comites*, ut inquit Cicero, ſpectari poſſunt, quæ tamen majoris claritatis gratiâ in *ſubjectivas*, *integrantes*, & *potentiales* diſtingui ſolent. Virtutes ſubjectivæ dicuntur illæ, quæ principaliori, nobiliorique virtuti ſubiiciuntur, ac veluti ſpecies ſub genere continentur. Integrantes verò, vel integrales, quæ cùm ipſâ nobiliori virtute tanquam partes conjunguntur, ut ex illis ipſius perfectio, vel integritas oriatur. Potentiales denique, quæ ad virtutis exercitium conferunt, ac veluti media, vel inſtrumenta quædam in exerendis virtutum actibus adhibentur. Itaque cum aliqua ex præcipuis illis virtutibus explicata fuerit, tum virtutes omnes, ſive ſubjectivæ, ſive integrales, ſive denique potentiales illæ fuerint, ſubiiciemus, cùmque virtutes omnes aliquibus vitiis opponantur,

 tur,

(a) *Sapient. c. 8. v. 7.* (b) *vid. Ambr. in Luc. c. 6. Hieron. in Matth. c. 1. Aug. de morib. Eccl. n. 25. al. c. 15.*

tur, atque ex virtutum indole, ſive naturâ vitia cognoſci poſſint, de ſingulis etiam vitiis diſſeremus, quæ cuilibet virtuti opponantur.

X. Antequam tamen de ſingulis virtutum ſpeciebus ordine ſuperiùs expoſito differamus, juverit aliqua de illarum nexu, vinculo, vel connexione præmittere, ut clariùs intelligi, vel definiri poſſit, quænam perfecta virtus, numeriſque omnibus abſoluta cenſeri debeat. Celebris eſt itaque Ariſtotelis, Epicuri, Stoicorum, aliorumque ſententia, quod virtutes ipſæ arctiſſimo fœdere inter ſe devinciuntur, ut nulla proinde virtus perfecta cenſeri poſſit, quæ cum ceteris virtutibus omnibus non conjungatur.

Cujus quidem ſententiæ etſi plures rationes afferri conſueverint, duæ tamen clariores adhiberi poterunt, quas Ariſtoteles ipſe *(a)*, Theophraſtus *(b)*, & Cicero [*c*] elegantiſſimè proſequuntur. Cùm itaque virtutes omnes a prudentiâ dirigi, vel definiri debeant, ut ſuperiori Capite oſtendimus, nec ulla virtus haberi poſſit, niſi prudentia modum, temperiem, & mediocritatem illam inquirat, ſive determinet, in quà virtutis eſſentiam collocatam eſſe jam diximus, clariſſimè apparet, quod ſi virtutes omnes cum prudentiâ conjunguntur, interſe quoque connexæ eſſe debent; ut proinde prudentia veluti commune virtutum omnium vinculum videatur, atque virtutes omnes, quæcumque illæ fuerint, in prudentiâ veluti communi matre contineantur.

Deinde verò perfecta virtus eſſe, vel haberi non poteſt niſi in circumſtantiis omnibus proprios

---

(*a*) *Eth. Nic. VI. c. 8.* [*b*] *apud Alexand. lib. II. de Ani. c. 41.* (*c*) *Tuſc. II.*

prios actus exerere, liberè, jucundèque operari poſſit, niſi nimirum omnia, quæ bonis, & honeſtis actibus opponuntur, libero, ac victrici virtutis impetu ſuperentur; quod certè fieri, ſive ſperari non poteſt, niſi animus ipſe omnibus ſimul virtutibus exornetur. Sic aliquis perfectè juſtus eſſe non poterit, niſi temperans fuerit; alioquin juſtitiam deſeret, ubi voluptatibus; ac illecebris irretiatur; ſi fortitudine careat, doloris metu juſtitiam violabit, ſi irâ, ſuperbiâ, vel quolibet alio vitio, affectu, vel ægritudine torqueatur, & ad malum inclinet, juſtè operari non poterit, niſi priùs virtutes illas acquirat, quæ vitiis, & affectibus ejuſmodi temperandis, ac evellendis diriguntur; quod cùm in ceteris virtutibus omnibus requiratur, clariſſimè apparet non poſſe virtutem ullam perfectam exiſtimari, quæ non modò vitiis ſibi oppoſitis, ſed illis etiam, qui omnibus virtutibus aliis opponuntur, reſiſtere debeat, ideoque cum virtutibus aliis inito veluti fœdere non conjungatur.

XI. Nec alia profectò ratio Stoicos graviſſimos virtutis aſſertores impulit, ut exiſtimarent *virtutes ſibi invicem ita eſſe connexas, ut qui unam habuerit, omnes habeat* (a); quemadmodum Chryſippus Stoicus *virtutes connexas docuit, non ſolùm quòd qui unam habet, omnes habeat, verùm etiam, quòd qui ſecundùm unam agit aliquid, idem agat ſecundùm omnes; & neque vir perfectus ſit, qui non omnes virtutes habeat, neque actio perfecta, quæ non fiat ſecundùm omnes* (b); quod pluribus exemplis Cicero (c), Seneca (d), aliique in-

(a) *Laer. VII. ſ. 125.* (b) *apud Plutar.* (c) *Fin. V. c. 23.*
(d) *Epiſt. 67.*

innumeri confirmarunt. His itaque Philoſophorum ſententiis, atque divinis Scripturarum authoritatibus eruditi nobiliores Eccleſiæ Patres hanc ipſam virtutum indolem, & connexionem agnoverunt, ſicuti certè D. Ambroſius aſſeruit, quod *connexæ ſibi ſunt, concatenatæque virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur* (a); quemadmodum D. Gregorius ait, quod *una virtus, ſinè aliis, aut nulla eſt, aut imperfecta eſt* (b). Quo loco obſervari maximè debet hoc admirabile virtutum omnium fœdus non cuilibet virtuti convenire; ſed illi ſolùm, quæ perfecta, ſtabilis, & abſoluta fuerit; quæ puriori, nobiliórique luce coruſcare videatur; quæ denique ſic animo inſederit, ut ab illo ſejungi, vel facilè divelli non poſſit. Si enim virtutis habitus tenuis admodum ſit, atque animum voluptatibus, vitiorumque illecebris irretiri, vel ad malum inflecti patiatur, tunc a ceteris virtutibus illa ſeparari facilè poterit: tantumque abeſt, ut cæteris omnibus conjuncta eſſe debeat, ut plurimis potiùs vitiis permixta eſſe poſſit; quemadmodum certè plurimos aliquâ virtute exornatos eſſe conſpicimus, in quibus tamen nullus aliarum virtutum ſplendor appareat, ſed illi vitiis, praviſque affectibus abripiantur.

XIII. Hinc explicari, vel conciliari facilè poterunt oppoſitæ Philoſophorum ſententiæ, quibus aſſeritur virtutes aliquando conjunctas, aliquando ſejunctas eſſe. Perfectæ nimirum virtutes, & *heroicæ*, quæ nempe in hæroicis, perfectiſque hominibus reperiuntur, conjunctæ eſſe debent; imperfectæ verò, quæ ſublimem non-

(a) *in Luc. c. 6.* (b) *Moral. XXII. vid. Aug. epiſt. 157. n. 5. al. c. 29.*

nondum, purioremque gloriam ſunt aſſequutæ, ita divelli poterunt, ut vitiis permixtæ videantur.

Hinc Ariſtoteles ipſe, qui dixerat quod nos *ad juſtitiam, temperantiam, fortitudinem, virtuteſque ceteras, ex quo naſcimur, apti ſumus*, & quod *ſimul cum prudentiâ, quæ una eſt, adveniunt omnes* (*a*), alibi tamen aſſerit *virtutes non eſſe inter ſe connexas; poſſe enim contingere; ut idem prudens ſit, ac juſtus, qui intemperans tamen, incontinenſque ſit* (*b*) quemadmodum Plató (*c*), & ex Platonis ſententiâ Apulejus (*d*) *virtutes* imperfectas *ſe comitari negat; at eas, quæ perfecta ſunt, individuas ſibi, atque connexas eſſe* (*e*). Sed hæc, aliaque id genus plurima clariùs, & uberiùs intelligi, ſive deduci poterunt, ubi de ſingulis virtutibus, illarumque proprietatibus diſſeramus.

C A P. III.

De Prudentia, ejuſque partibus.

I. EXimius certè, atque pulcherrimus virtutum omnium ſplendor haberi, vel eſſe ſolet, qui ardentes in nobis, ut inquit Cicero, excitaret amores ſi videretur; cæteris tamen nobilior cenſeri meritò poterit Prudentia, quæ principem proinde locum inter virtutes omnes obtinuit. Hinc illam virtutum omnium fontem, atque Reginam eſſe ait Epicurus; Socrates verò ita virtutes omnes cum

(*a*) *Eth. Nic. VI. c.* 8. (*b*) *ap. Laer. V. ſ.* 31. (*c*) *in Protag.* (*d*) *de Philoſ. Plat.*

cum prudentiâ conjunctas, & permixtas eſſe putavit, ut ab illâ ſplendorem omnem acciperent, & virtutes omnes veluti quædam prudentiæ partes viderentur, ideoque *prudentiæ* vocari poſſent. Ariſtoteles denique, etſi virtutes alias a prudentiâ diſtinctas eſſe voluerit, ipſam tamen veluti cæteris nobiliorem, puriorem que dixit; ut illa proinde meritò hoc ipſo loco, ſive diſputationis limine ſit explicanda.

II. Etſi verò prudentia a pleriſque cum ſcientiâ, ſive ſapientiâ confundi ſoleat, ut illam Cicero *in veri cognitione conſiſtere* dixit (*a*), Ariſtoteles tamen prudentiam ſic a ſapientiâ diſtinguit, ut ſapientiam eſſe velit *accuratiſſimam ſcientiarum* (*b*), *rerum honoratiſſimarum*, *vel multarum*, *& admirabilium rerum ſcientiam* (*c*); prudentiam verò rerum utilium, quæ bonæ, vel pravæ ſint, cognitionem; quæ non certiſſimis ac evidentibus; ſcientiarum inſtar, ſed plerumque dubiis, & probabilibus ſolùm principiis innixa ad honeſtatem dirigatur. *Ex quo fit, ut* plurimi *Anaxagoram*, *Thaletem*, *cateroſque id genus viros ſapientes quidem eſſe dicant, prudentes verò minimè quòd ignorare illos ea, quæ ſibi ſunt utilia, obſervent; callere verò interim eximia quædam, admirandaque & difficilia, atque divina, ſed nihilominus inutilia, prout quæ ſunt bona humana non quærunt* [*d*], quod innumeris etiam exemplis aliis oſtendi poſſet in iis, quos eximiâ quidem, ac admirabili ſapientiâ, ingenii gloriâ florere, ſed exiguâ tamen, ac nullâ fere prudentiâ præditos eſſe conſpicimus.

III.

(*a*) *Offic. I. c.* 6. (*b*) *Eth. Nic. VI. c.* 7. (*c*) I. *Rhet. c.* II. (*d*) *Ariſt. ibi.*

III. Hinc idem Cicero prudentiam ipſam definit *rerum expetendarum ſcientiam* [a], ſive *rerum bonarum, & malarum, & utrarumque ſcientiam* [b] quemadmodum Auguſtinus rerum *expetendarum, & vitandarum* [c] cognitionem eſſe definit. Clarior tamen eſt illa prudentiæ definitio, quæ ab Ariſtotele tradita a Philoſophis omnibus adhibetur. Illa nimirum dicitur eſſe *habitus verâ cum ratione activus in iis, quæ ſunt homini bona, vel mala* [d]. Dicitur habitus, ut illa cum cæteris virtutibus comparetur; hoc inſigni tamen diſcrimine, quod cæteræ virtutes omnes in voluntate; prudentia verò in intellectu veluti ſubjecto reperiatur. Dicitur *agere*, vel operari, ut diſtinguatur ab arte, quæ aliquid efficere exiſtimatur, ut in prudentis actione *finis*, ac *intentio*; in artificis opere *ſolertia*, vel *induſtria* commendetur. Additur deinde prudentiam ad illa dirigi, quæ bona, vel mala ſunt, ut a cæteris ſpeculativis habitibus diſtinguatur, qui ſolam veritatem veluti objectum conſiderant. Quemadmodum enim paullò ſuperiùs oſtendimus, ſapientia ad veritatem ipſam dirigitur, tantòque nobilior eſſe concipitur, quantò ſubtilior eſt illa cognitio, quæ acquiritur: prudentia verò dirigitur ad honeſtatem, tantòque perfectior erit quantò purior eſt honeſtas illa, quæ in humanis actibus producatur. Denique cæteris prudentiæ muneribus, ſive characteribus interſerit Ariſtoteles, illam cum verâ ratione operari, non modò quòd prudentia, aliarum virtutum inſtar, rationis lumine dirigatur; verùm etiam quòd ipſa

(a) *Offic.* I. *c.* . . . . (b) *De invent.* II. (c) I. *de lib. arb. n.* 27. *al. c.* 13. & 83. *quæſt. q.* 31. (d) *Eth. Nic.* VI. *c.* 5.

ipſa quoque prudentia ſit ratio quædam, & expetendarum, vel vitandarum rerum cognitio.

IV. Quod verò dixerit illam *cum verâ ratione* operari, non ita intelligi debet, ut illa ratio, cui prudens innititur, ſemper certa, ac invariabilis eſſe debeat, ut ille ſolâ veritatis imagine, ejuſque amore alliciatur, & nunquàm in exerendis actibus decipiatur; ſed ſolùm ut prudenter aliquis operari non poſſit, niſi ratione dirigatur, & ex variis etiam rationibus illam demum, rebus omnibus nitidè, accuratèque perpenſis, eligat, quæ ſibi melior, & veriſimilior appareat. Illa nimirum eſt humanorum actuum conditio, ut alibi quoque jam diximus, ut illorum bonitas, honeſtas, utilitas, & convenientia plerumque concipi, vel definiri non poſſit unde ſapientiſſimos etiam viros ita ſubinde ancipites eſſe conſpicimus, ut quam partem eligant, ſive quò flexibilem animi vim dirigant prorſus ignorent. Ubi itaque animum ſic ancipitem eſſe, vel fluctuare contigerit, ut alterutrâ ex parte variis rationibus, veluti ponderibus inclinetur, nec ullibi certus, atque clariſſimus veritatis ſplendor affulgeat, prudentis erit rationes omnes inquirere, ſingulas temporis, rerum, locique circumſtantias puriori, ac tranquillo rationis lumine, ſepoſitis, ac temperatis affectibus, quibus plerumque abripimur, in eam partem inflecti, quæ melior, ac probababilior appareat; ut, ſi deinde alterâ ex parte novus veritatis ſplendor affulgeat, ab inſtituto ſemel conſilio recedere debet, ut oppoſitum amplectatur. Quod ſi fortaſſe in eligendis actibus decipiatur, neque ipſe rerum eventus conſilio reſpondeat, error ille in tenuem ſolùm mentis humanæ cognitionem, in obſcuram rerum

rum

rum indolem, in liberam aliorum hominum voluntatem refundi poterit; ſed ille ſingulas prudentiæ partes implevit, qui conſilium illud elegerit, quod ſibi tunc melius, & optimum videbatur; ultimus nimirum rerum exitus perſpicaciores etiam humanæ mentis vires eludit, ac, ut eleganter inquit Poeta,

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſâ nocte premit Deus [a].

Hinc meritò Epicurus ipſe concludit, præſtabilius eſſe ratione bene inſtitutâ infælicem fieri, quàm malè inſtitutâ fælicem; atque ille meritò commendatur qui benè, ac prudenter elegerit, etſi non ex animi ſententiâ, vel infæliciter res ceſſerit, quàm ſi temere, aut inconſultò eligens, fælicem exitum conſequatur.

V. Exinde verò clariſſimè inferri poterit, tria prudentiæ munera, vel partes potentiales ab Ariſtotele [b], aliiſque Philoſophis ſatis accommodè numerari. Primò nimirum requiritur *ευβȣλία Eubulia*, ſive *recta conſultatio*, quâ prudens animus de rebus agendis deliberat, ut nihil temere, & inconſultò aggrediatur, ſed ſolo rationis lumine in eligendis, vel omittendis actibus dirigatur. Deinde verò requiritur, ut animus ipſe, ubi ſingula ritè diſcuſſerit, rectè deliberet, ſive dijudicet quid in his temporis, loci, rerumque circumſtantiis eligere, & amplecti debeat; unde illa prudentiæ pars *σύνεσις Syneſis* appellatur, quâ mens aliquid ſtatuat, decernat, judicet. Cùmque prudentia ad praxim dirigatur, *omniſque virtutis laus*, ut inquit Cicero [c], *in actione conſiſtat*, ultimò debet prudentia actum illum exerere, quem uti-

(a) *Horat. Ode III. ode 29.* (b) *Eth. Nic. VI. c. 10. 11. 12.* (c) *Offic. I. c. 6.*

utilem, ac honeſtum eſſe decreverit, hoc eſt imperare ut a virtutibus aliis, & exterioribus etiam potentiis, ſeu viribus producatur; unde hoc tertium prudentiæ munus γνώμη *Gnome*, ſive *ſententia*, vel imperium vocatur.

VI. Quandoquidem verò Prudentiæ virtus hæc ipſa munera fæliciter exequi, vel obire non poterit, niſi dotes, & perfectiones aliquæ in animo reperiantur, atque ipſi prudentiæ arctiſſimo, ac invariabili fœdere conjungantur, optimè ab Ariſtotele plures prudentiæ dotes, vel partes integrales enumerantur, quarum aliquæ ad conſultationem, aliæ ad judicium, aliæ denique ad imperium pertinent, animumque diſponunt, ut rectè fæliciter, & alacriter de rebus agendis conſultare, judicare, vel imperare poſſit.

1. Requiritur itaque primò rerum præteritarum *memoria*, quâ nitidè cognoſcantur illa, quæ in ſimilibus caſibus, ac iiſdem ferè temporis, & loci circumſtantiis fæliciter, vel infæliciter contigerunt. Cùm enim conſtans, perennis, ac invariabilis ferè ſit illa ſeries, quæ in effectibus obſervatur, ut effectus ſimiles ex cauſſis ſimilibus oriantur, clariùs intelligi fortaſſe non poterunt illa, quæ ſint futura, quàm ſi nitidè cognoſcantur illa, quæ ſemel contigerunt; & quamvis ex circumſtantiis ipſis maxima plerumque in negotiis, & incredibilis ferè varietas oriatur, quæ acre judicium, & ingenii ſolertiam requirit; maximus tamen ex præteritarum rerum cognitione futuris, & eligendis actibus ſplendor accedit. Hinc uſus, atque memoria *prudentiæ mater* vocatur [a]; hinc

(a) *Agell.* XIII. c. 8.

hinc ſenes, qui diuturno rerum experimento, ſive peracti jam temporis, & rerum memoriâ commendantur, prudentiores eſſe meritò exiſtimantur; hinc denique Ariſtoteles aſſerit ingenuos etiam juvenes facilè Geometricis, aliiſque ſcientiis erudiri perfectè poſſe, quòd ejuſmodi rerum cognitio ſolo ingenii acumine acquiratur; vix tamen, ac ne vix quidem prudentes haberi, quòd prudentia ab uſu, diuturnâque temporis experientiâ derivet, ut inquit Poeta.

Seris venit uſus ab annis (*a*).

ideoque Ariſtoteles (*b*) meritò admonuit veteribus, expertiſque credendum.

2. Deinde verò requiritur *intelligentia*, perfecta nimirum honeſtatis, illorumque principiorum cognitio, ex quibus actuum bonitas oriatur; quæ tamen intelligentia, ſive cognitio non vaga, & indifferens eſſe debet, ſed omnes etiam circumſtantias illas complecti, quæ in actibus ipſis reperiuntur, de quibus diſſeri, vel conſultari contigerit: ideoque hæc intelligentia veluti accurata rerum præſentium cognitio cenſeri poteſt. Niſi enim ſingula accuratiſſimè diſpiciantur, rectè aliquid eligi, vel judicari non poterit, ſed temere potiùs, ac imprudenter operabimur.

3. Tertiò requiritur, ut futura quoque, vel rerum exitus, quantum quidem fieri poterit, atque tenuis humanæ mentis imbecillitas ferat, prævideantur, unde *providentia* futurorum oriatur. Quæ tamen providentia, futurorumque cognitio nunquam ſic ſtabilis, certa, vel invariabilis haberi poterit, ut plerumque falli non poſ-

(*a*) *Ovid. Metam. VI. vid. & Eurip. in Phœniſ.* (*b*) *Eth. Nic. VI. c.* 12.

poſſit, cùm præſertim probabilibus ſolùm conjecturis innitatur; ſed prudentis erit illa ſolùm veluti futura circumſpicere, vel prævidere, quæ ex inſtituto conſilio, vel opere probabiliter ſequi plerumque ſolent; cùmque animus ipſe rerum exitus incertos admodum, & occultos noverit, ita alterutram partem amplecti debet, ut ſi quid etiam inſperatò contigerit, nullo dolore, vel ægritudine perturbetur: quemadmodum certè nulla imprudentiæ labes illi inuri poterit: cùm prudentes omnes in hoc mirificè conſentiant *culpam nullam eſſe cum id; quod ab homine non potuerit præſtari, evenerit* [a].

4. Sequitur deinde *ratio*, quæ præſentia cum præteritis, ſimulque futuris comparans, quid eligi, vel deſeri debeat, accuratiſſimè inquirat.

5. Cùmque in eligendis humanis actibus, & rerum amore partim ex ingenii tenuitate, partim ex affectibus ipſis, partim denique ex ingenito quodam amore, quo nos, noſtraque omnia nimiùm diligimus, plerumque decipiamur, ideoque nullus unquàm haberi, vel fingi poſſit, qui ſolo ingenii proprii lumine dirigatur; prudentis erit aliorum quoque monita, ſive conſilia patienter, ac hilariter etiam excipere, unde in prudente *docilitas* ineſſe debet.

6. Maximè tamen requiritur in prudente *ſolertia*, ſive *ſagacitas*, quâ media inquirere, vel eligere poſſit, quibus finis acquiratur. Eſt autem ſolertia celeritas quædam, perſpicacia, aut vivida quædam animi vis, quæ repente ſingula circumſpiciens fæliciter eligit illud, quod facilius, utilius, & conſequendo fini conducibilius viderit; tantòque vividior hæc animi

(a) *Cic. Tuſc.* III. *c.* 16. *&* *Liban. Decl.* 21.

mi vis, & celeritas eſſe debet, quantò obſcurior ſit rerum exitus, gravior conſilii ſuſcipiendi dignitas; & major temporis anguſtia, quæ deliberando, vel eligendo conceditur. Hinc meritò Salomonis prudentia mirificè commendatur, qui inopinatâ, ac celeri ratione matrum controverſiam diremit; atque etiam Antiochus, cui cum a C. Popilio Lenate diceretur *priuſquam hoc circulo excedas da reſponſum*, ſibi, ſuiſque rebus optimè conſuluit [a]. Quo loco obſervari facilè poterit in hac ipſâ rerum, vel temporis anguſtiâ tantam eſſe ingenii celeritatem, ut repente conſilium illud aliquando eligatur, quod pacato, ac tranquilio animo vix affulgeret, juxta celebre Poetæ dictum

O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium [b]!

ſive quòd animi vis, & ingenii ſplendor tunc vividiùs excitetur, atque ex inſtantis periculi timore alacriùs impellatur; ſive certè quòd celeritas ipſa novum conſilio decus adjungat, ideoque nos magis conſilium illud mirari, vel commendare ſoleamus, quod repente ſuſceptum fuerit, quàm illud, quod lentè, maturâ, ac diuturnâ meditatione tandem exſculptum ſit. Denique, etſi ſolertia, ſagacitas, ingenium ſimul plerumque facilè confundi poſſint, ita tamen a Philoſophis illa diſtingui ſolent, ut ingenium, atque ſagacitas in inquirendis, inveniendiſque mediis appareat; in exequendis verò, vel adhibendis illis ſolertia collocetur.

7. *Circumſpectio* quoque neceſſaria eſt, quâ ſingulæ operis, ſive negotii circumſtantiæ cognoſcantur; ideoque modus ille, ſive temperies adhibeatur, quæ ad optatum exitum conferre poſſit.

(a) *Val. Max. VI. c. 4. Liv. XLV.* (b) *Martial. epig. XIV.*

8. Cùm plurima denique offendi poſſint, quibus ſuſcepti conſilii fælicitas perturbetur, illa ſollicitè vitari, ſive caveri debent; ideoque poſtremo loco requiritur *cautio*, quâ prudenter adhibitâ optato fine, vel exitu prudentis animus perfruatur.

Quæ tamen omnia quamvis ſubtiliter inventa, vel expoſita ſint, ingenuè tamen fatendum eſt prudentiam ægrè doceri, ſive præceptis acquiri poſſe, ſed longè faciliùs, atque nobiliùs experimento, vel ſeriâ animi meditatione comparari: ut inutile proinde ſit minutiores alias prudentiæ leges exponere, quas Cicero, & Ariſtoteles uberrimè, & elegantiſſimè ſunt proſequuti.

VII. Illud potiùs hìc addi juverit Prudentiam ipſam in tres veluti ſpecies, vel ut Scholaſtici loquuntur, *ſubjectivas partes* ſatis accomodè diſtingui poſſe; privatam nempe, ſive *Monaſticam*; domeſticam, ſive *OEconomicam*; civilem denique, publicam, ſive *Politicam*. Monaſtica, ſive privata vocatur illa, quâ quilibet hominum ſeipſum dirigit, ideoque ad privatam hominis fælicitatem ordinatur. Domeſtica, vel OEconomica familiæ fauſtitatem, & perfectionem conſiderat; unde in Patribus familiâs reperitur. Civilis denique, ſive Politica ad publicam Urbis, Reipublicæ, vel imperii tranquillitatem, commodum, ac fælicitatem dirigitur, unde Principibus, aliiſque convenit, quibus ferendæ legis, judicandi, regendique munus committitur. Pro variis itaque hominum ſtatibus, ſive muneribus, & officiis, ideoque pro vario Prudentiæ genere, variæ diſtinctæque leges afferri ſolent, ut privata cujuslibet hominis, atque Familiæ; & publica Civitatis, ſive

Rei-

Reipublicæ fælicitas acquiratur. Cùm tamen illæ ex variis vitæ muneribus, vel hominum officiis oriantur, ibi commodiùs, atque oportuniùs exponi poterunt, ubi de ſingulis hominum ſtatibus, illorumque officiis diſſeretur.

VIII. Interim coronidis loco attexenda ſunt vitia, quæ prudentiæ opponuntur; cùmque prudentia ipſa, aliarum virtutum inſtar, inter utrumque extremum conſiſtere debeat, ſi animus fortaſſe ad alterutrum ex illis inclinet, contra prudentiam, ſive per defectum, ſive per exceſſum, peccabit.

Ac plurima certè ſunt illa vitia, quibus per defectum contra prudentiam peccatur, totidemque numerari illa poſſent, quot ſunt animi dotes, ſive prudentiæ partes, quas ſuperiori loco expoſuimus. Omnes tamen ad quinque revocari facilè poterunt, *ignorantiam* nimirum, *præcipitationem*, *inconſiderationem*, *inconſtantiam*, & *negligentiam*.

1. Peccatur itaque primò contra prudentiæ leges ſi neque præteritarum rerum cognitio, ſive memoria habeatur; neque ſingulæ præſentium circumſtantiæ, vel actus honeſtas inquiratur; neque futurus rerum exitus perpendatur, ſed temere, & inconſultò quodcumque animos noſtros illexerit, eligatur; *quod vitium effugere qui volet*, ut inquit Cicero, *omnes autem velle debent*, *adhibebit ad conſiderandas res*, *& tempus*, *& diligentiam* (a); *ut nihil aggrediatur temere*, *& cujus cauſſam probabilem reddere non poſſit* [b],

2. Huic errori proximè accedit *præcipitatio*, quâ animus ipſe libero, ac veluti effræni cupiditatis impetu abripitur, ut priùs aliquid eli-

 gat,

(a) *Offic. I. c. 6.* (b) *ibi c.....*

gat, quàm nitidè, diſtinctèque cognoverit quid eligi, vel potiùs omitti debeat.

3. Frequenter etiam in eligendis mediis peccatur, cùm illa ſubitò, temere, & *inconſideratè* eliguntur, quæ ad fælicem rerum exitum, optatumque finem minùs conducant. Quod ſi præclara quoque aliorum monita, ſive conſilia contemnantur, neque illis facilè animus inflectatur, indocilis ille vocari poterit: quod pervicaciæ vitium plerumque in levioribus, atque ſuperbis etiam ingeniis obſervamus.

4. Solertiæ opponitur *ſtupiditas*, & ignavia quædam, quâ purior animi vis ita retunditur, ut conſilium aliquod inire, vel medium amplecti non poſſit, quo repente propoſitum, veluti nodum dirimat; atque ex ambagibus illis, quibus undique premitur, ac irretitur, fæliciter evadat.

5. Quod ſi fæliciter quidem, & prudenter eligi quidpiam, ſive deliberari contigerit, neque tamen illa ſollicitè caveantur, quæ moras iniicere, vel ab inſtituto fine retardare non poſſunt, *incautus* animus diceretur, ideoque ab eximiâ prudentiæ laude prorſus excideret.

6. Poſtremò prudentiæ maximè opponitur *inconſtantia*, quâ vel a ſuſcepto ſemel conſilio diſcedimus, leviori quacumque aurâ hinc inde inflectimur, vel ſuſceptum certè conſilium exequi tandiu differimus, ut interim perturbatâ rerum ſerie, vel circumſtantiis, omnis deinde conſilii utilitas evaneſcat. Hinc celebre, & præclarum illud Biantis conſilium, *Aggredere tardè agenda, ſed aggreſſus age conſtanter* (a). Quo tamen loco obſervari meritò juverit, hanc

[a] *Laert.* I. *ſeg.* 87.

hanc ipſam flexibilem animi vim, veluti nobiliorem prudentiæ partem aliquando mirificè commendari. Ubi enim rerum agendarum ſeries ex inopinato quodam caſu varietur, verſatili quadam ingenii celeritate nova conſilia ſuſcipi debent; ut meritò proinde verſatile Catonis ingenium, quod imprudens, & inconſtans videri poterat, ſubtilioris tamen prudentiæ laudem accepit [a]: quemadmodum ferè moderata, ac lenta Q. Fabii conſilia Rempublicam incolumen ſervarunt (b); atque in omnibus ferè conſiliis lenta quædam, & pacata temporis diuturnitas plurimùm conferre ſolet, ut affectuum vis temperetur, rerum agendarum honeſtas nitidiùs perpendatur, ſapientum hominum conſilio animus confirmetur, ipsâ denique temporis diuturnitate meliora nobis conſilia proponantur; *eſt* enim *tarda illa quidem ſed tamen magna medicina, quam affert longinquitas, & dies* [c].

IX. Atque ejuſmodi quidem vitia, ſive peccata a pulcherrimo prudentiæ fine per defectum aberrant, efficiunt nimirum ut animus ad altiorem, nobilioremque prudentiæ gradum non perveniat. Sed alia quoque ſunt vitia, quæ ipſum prudentiæ finem excedunt, ut *prudentia carnis*, nimia, ac irrequieta *ſollicitudo*, & *aſtutia*, ſive *calliditas*.

1. Prudentia carnis a ſacris Literis (d) vocatur illa, quæ in divitiis, voluptatibus, aliiſque ſenſibilibus rebus inquirendis impenſiùs occupatur, ideoque dicitur *inimica Deo* (e), quòd animum ad cæleſtia, vel æterna factum veluti

 ti

(a) *Liv.* I. (b) *Liv.* XII. (c) *Cic. Tuſc.* III. c. 16. (d) *Rom.* c. 8. v. 6. [e] *Ib. v.* 7.

ti degenerem ad terrena deiiciat, ut humi ſerpere, ac irrequietâ cupiditate ibi beatitatem, fælicitatemque requirere videatur, ubi perfecta fælicitas haberi non poterit.

3. Immoderata quoque ſollicitudo, & anxietas illa, quâ in eligendis actibus, vel ineundo conſilio animus torquetur, ut nonniſi certiſſimis argumentis inniti, vel dirigi velit, prudentiæ opponitur: cùm in exerendis humanis actibus evidentia, vel certitudo haberi non poſſit, ſed conjecturis plerumque & probabilibus rationibus animus inflecti debeat, ut antea demonſtravimus.

4. Aſtutia denique, dolus, calliditas, quâ ſubdolis artibus alios irretire quis velit, & incautos animos fraudibus circumvenire, plurimùm veræ prudentiæ repugnat, quæ ſemper ad honeſtatem dirigitur; tantumque abeſt ut aliorum perniciem, vel incommoda quærere poſſit, ut ſanctiſſima potiùs humanæ ſocietatis fœdera ſervare debeat, aliorumque commoda, & totius etiam humani generis utilitatem, perenni quodam amore, vel ſtudio complectatur. Et certè dolus, aſtutia, ſive calliditas adhiberi non poterit niſi fides, amicitia, juſtitia, religio, & honeſtas omnis in animo extinguatur: atque illa miſerrima calliditatis, & fraudis indoles, ſive conditio eſſe conſpicitur, ut ſemper incerta, ac irrequieta eſſe debeat; puriorem veritatis ſplendorem perenni quadam formidine vereatur; novas ſemper artes, atque conſilia excogitare cogatur; atque iiſdem etiam plerumque fraudibus irretiatur, quibus alios irretiri poſſe crediderat; ut optimè proinde dixerit Tacitus *conſilia callida, & audacia expectatione læta, tractatu dura, eventu triſtia eſſe* [a]. Hinc

(a) *Annal. X.*

Hinc optimo, divinoque prorſus Chriſti conſilio erudimur (*a*), *prudentiam* cum *ſimplicitate* temperandam, & conjungendam eſſe, ipſam nempe ingenii ſubtilitatem, dexteritatem, & acumen cum fide, honeſtate, veritate, juſtitiâ, cæteriſque virtutibus omnibus conjungi debere, ut niſi proinde ſincerus virtutum illarum ſplendor accedat, ſincera prudentia, vel animi dexteritas haberi certè non poſſit.

CAP. IV.

De Juſtitia, ejuſque partibus.

I. AD eximium illum virtutis ſplendorem, quem Prudentiæ veluti virtutum omnium reginæ ineſſe jam diximus, proximè accedit Juſtitia, quæ proinde *virtutum praſtantiſſima* ab Ariſtotele nuncupatur, ut *neque Eſperus, neque Lucifer ſit adeo admirabilis* (*b*); nec virtus ulla nobilior videatur, quæque vividiùs in mortalium animis effulgeat. Illa nimirum cæteras virtutes omnes complectitur (*c*) juxta celebre effatum illud *Juſtitia in ſeſe virtutes continet omnes* (*d*), ut ille bonus, ac juſtus in ſacris etiam Literis appelletur, qui pulcherrimo virtutum omnium ſplendore exornetur; illa affectus omnes temperat, flexibilem arbitrii libertatem, ac irrequietos animi motus certis quibuſdam finibus circumſcribit; illa denique legum facem ſuppe-

(*a*) *Matth. c.* 10. *v.* 16. (*b*) *Eth. Nic. V. c.* 1. (*c*) *Jambl. epiſt. ad Anat.* [*d*] *Theogn. ap. Ariſt. Eth. Nic. V. c.* 3.

peditat, quibus humani generis ſocietas, Urbium tranquillitas, perfecta demum fælicitas conſervatur. Hinc meritò Tullius aſſeruit, quod in illâ *virtutis ſplendor eſt maximus, ex quâ viri boni nominantur* (a); quin etiam *ejus tanta vis eſt, ut nec illi quidem, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, poſſint ſinè ullâ juſtitiæ particulâ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui unà latrocinantur, furatur aliquid, aut clam eripit, is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum; ille autem, qui Archipirata dicitur, niſi æquabiliter prædam diſpertiat, aut occiditur, aut a ſociis relinquitur* (b). Quamvis verò plurima de eximio, ac illuſtri hoc virtutis genere dicta fuerint ubi de legibus, vel humano, ac divino jure loqueremur; aliqua tamen de Juſtitiâ ipsâ hoc etiam loco ſolitâ methodo diſſeremus, ut illius natura, munera, & partes omnes nitidiùs appareant.

II. Itaque Juſtitia a Philoſophis, ac Juriſconſultis omnibus definitur *conſtans, & perpetua voluntas ejus ſuum cuique tribuendi* (c); quæ definitio clarior eſt certè quàm ut uberiùs exponi debeat. Id unum obſervaſſe juverit *jus* appellari id, quod æquum, & juſtum, & cuique debitum eſt, unde etiam juſtitia ipſa plerumque *æquitas* vocatur; ideoque juſtitiæ virtus in hoc uno poſita eſt, ut cuique tribuere velit, id quod ipſi debitum ſit: illa nimirum juſtitiæ lumine mediocritas adhiberi, ſive ſervari debet, ut neque plus, neque minùs tribuatur, quàm debitum ſit, ſed æqualitas illa ſervetur, quæ juri, juſto, vel æquo reſpondeat atque inter illud, quod tribuitur, & id, quod tribui debet,

(a) *Offic. I. c. 7.* (b) *Offic. II. c. 11.* (c) *Leg. 10. ff. de inſtit. & jure.*

bet, perfecta paritas, & æqualitas reperiatur. Hinc præclarè Tullius admonuit, quod *jus ſemper quæſitum eſt æquabile, neque enim aliter eſſet jus (a)*; & Ariſtoteles (*b*) ipſe obſervavit, quod *Judex exæquat, dum velut linea in duas partes inæquales ſecta, quo major pars dimidium excedit, illud detrahit, & ad partem minorem addit (c)*, unde Judex græce δικαςὴς, ſive *diviſor* vocatur, quòd rem illam, de quâ differi, vel dubitari contigerit, ita dividat, ut ſuum cuique tribuatur, & quilibet partem æquo, juri, vel debito parem obtineat; ſive tantundem pretii, commodi, vel honoris recipiat, quantum illi iniquè, vel injuſtè furto, labore, dedecore ſublatum fuerat, ut proinde ſemper æqualitas, vel dati, & accepti paritas obſervetur. Quæ paritas, ideoque juſtitia in celeberrimâ *talionis*, vel ut Græci vocant, *reciproci pœnâ*, quæ in XII. Tabulis, & in ſacris etiam Literis [*d*] præſcripta fuerat, minimè ſervabatur; ſecus atque Pythagoricis videbatur, qui celebri fortaſſe Rhadamanti lege utebantur:

Æquum jus fuerit, ſi, quæ egit, quis patiatur (e). Quod enim ille, qui vulnus inflixerat, pari vulnere afficeretur, nihil prodeſſe poterat illi, qui priùs iniquè, & injuſtè vulnus acceperat; ideoque hæc talionis pœna, quæ ſolùm reum punire, non verò damnum reparare, vel ablatum reſtituere poterat, ſenſim extincta, vel abrogata fuit, & *poſtea Prætores permittebant ipſis, qui injuriam paſſi ſunt, eam æſtimare, ut judex vel tanti reum condemnet, quanti injuriam paſſus æſtimaverit, vel minoris prout ei viſum fuerit (f).*

III.

(*a*) *Offic. II. c. 8.* (*b*) *Ethic. Nic. V. c. 6.* (*c*) *vid. leg. 3. eod. Theod.* (*d*) *Ex. c. 21. v. 24. 25.* (*e*) *Ariſt. Eth. Nic. V. c. 8.* (*f*) *Inſtit. IV. tit. 4. §. 7.*

III. Ut verò, ſic explicatâ juſtitiæ naturà, illius quoque partes, ſive diviſio exponatur, illa diſtingui ſolet in *commutivam*, & *diſtributivam* vel, ut minùs accuratè loquitur Grotius [*a*], in *expletricem*, & *attributricem*. Commutativa juſtitia vocatur illa, quæ in contractibus, pactis, bonorum commutationibus obſervatur, ut quis tantumdem prorſus recipiat, quantum dederit. Diſtributiva verò dicitur illa, quæ in præmiis erogandis, infligendiſque pœnis pro variâ meritorum, ſive ſcelerum conditione adhibetur. Atque in utrâque certè juſtitiâ, ſive commutativa, ſive diſtributiva illa fuerit, paritas quædam, proportio, & æqualitas eſſe debet, alioquin injuſtitia foret, & *exinde prælia, & querelæ exiſterent, dum aut æquales non æqualia, aut non æquales æqualia ſortiantur (b)*; ſed hoc inſigne diſcrimen inter utramque juſtitiam reperitur, ut in commutativâ quidem ſervetur, æqualitas, ſive proportio *arithmetica*, ut illud nimirum, quod tribuitur, ſepoſitis, & excluſis omnibus loci, temporis, perſonarum circumſtantiis, prorſus æquale ſit illi, quod acceptum fuerat; ut ſi mercedis, agri, veſtis pretium decem aureorum æſtimetur, aurei decem mercatori numerari debeant: unde in juſtitiâ commutativâ, ſive contractibus non perſonarum dignitas, atque conditio; ſed potiùs res ipſæ, ſive ſola rerum dignitas, valor, & pretium ſpectandum ſit. At in juſtitiâ diſtributivâ non modò res ipſæ, vel actus ſpectari debent, ſed ipſa quoque perſonarum conditio, ſive temporis, & loci circumſtantiæ conſiderantur, & mer-

ces

(*a*) *Lib. I. c. 1. §. 8. vid. Puf. lib. I. c. 7. §. 9.* (*b*) *Ariſt. Eth. Nic. V. c. 6.*

ces illa, ſive pœna tribuitur, quæ pro variâ perſonarum indole deberi intelligitur. Quamvis enim unus, idemque actus a variis hominibus exeratur, meritum tamen, ſive demeritum variari concipitur pro variâ, vel inæquali perſonæ dignitate, ut nobilioris perſonæ nobilius meritum ſit, ignobilius ignobilioris; ideoque pœna, vel præmium illud, quod merito, ſive demerito par eſſe debet, in variis, ac inæqualibus perſonæ conditionibus inæquale erit futurum, & quantò nobilior eſt Princeps precario milite tantò nobilior, ac uberior ipſi victoriæ gloria, vel erepta hoſtibus ſpolia concedantur: etſi uterque pari ardore pugnaverit: quæ proportionis, vel æqualitatis ſpecies *Geometrica* appellatur; quòd nempe in illâ ſicut perſona ad perſonam, ſive ut meritum ad meritum, ſic pœna ſe habeat ad pœnam, ſive præmium ad præmium.

IV. Quandoquidem verò juſtitiam diſtributivam in hac ipsâ paritate, proportione, vel æqualitate poſitam eſſe jam diximus, clariſſimè inferri poterit, quod ſi paritas illa, vel æqualitas auferatur, ſanctiſſima juris norma, ſive juſtitia violatur; ideoque ſi Judex ex. gr. minorem pœnam infligat, ſive majorem mercedem eroget, quàm merito debeatur, atque a legibus ipſis præſcripta, vel definita fuerit, legem violare, ſive juſtitiam lædere exiſtimabitur.

Communis eſt tamen Juriſconſultorum opinio, quod aliquando legum ſeveritas temperanda eſt, ut mitior proinde pœna infligatur, quàm a lege ſancita ſit: *benigniùs enim leges interpretandæ ſunt, quò voluntas earum conſervetur* [a], idque

(a) *Celſus leg.* 18. *ff. de leg. ſenatuſque conſ.*

idque faciliùs ſi pœna ab ipſo Principe ſit infligenda, cui explicandæ, vel temperandæ legis poteſtas conceditur. Nec immeritò certè mitior illa legis temperies in pleriſque legibus adhibetur, tum quòd ipſa perditorum hominum conſilia, & exempla; mentis humanæ imbecillitas, & affectus ipſi levius aliquando ſcelus efficiunt; tum quòd humani, amantiſque Principis eſt aliquo pietatis ſenſu, incolumi tamen juſtitiâ, tangi; tum denique quòd ſatis legum dignitati, Civium tranquillitati, plenæque Reipublicæ fauſtitati conſultum videri poterit ſi ſeverior lex edita, graviorque pœna præſcripta fuerit, etſi libero deinde Principis arbitrio lex ipſa temperetur, ac mitior pœna infligatur; cùm nemo certè hanc ipſam legis temperiem, quæ ſolùm a libero Principis arbitrio dependet, ſperare, ſibique certò polliceri poſſit, ideoque ex incertâ conſequendæ veniæ fiduciâ liberiùs peccare.

V. Quo ad illas verò juſtitiæ partes, quæ integrales appellari meritò poſſunt, duæ a D. Thoma diſtingui ſolent, ut nimirum a malo declinet, & bonum, honeſtatemque amplectatur. Sed hæc ipſa juſtitiæ munera cæteris etiam virtutibus omnibus eodem, meliorique jure conveniunt, ideoque nullæ integrales partes in juſtitiâ diſtingui poterunt. Id unum potiùs cum D. Thoma obſervari poterit juſtitiam hoc inſigni diſcrimine a cæteris virtutibus diſtingui, quod illæ ad ſolum animi illius bonum, vel perfectionem dirigantur, in quo reperiuntur, juſtitia verò ad alterius quoque bonum dirigatur, vel exerceri non poſſit, niſi præter animum, cui juſtitiæ virtus inhæreat, alius etiam reperiatur, cui aliquid deberi, vel tribui dicatur; ideo-

ideoque nemo erga ſeipſum juſtus, vel injuſtus vocatur; niſi fortaſſe in uno, eodemque homine duplex veluti perſona diſtinguatur, ut uberiùs alibi oſtendetur cum de officiis hominis erga ſeipſum diſſeretur.

VI. At plurimæ certè virtutes aliæ in juſtitia veluti ſubjectæ continentur, ſive ex puriſſimo juſtitiæ fonte dimanant. Sex diſtinctas illarum ſpecies enumerat Cicero, *religionem*, nimirum, *pietatem*, *gratiam*, *vindicationem*, *obſervantiam*, *veritatem*, quibus alibi, *liberalitatem*, & *amicitiam* adjungit, ut octo demum juſtitiæ partes à Cicerone, aliiſque Philoſophis memoratas habeamus. Deinde verò de ſingulis ediſſerens Cicero ait *Religionem eam* eſſe, *quæ in metu, & cæremoniâ Deorum ſit. Pietatem, qua erga Patriam, aut parentes, aut alios ſanguine conjunctos officium conſervare moneat. Gratiam, qua in memoriâ, & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum obſervantiam teneat. Vindicationem, per quam vim, & contumeliam defendendo, aut ulciſcendo propulſamus a nobis, & a noſtris, qui nobis eſſe chari debent; & per quam peccata punimus. Obſervantiam, per quam ætate, aut ſapientiâ, aut honore, aut aliquâ dignitate antecedentes reveremur, & colimus. Veritatem, per quam damus operam ne quid aliter, quàm confirmaverimus, fiat, aut factum, aut futurum ſit* [a].

Liberalitas verò, ſive beneficentia definitur illa, quæ circa pecunias, aut cætera, quæ liberaliter erogari contigerit, modum tuetur, ac efficit ut in erogandis illis mediocritas quædam, proportio, vel æqualitatis habeatur. Quam-

---

(a) *de Invent.* II. *c.* 22.

Quamvis autem liberalitas ipſa cum beneficentiâ facilè confundi poſſit, ſic tamen Cicero, & Ariſtoteles beneficentiam a liberalitate diſtinguit, ut velit liberalitatem circa pecunias verſari, cùm beneficentia ad quælibet bonorum genera dirigatur.

Ultimo demum loco ponitur Amicitia, quâ *nihil melius*, *nihil jucundius* eſſe teſtatur Cicero, ut *una ſit amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore conſentiant .... Serpit enim neſcio quomodo per omnium vitas amicitia, nec ullam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui. Quinetiam ſi quis eâ aſperitate eſt, & immanitate naturæ, ut congreſſus, & ſocietatem hominum fugiat, atque oderit, tamen is pati non poſſit, ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis ſuæ* [a]; ut meritò proinde dixerit Epicurus quod *omnium rerum, quas ad beatè vivendum comparavit ſapientia, nihil eſt amicitiæ poſſeſſione majus* [b].

VII. Optimo verò, maximoque jure amicitia ad æquitatem, ſive juſtitiam refertur, non modò quòd illa ex hominum naturâ, vel indole oriatur, ut homines beati, ac fælices eſſe non poſſint, niſi perenni quodam, ac jucundiſſimo ſocietatis, & amicitiæ fœdere conjungantur, ut ex Epicuro, vel Cicerone jam diximus; verùm etiam quòd amicitia ipſa homines illos, in quibus exarſerit, pares inveniat, aut faciat, ut nulla proinde æqualitas major haberi, vel fingi poſſit, quàm quæ inter amicos reperiatur. Si enim affectus conſideres, illi in amicis omnino ſimiles eſſe debent, ut amicitia ſit *voluntatum, ſtudiorum, ſententia-*

rum

(a) *Cic. de Amic. c. 23.* (b) *ap. Laert. X.*

rum conſenſio ſumma; ſive *omnium rerum, conſiliorum, & voluntatum ſine ullâ exceptione communitas. Eſt enim amicitia nihil aliud, niſi omnium divinarum, humanarumque rerum cum benevolentiâ, & charitate ſumma conſenſio: quâ quidem haud ſcio, an exceptâ ſapientiâ quidquam melius homini ſit a Diis immortalibus datum* [a]; unde illos faciliùs, atque vividiùs conſtanti amoris, & amicitiæ vinculo devinciri conſpicimus, in quibus eadem patria, ſtudia, mores, ætas, ac indoles reperiatur; & eximium hunc amicitiæ ſplendorem minui, vel extingui, ubi ſtudiorum, & affectuum diſparitas oriatur; *diſpares enim mores diſparia ſtudia ſequuntur, quare diſſimilitudo diſſociat amicitias* [b].

Sin verò divitias, honores, aliaque id genus corporis, atque fortunæ bona conſideres, inæqualia certè in amicis hæc eſſe poterunt; ſed amicitia tamen illa amicis omnibus veluti communia reddere plerumque ſolet. *Idque faciendum eſt omnibus, ut ſi quam præſtantiam virtutis, ingenii, fortunæ conſecuti ſunt, impertiant eam ſuis, communicentque cum proximis* [c]; præcipua ſiquidem charitatis, benevolentiæ, amicitiæ lex eſt, juſta celebre effatum illud *amicorum omnia communia (d), ut ii, qui ſunt in amicitiæ, conjunctioniſque neceſſitudine ſuperiores, exæquare ſe cum inferioribus debeant; ſic inferiores dolere non debere ſe a ſuis amicis aut ingenio, aut fortunâ, aut dignitate ſuperari (e)*.

VIII. Sed hæc pulcherrima amicitiæ munera illi ſolùm ineſſe poſſunt, quæ ſincera, ac honeſta fuerit, quæ nimirum, ut Ariſtoteles ait, in

(a) *Cic. de Amic. c.* 6. (b) *ib. c.* 20. (c) *Cic. Offic. l. c.* 16. (d) *ib. c.* 19. (e) *ib. c.* 20.

in honeſtate fundata ſit, vel, ut inquit Cicero, *ſinè virtute eſſe nullo pacto poteſt* [a], quæ non alias amori vices, ac mercedem aliam rependi velit, quàm amorem. Si enim amicitia utilitatem, ſeu voluptatem inquireret, illa non amorem, ſed voluptatem ipſam, ac utilitatem veluti finem reſpiceret; illa par pari, vel amorem amori non redderet; illa ſanctiſſima juſtitiæ, vel æquitatis jura violaret; illa denique perennis, & conſtans eſſe non poſſet; ſed quemadmodum ſolo voluptatis, ac utilitatis amore ſuſcepta fuerat, ita quoque voluptatis, & commodi ſtudio facilè reſcindi poſſet: unde præclarè inquit Cicero *mihi quidem videtur qui utilitatis cauſsâ fingunt amicitias, amabiliſſimum nodum amicitiæ tollere; non enim tam utilitas parta per amicum, quàm amici amor ipſe delectat* [b].

Ut itaque amicitia perennis haberi poſſit plurimæ leges ab Ariſtotele [c], aliiſque ſapientiſſimis viris æditæ ſunt, quas eleganter admodum, & accuratè Cicero exponit, ut plurimùm proinde deceat illarum aliquas ipſius ferè verbis, atque coloribus expreſſas, hìc exhibere.

IX. *Prima* itaque *lex amicitiæ ſanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati.* Deinde *ut ab amicis honeſta petamus, amicorum cauſsâ honeſta faciamus: ne expectemus quidem dum rogemur* [d]. *Addendum eodem eſt, ut ne criminibus aut inferendis delectetur amicus, aut credat illatis .... eſt enim boni viri hæc duo tenere in amicitiâ, primum nequid fictum ſit, neve ſimulatum; apertè enim odiſſe magis ingenui eſt, quàm*

(a) *ib. c.* 10. (b) *Cic. Amic. c.* 14. (c) *Ethic. Nic. VIII. c.* 7. 8. 9. 10. (d) *c.* 13.

quàm fronte occultare ſententiam. Deinde non ſolùm ab aliquo allatas criminationes repellere, ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum ſemper aliquid exiſtimantem eſſe ab amico violatum. Accedat huc ſuavitas quædam oportet ſermonum, atque morum, haud quaquam mediocre condimentum amicitiæ. Triſtitia autem, & in omni re ſeveritas habet illa quidem gravitatem, ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem, facilitatemque proclivior. Illud etiam in amicitiis ineundis cordi eſſe debet, *ut ne nimis citò diligere incipiamus, neve non dignos; digni autem ſunt amicitiâ, quibus in ipſis ineſt cauſſa cur diligantur .... Sed plerique, neque in rebus humanis quicquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit, & amicos tanquam pecudes eos potiſſimùm diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos: ita pulcherrimâ illi, & maximè naturali carent amicitiâ per ſe, & propter ſe expetitâ ... ipſe enim ſe quiſque diligit, non ut aliquam a ſeipſo mercedem exigat charitatis ſuæ, ſed quòd per ſe ſibi quiſque charus eſt: quod niſi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur, eſt enim is, qui eſt tanquam alter idem ... Quod cum optimum, maximumque ſit, ſi id volumus adipiſci, virtuti opera danda eſt, ſine quâ neque amicitiam, neque ullam rem expetendam conſequi poſſumus; eâ verò neglectâ, qui ſe amicos habere arbitrantur, tum ſe denique erraſſe ſentiunt quùm eos gravis aliquis caſus experiri cogit. Quocirca cum judicaris, diligere oportet, non cum dilexeris, judicare ... Quod ſi in ſcenâ, ideſt in concione, in quâ rebus fictis, & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet ſi mo-*

do id patefactum, & illuſtratum eſt, quid in amicitiâ fieri oportet, qua tota veritate perpenditur; in quâ niſi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumque oſtendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas, ne amare quidem, aut amari poſſis, eum id quàm verè fiat, ignores (a).

X. Atque iſta de amicitiâ, ejuſque legibus dicta ſint, ut intelligi poſſet quibus illa finibus circumſcribi, ſive luminibus exornari debeat, ut virtutis, & juſtitiæ ſplendorem habere, atque ad perfectam hominis tranquillitatem, fælicitatemque conferre poſſit. Aliqua tamen de amicitiâ ipsâ attexenda erunt inferiùs ubi de communi generis humani ſocietate, ejuſque viribus, & officiis differemus: quemadmodum ibi fuſiùs, & oportuniùs de Religione, pietate, obſervantiâ, vindicatione, veritate, gratiâ, aliiſque juſtitiæ partibus diſputabimus, quas ſuperiori loco breviſſimè complexi ſumus.

XI. Nunc illa peccata, ſeu vitia exponi debent, quibus eadem juſtitia lædi, ſive violari poterit. Itaque juſtitiæ virtus, aliarum virtutum inſtar, defectu, vel exceſſu offendi poterit: cum nempe æqualitas illa, mediocritas, ſive proportio non ſalvetur, quam ad juſtitiam requiri, vel in quâ juſtitiæ ſplendorem collocatum eſſe jam diximus; ſed plus, aut minùs æquo conceditur. Id clariſſimè in juſtitiâ commutativâ, ſive diſtributivâ deprehendi poteſt, ubi nimirum pretium labori, honor injuriæ, compenſatio damno, præmium virtuti, vel ſceleri pœna non æquetur; quin etiam liberalitas ipſa, vel beneficentia vitioſa eſſe poterit, *ſi obſit benignitas & iis ipſis, quibus benignè videbitur*

(a) *ib. c.* 26.

bitur fieri, *&* *cæteris*; ſi *benignitas major ſit quàm facultas*, ſi denique *beneficium ſinè delectu tribuatur* (*a*).

XII. Nullibi tamen fortaſſe faciliùs contra juſtitiam, ſive gratiam peccatur, quàm cum ingrati ſumus; ubi nimirum beneficii memoriam facilè extinguimus, aut certè amori, ac beneficentiæ nonniſi injuriis vices rependimus: unde Seneca inquirens *cur actio non detur adverſus ingratum*? illud in cauſsâ fore reſpondet, quod *hoc frequentiſſimum crimen nuſquam punitur, ubique improbatur: ſed, cùm difficilis eſſet incerta rei æſtimatio, tantum odio damnavimus, & inter ea reliquimus, quæ ad vindices Deos mittimus* (*b*). Nec immeritò certè hoc ingrati animi vitium gentes omnes odio maximo proſequuntur, ac impensè execrantur quòd pulcherrimæ virtuti, ſive gratiæ, quæ in ſe ferè virtutes omnes complectitur, opponatur: *hæc enim una virtus non ſolùm maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid eſt* enim, ut præclarè optimèque ait Cicero, *pietas, niſi voluntas grata in parentes? qui ſunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, niſi qui patriæ beneficia meminerunt? qui ſancti, qui religionem colentes, niſi qui meritam Diis immortalibus gratiam juſtis honoribus, & memori mente perſolvunt? quæ poteſt eſſe jucunditas vitæ ſublatis amicitiis? quæ porrò amicitia poteſt eſſe in ingratos? Quis eſt noſtrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui, atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipſe altus, aut doctus eſt cum gratâ recordatione in mente verſetur? cujus opes tantæ*

(*a*) *Cic. Offic.* I. c. 14. (*b*) *de Benef.* I. c. 6. 7. *&c.*

eſſe poſſunt, aut unquam fuerunt, quæ ſine multorum amicorum officiis ſtare poſſint? quæ certè ſublatâ memoriâ, & gratiâ nulla extare poſſunt. Equidem nil tam proprium hominis exiſtimo, quam non modò beneficio, ſed etiam benevolentiæ ſignificatione alligari; nihil porrò tam immane, tam ferum, quàm committere, ut beneficio non dicam indignus, ſed victus eſſe videar [a].

XIII. Ex iis verò, quæ hactenus de juſtitiâ, vel vitiis juſtitiæ oppoſitis dicta ſunt, facilè dirimi poterunt quæſtiones illæ, quæ ab Ariſtotele, aliiſque pluribus fieri ſolent; utrum nempe volenti fieri poſſit injuria? ac utrum gravius ſit injuriam pati, vel facere? Facile nimirum reponi poterit gravius, & iniquius eſſe injuriam alteri inferre, quàm ipſam pati. Qui enim patitur, nullum jus lædit, ideoque injuſtus eſſe, ſive peccare non poterit; ille verò, qui injuriam alteri intulerit, a jure deflectit, ideoque puriſſimas juſtitiæ, vel æquitatis leges offendit, & iniquus haberi debet.

Et quamvis etiam volenti, & conſentienti vis, & injuria inferatur, ſemper tamen æterna juris, juſtitiæ, vel honeſtatis præcepta violantur, quæ privato cujuslibet hominis arbitrio, ſeu voluntate variari non poſſunt; ideoque etiamſi quis injuriam non modò liberè, ſed libenter etiam excipiat, ut olim Martyres, & Sancti viri calumnias, dolores, & mortem ipſam mirâ alacritate, deſiderio, ac voluptate perferebant, ſemper tamen injuria legi contraria cenſeri debet, adeoque ſemper injuſta, vel iniqua erit. Nulla tamen contumelia volenti irro-

(a) *Cic. orat. pro Planc.*

rogabitur, ut conqueri deinde, vel offendi poſſit; unde celebris eſt Juris regula, quod *ſcienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus* [a].

CAP. V.

De Fortitudine, ejuſque partibus.

I. SApientiſſimus ille imperator Ageſilaus, cum ab ipſo quæreretur *juſtitiane foret, an fortitudo melior?* dixiſſe fertur *ſi omnes juſti eſſent, fortitudine nihil opus fore.* Ac certè ſi homines ſinguli puriſſimas æquitatis leges ſuperiùs expoſitas ſervare, ipſiſque dirigi vellent, nemo injurias repellere, vel patriam urbem tueri, vel pro liberis, fortunis, vitâque ipsâ fortiter, conſtanterque dimicare cogeretur. Sed cùm in pleriſque hominibus tenuiſſimus æquitatis, pietatis, religionis amor appareat, & humanus animus voluptate, invidiâ, aliiſque affectibus in aliorum perniciem aſſiduis veluti ſtimulis incitetur, ideoque plurima incommoda ex omni parte nobis immineant, ad tranquillam, pacatamque hominis fauſtitatem requiritur fortitudo, quâ objecta mala repellere, vel ſi repellere certè non liceat, alacriter ferre ille poſſit, ut nimius proinde metus, ac dolor temperetur.

II. Hinc optimè fortitudo a Cicerone definitur *animi affectio cum in adeundo periculo, & in labore, ac dolere patiens tum procul ab omni me-*

(a) *Reg. 27. Jur. Can. in VI.*

metu (*a*); ſive etiam breviùs *conſiderata periculorum ſuſceptio*, *& laborum perpeſſio* (*b*); quemadmodum a Stoicis definiri conſueverat *conſtitutio ſtabilis judicii in iis rebus, quæ formidoloſa videntur, ſubeundis, & repellendis* (*c*). Illa nimirum circa pericula verſari debet, quæ aut ſubeunda fortaſſe fuerint, ubi id religio, neceſſitas, pietas exigat, ut ſi pro patriâ, ſive pro Principe in juſto bello ſit dimicandum; aut repellenda, ſi aliunde nobis immineant; aut denique alacriter, & conſtanter ſuſtinenda, ſi repelli, ſive vitari non poſſint.

III. Hæc ipſa tamen conſtantia, vel animi vis, mediocris, ac moderata eſſe debet; alioquin audacia, feritas, ſive temeritas vocaretur. Itaque *fortitudo*, ut præclarè inquit Agellius, *non ea eſt, quæ contra naturam monſtri vice nititur, ultraque modum ejus egreditur, aut ſtupore animi, aut immanitate, aut quadam miſerâ, & neceſſariâ in perpetiendis doloribus exercitatione, qualem fuiſſe accepimus ferum quendam in ludo Cæſaris gladiatorem, qui cum vulnera ejus a Medicis exſecabantur, ridere ſolitus fuit; ſed ea vera, & proba fortitudo eſt, quam majores noſtri ſcientiam eſſe dixerunt rerum tolerandarum, & non tolerandarum, per quod apparet eſſe quadam intolerabilia, quibus fortes viri aut obeundis abhorreant, aut ſuſtinendis* (*d*). Itaque præclarè fallimur, & eximio fortitudinis nomine abutimur cum *dicimus & gladiatorem fortem virum, & ſervum nequam, quem in contemptum mortis temeritas impulit* [*e*]; quemad-

(*a*) *Cic. Tuſc. V.* (*b*] *Idem de Invent. II.* (*c*) *Tuſc. IV.* (*d*) *lib. XII. c. 5.* (*e*) *Sen. Benef. II. c. 34.*

admodum certè Ariſtoteles inſanos illos appellat, & doloris expertes, qui nihil formident, *quales dicunt eſſe Celtas, qui ne ipſos quidem terramotus, aut procellas timent* [a].

Plerique etiam fortitudinis voce abutuntur, dum fortes illos appellant, qui eximio, ac ſingulari corporis robore, vel firmitate præcellant. Ipſa nimirum virtus in animo, non in corpore ſpectari debet; & quamvis aliquis infirmo corpore, fractiſque viribus ſit, dummodò in ſuſcepto ſemel conſilio immobilis perſeveret, nullis illecebris, nullâ formidine, nullis affectibus perturbetur; ſed cedere neſcius, adverſæ fortunæ viribus æquabilem ſemper, ac tranquillum animum opponat, eximiam tamen fortitudinis laudem merebitur. Hinc optimè obſervat Cicero, quod, licèt illa, quæ fortiter, & excellenter in bello geſta ſunt, quaſi pleniore ore laudentur; non minor tamen gloria debetur illis, qui in pace, civiumque ſocietate res præclarè, fortiterque ſuſceperint; &, *cum plerique arbitrentur res bellicas majores eſſe, minuenda eſt hac opinio, quoniam*, inquit, *ſi verè volumus judicare, multa extiterunt urbana majores, quàm bellica* (b).

IV. Neque ſolùm mediocris hæc animi conſtantia, vel moderata eſſe debet, ut fortitudinis nomen, laudemque obtineat; ſed illud etiam in primis requiritur, ut honeſta ſit, vel ad honeſtatem, & juſtitiam dirigatur, nihilque aggrediatur, quod a pulcherrimo honeſtatis ordine abhorreat. Hinc Ariſtoteles ait *par eſſe virum fortem non neceſſitate, ſed honeſtate excitari* (c);

quem-

(a) *Eth. Nic.* III. c. 9. (b) *Offic.* I. c. 22. (c) *Ethic. Nic.* VII. c. 11.

quemadmodum Cicero aſſeruit *fortes, & ſapientes viros, non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta* [a]; ideoque ſi quis voluptatis amore, vel ſolâ privati commodi cauſsâ contra honeſtatis, fidei, pietatis, & amicitiæ jura fortiter aliquid, & præclarè gereret, fortis haberi non poſſet; tantumque abeſt, ut apud æquos rerum judices laudem conſequi poſſet, ut potiùs infamiam, vel dedecus meretur. Hinc reprehendi quoque meritò poterunt,

——— qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu, vitamque peroſi
Projecere animas [b],

qui leviſſimâ nimirum cauſsâ, ut inanis gloriæ cupiditate, dedecoris, ac infamiæ formidine, in ſeipſos violentas manus injecerunt, ac audaci quodam, & maximo fortitudinis, & conſtantiæ genere ſeipſos peremerunt, ut de Catone, Lucretiâ, aliiſque pluribus memoratur; *ſi tamen adhuc dicenda eſt fortitudo, qua ita his malis vincitur, ut hominem, quem ſicut virtus regendum, tuendumque ſuſcepit, non modò non poſſit per patientiam conſervare, ſed ipſa inſuper cogatur, occidere ... utrum obſecro Cato ille patientiâ, an potiùs impatientiâ ſe peremit? non enim hoc feciſſet niſi victoriam Cæſaris impatienter tuliſſet. Ubi eſt fortitudo? Nempe ceſſit, nempe ſuccubuit, nempe uſque adeo ſuperata eſt, ut vitam beatam derelinqueret, deſereret, fugeret* [c]. *

V. De variis modò fortitudis partibus loquuturis

(a) *Orat. pro Milon.* (b) *Virg. Æn. VI. v. 234.* (c) *Aug. Civ. XIX. c. 4.*

* Rebus in adverſis facile eſt contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.
Mart. II. epigr. 68.

turis obſervari facilè poterit; quod variæ in illâ ſpecies, vel ſubjectivæ partes, ut inquiunt, diſtingui minimè poſſunt, quòd ipſius materia anguſtioribus veluti finibus ſit circumſcripta, ut ad varias ſpecies extendi non poſſit. Niſi fortaſſe putaveris, quod totidem fortitudinis ſpecies diſtingui poſſint, quot ſunt illa malorum genera, quæ ab animo, fortitudinis viribus, ſuperentur; ut una proinde fortitudinis ſpecies in exilio leniter ferendo, altera in paupertate, altera in ægritudine leniendâ, altera in contemnendâ morte verſetur; cùm certè videamus aliquos leviter honoris jacturam, non verò divitiarum ferre; alios æquabili prorſùs, & tranquillo animo dolores perpeti, qui in patriæ, liberorum, bonorumque diſcrimine lacrimis temperare vix poſſunt; ideoque nova, ſive diſtincta ferè fortitudinis virtus requiritur, ut variis ejuſmodi rebus, & affectibus temperies, ac juſta mediocritas adhibeatur.

VI. Integrantes verò fortitudinis partes quatuor a Cicerone numerantur, *magnificentia*, *fidentia*, *patientia*, *perſeverantia*. *Magnificentia eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi amplâ quadam*, & *ſplendidâ propoſitione agitatio, atque adminiſtratio*. *Fidentia*, ſive fiducia *eſt, per quam magnis, & honeſtis in rebus multam ipſe animus in ſe fiducia certâ cum ſpe collocavit*. *Patientia eſt honeſtatis, aut utilitatis cauſsâ rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio*. *Perſeverantia eſt in ratione bene conſideratâ ſtabilis, & perpetua permanſio* (a).

VII. Nihil eſt verò cur vitia fortitudini oppo-

(a) *De Invent.* II.

poſita numeremus, cùm illa ſatis expoſita, vel expreſſa fuerint ubi de fortitudinis indole, naturâ, muneribus loqueremur. Cùm enim fortitudo juxta Ariſtotelem ſit *mediocritas inter audaciam, & timorem conſtituta* (a), clariſſimè apparet, quod illi per exceſſum opponitur *audacia;* per defectum verò *timor*, ac *ignavia*: ſicuti fidentia inter *temeritatem*, ac *diffidentiam* veluti extrema reperitur. Magnificentiæ per exceſſum opponitur *ſuperbia*, vel *animi elatio;* per defectum verò *puſillanimitas*, vel *animi abjectio*: patientiæ opponitur *perturbatio*, & immanitas; perſeverantiæ denique *volubilitas*, & *pervicacia*, vel *pertinacia*. Sed hæc clariora certè ſunt, quàm ut fuſiùs exponi debeant.

VIII. Plurima potiùs attexenda fortaſſe viderentur, quæ a ſapientiſſimis viris, atque inprimis a Stoicis inventa, vel expoſita ſunt, quibus hæc ingenita animi vis, ac fortitudo vividiùs excitari, atque omnibus adverſis rebus occurrere, dolorem, jacturam, ægritudines, exilium, ac mortem ipſam lenire, atque alacriter ſubire poſſit. Sed hæc innumera propemodum forent, ideoque commodiùs, atque jucundiùs aliis ex fontibus, præſertim ex Seneca, vel Cicerone repeti poterunt, qui de ipſis eleganter admodum, & accuratiſſimè diſſeruerunt. Id unum obiter addidiſſe juverit, quod *grande in calamitatibus ſolatium eſt culpâ vacare* (b); & quod *præmeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quæ venientia longè ante videris ... ideoque quoniam multum poteſt præviſio animi, & præparatio ad minuendum dolorem*,

(a) *Ethic. Nic.* III. *c.* 9. (b) *Crantor apud Plutar. conſol. ad Apoll.*

rem, ſint ſemper omnia homini humana meditata: nimirum hac illa præſtans, & divina ſapientia perceptas penitus, & pertractatas humanas res habere, nihil admirari, cum acciderit; nihil antequam evenerit, non evenire poſſe arbitrari (a).

CAP. VI.

De Temperantia, ejuſque partibus.

I. NUnc adeunda nobis eſt ultima virtutum ſpecies, quæ temperantia, moderatio, ſive modeſtia vocari ſolet; ideoque virtutes omnes ita complectitur, ut omnis honeſtatis, & decori ſplendor in illâ reperiatur. *Hoc* enim *loco*, ſive virtutis genere, *continetur id, quod dici latinè decorum poteſt, græcè enim* πρέπον *dicitur, cujus vis ea eſt, ut ab honeſto non queat ſeparari; nam & quod decet, honeſtum eſt, & quod honeſtum eſt, decet (b).* Hinc illam meritò Pythagoras velut *animi robur* [c], Socrates *virtutis fundamentum; bonorum omnium ornamentum* Plato; *pulcherrimorum habituum munimen* Jamblychus *(c)*; plurimi denique *prudentiæ conſervatricem (d)* mirificè commendarunt. Sed ab Auctoribus illis Temperantia ampliori quadam ſignificatione plerumque ſumitur, ut omnem animi modeſtiam, mediocritatem, ideoque virtutes omnes illa quodammodo complectatur.

II. Sin

(a) Cic. Tuſc. III. c. 14. (b) Idem Offic. I. c. 27. (c) Jambl. (d) Ariſt. Ethic. Nic. VII. c. 5. Stob. ſer. 5. vid. Plat. in Crat.

II. Sin verò, aliarum virtutum inſtar, quas hactenus enumeravimus, illa clariori, peculiarique ſenſu accipiatur, definiri poterit cum Cicerone *rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio (a)*. Illa nimirum corporeas ſenſuum illecebras, corporis motus, & affectus omnes lenire, vel temperare ſic debet, ut illi puriori, nobiliorique hominis parti, rationi, vel animo ſubiiciantur. Hinc Ariſtoteles (*b*) Temperantiam ipſam paullo anguſtioribus finibus circumſcripſit, dum ipſi corporeas voluptates illas, moderandas conceſſit, quæ in guſtu, vel tactu reperiuntur: cùm nimirum exiſtimaret homines, aliorum brutorum inſtar, nullum voluptatis ſenſum ex odore, coloribus, variiſque ſonis percipere, qui peculiaris virtutis lumine dirigi, vel temperari deberet. Quamvis tamen voluptas illa, quæ in tactu, vel guſtu percipitur, in potu nimirum, cibo, contrectandiſque corporibus reperitur, nobis cum brutis communis maximè ſit, animumque vividiùs abripiat; cæteræ tamen voluptates, quarum in brutis etiam veſtigia quædam conſpicimus, temperari maximè debent: atque in primis viſus, ex quo *concupiſcentia oculorum* (*c*), mala plurima, atque ipſa plerumque mors, aut animi languor exoritur; unde *etiam rectè curioſi eſſe prohibemur, quod magnum temperantiæ munus eſt (d)*.

III. Hinc variæ Temperantiæ partes a Philoſophis omnibus diſtingui meritò ſolent, *abſtinentia* nimirum, *ſobrietas*, *caſtitas*, & *pudicitia*.

Et

(*a*) *invent.* II. (*b*) *Ethic. Nic.* III. *c.* 13. (*c*) I. *Joann. c.* 2. *v.* 10. (*d*) *Aug. de morib. Eccl. n.* 38. *al. c.* 21.

Et abſtinentia quidem ſic a ſobrietate diſtingui ſolet, ut abſtinentia in cibo, ſobrietas in moderando potu verſetur. Sic etiam caſtitas a pudicitiâ diſtinguitur, quòd caſtitas ab illicitis voluptatibus; pudicitia verò, quæ longè purior quodammodo, & univerſalior ſit, a levioribus etiam, & aſpectu declinet; ideoque a pudore nomen accepit, qui ſatis accommodè definiri ſolet *animi perturbatio de iis, quæ dedecus aliquod inferre videntur*; qualis in ingenuis, honeſtiſque adoleſcentibus conſpicitur, atque præſertim in virginibus mirificè elucet, qui, ſi quidpiam illis indecori, vel inhoneſti conſpicere, vel audire contigerit, facilè perturbari, ac ingenuo quodam rubore ſuffundi ſolent quem virtutis colorem Diogenes appellavit (*a*). Quo verò purior, atque nobilior eſt ille pudicitiæ, vel caſtitatis ſplendor, eò faciliùs amitti, languere, vel extingui poterit, ideoque ſeveriori ſtudio, vel diligentiâ cuſtodiri debet: cùm præſertim illa ſemel amiſſa reparari non poſſit, ut eleganter inquit Poeta

——— *nullâ reparabilis arte*
Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel (*b*).

Hinc meritò dicebat Dido

mihi vel tellus opem priùs ima dehiſcat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras
Ante, pudor, quàm te violem, & tua jura reſolvam (*c*).

etſi deinde ſororis conſilio, & amoris impetu abrepta tandem ſuccubuit, *ſolvitque pudorem* (*d*).

IV. *Nos* itaque *naturam ſequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipſâ oculorum, auriumque*

(*a*) *Laer.* VI. *ſ.* 54. (*b*) *Ovid. Heroid.* V. *v.* 103. (*c*) *Virg. Æneid.* IV. *v.* 24. (*d*) *ibi ver.* 55.

que approbatione, fugiamus; ſtatus, inceſſus, ſeſſio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum (a): ut enim pulchritudo corporis aptâ compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quadam lepore conſentiunt, ſic hoc decorum, quod elucet in vitâ, movet approbationem eorum, quibus cum vivitur, ordine, & conſtantiâ, & moderatione dictorum omnium, atque factorum (b). Nec verò audiendi ſunt Cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici penè Cynici, qui reprehendunt, ac irrident, quod ea, quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa dicamus; illa autem, quæ turpia ſunt, nominibus appellemus ſuis. Latrocinari, fraudare, adulterare re turpe eſt, ſed dicitur non obſcanè: liberis dare operam re honeſtum eſt, nomine obſcanum; pluraque in eandem ſententiam, ab eiſdem contra verecundiam diſputantur.

V. Hinc *verecundia*, & *honeſtas* veluti integrantes temperantiæ partes diſtingui ſolent, cùm verecundia ab iis omnibus abhorreat, atque illa refugiat, quæ pudori, vel temperantiæ opponuntur, honeſtas autem decorum illud inquirit, quod in ſingulis temperantiæ actibus fulgere debet.

VI. Longè plures eximiæ virtutis ejuſmodi potentiales partes a Philoſophis enumerantur; *humilitas* nempe, *continentia*, *manſuetudo*, *modeſtia*, *ſtudioſitas*, *urbanitas*, *parcitas*. Humilitas eſt illa, quæ hominem inclinat, ut de ſe; ſuiſque omnibus modeſtè, ſive demiſsè ſentiat, ac loquatur. Continentia, quæ pravis affectuum, & concupiſcentiæ motibus moderatur, illoſque temperat; vel ut inquit Cicero, *per quam*

(a) *Offic.* I. c. 15. (b) *ib.* c. 28.

quam cupiditas conſilii gubernatione regitur. Manſuetudo opponitur iræ; & quemadmodum clementia vindictam, ita manſuetudo iracundiam lenire debet; ideoque per illam *animi temere in odium alicujus invectionis concitati comitate retinentur.* Modeſtia, *per quam pudor honeſtus claram, & ſtabilem comparat auctoritatem*, internos nimirum, & externos animi motus moderatur. Studioſitas eſt illa, quâ incredibilis cognitionis amor, & ſcientiæ, & inſatiabilis quædam veri videndi cupiditas, quæ in mentibus noſtris reperitur, ita temperatur, ut certis quibuſdam finibus coerceatur. Urbanitas, vel ut Græci vocant, *eutrapelia*, ludis, jociſque, & jucunditati, quæ ex hilari amicorum, aliorumque colloquio, vel aſpectu oriri ſolet, modum definit. *Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui, & illiberalis joci; alter eſt ſi tempore fit, ac remiſſo animo, libero dignus homine; alter ne homine quidem.* Parcitas denique nimiam in veſtibus, ſuppellectili, inceſſu, affectato loquendi modo, univerſo demum oris, & corporis habitu munditiam, & elegantiam, qualis in mulieribus plerumque obſervari, ſed reprehendi quoque ſolet, moderatur; ut enim præclarè inquit Cicero, *venuſtatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem* (a).

VII. Exinde verò facilè intelligi, ſive deduci poterunt illa vitia, quæ temperantiæ ſive per exceſſum, ſive per defectum opponuntur; etſi plerumque vitia, quæ per defectum a pulcherrimo temperantiæ fine deflectunt, propriis nominibus careant, & rariora quoque videantur, cùm longè facilius ſit temperantiæ, ſive mo-

(a) *Offic. I.*

modeſtiæ modum, vel fines excedere, quàm ab illis deficere. Itaque per exceſſum temperantiæ opponitur *intemperantia*, quæ nimiùm corporeis ſenſuum voluptatibus delectatur; ſive *ſtupiditas*, quâ voluptates illæ, vel commoda, quæ ad neceſſariam hominis conſervationem ab optimo, ſapientiſſimoque Deo ſunt inſtituta, ſeveriùs contemnuntur. Sic abſtinentiæ, ſobrietati, caſtitati, pudicitiæ opponitur *gula*, *crapula*, *luxuries*, *impudicitia*. Verecundiæ verò, ac honeſtati adverſatur *inverecundia*, vel *impudentia*, & *turpitudo*. Denique *ſuperbia* humilitati; *incontinentia* continentiæ; manſuetudini *iracundia*; modeſtiæ *immodeſtia*; ſtudioſitati *curioſitas*; *ruſticitas*, atque *ſcurrilitas* urbanitati; parcitati *luxus* opponitur.

VIII. Facile verò erit ejuſmodi, aliiſque id genus vitiis, & pravis affectibus, qui temperantiæ, cæteriſque virtutibus adverſantur, occurrere, omniumque virtutum gloriam, divinæ præſertim gratiæ viribus, conſequi, ſi non modò puriſſima æquitatis, ac honeſtatis jura ſemper animo, & oculis obverſentur: verùm etiam ſi pulcherrima, cæleſtis, atque divina propemodum animi natura ſpectetur. Illa nimirum nitidè, clariſſimèque nobis oſtendet quid hominem deceat, quid honeſtum, decorumque ſit, quid eximio virtutis nomine exornetur; atque inſita virtutum ſemina, vel honeſtatis igniculos, ut inquit Cicero, vividiùs excitabit, quibus ad illuſtrem virtutis gloriam impellamur, atque ingenito veluti ſceleris, inhoneſti, vel indecori horrore a vitiis omnibus avertamur.

CAP.

CAP. VII.

De vitiis, & peccatis.

I. FLexibilis, ac indifferens illa mentis humanæ vis, quæ ad finem ſibi a naturâ conſtitutum dirigi, ſive ab illo deflectere; ſanctiſſima legum jura ſervare, ſive violare; bonos denique, & honeſtos actus exerere, vel pravos, ac inhoneſtos amplecti poteſt, etſi veluti pulcherrimus animi ſplendor, atque proprietas haberi meritò ſoleat; ab illâ tamen tanquam uberrimo fonte peccata deduci debent. Eximius enim, & cæleſtis animus, qui ingenito veluti pondere ad honeſtatem inclinat, qui plurima virtutum ſemina impreſſa gerit, ita plerumque ſenſibilium rerum illecebris delinitur, ut honeſtatem deſerere, virtutis lucem extinguere, & peccatum amplecti poſſit. Inde quemadmodum virtus ex pluribus honeſtis actibus oriri, ſive produci debet, ita quoque vitia ex repetitis inhoneſtis. & pravis actibus producuntur, qui *mala*, ſive *peccata* vocari ſolent. Quemadmodum itaque ſuperiori loco de ſingulis virtutum generibus diſſeruimus, ita nunc aliqua de vitiis, & peccatis complecti juverit, quæ tantò certè clariora ſunt futura, quantò faciliùs vitiorum natura, ſive cognitio ex nitidâ virtutum, & honeſtatis cognitione dimanat.

II. Nihil eſt enim peccatum niſi actus ille liberæ voluntatis, qui a debito fine, modo, vel ordine aberrat, primiſque juris, ac hone-

ſtatis legibus adverſatur; ideoque malitia in quâ *formalem*, ut inquiunt, peccati naturam poſitam eſſe jam diximus, nihil eſt aliud, quàm pura bonitatis, ordinis, & honeſtatis privatio; quemadmodum fuſiùs, & oportuniùs alibi oſtendimus ubi de humanorum actuum malitiâ, ejuſque cauſsâ, & origine loqueremur.

Hinc peccatum ipſum a D. Auguſtino definitur *averſio ab incommutabili bono, ſeu Deo, & inordinata converſio ad commutabile bonum, ſeu creaturas* [a]; ille nimirum, qui peccat, ad commutabile, creatumque bonum veluti finem dirigitur; finitum aliquod, creatumque bonum, ſummo, atque invariabili, perfectiſſimoque bono anteponit; ideoque pulcherrimum ordinem a naturâ inſtitutum perturbat.

Definiri etiam poterit peccatum *liber humanæ voluntatis actus legi contrarius*. Quemadmodum enim actûs humani bonitas, & honeſtas ex ſolâ divinâ, vel humanâ lege repeti debet, ut ille bonus, & honeſtus actus dicatur, qui legi cohæreat, ejuſque lumine dirigatur; ſic omnis actûs humani pravitas, atque malitia oriri debet a lege, quam lædi, vel temere violari contigerit.

III. Exinde verò facilè intelligi, ſive deduci poterit, quod ſicuti virtutes omnes in aliquâ lege continentur, atque præſertim invariabili, perenni, vel æternæ legi arctiſſimo veluti fœdere conjunguntur, ita peccata, quæ legibus opponi debent, ipſis etiam virtutibus, hoc eſt honeſtis, & bonis actibus opponuntur; tantòque gravior ſceleris, atque peccati malitia, ſive deformitas haberi debet, quantò nobilior

[a] *de lib. arbitr.* II. *n.* 53. *al. c.* 19.

lior eſt illa virtus, cujus ſplendor peccati labe extinguatur.

IV. Hinc admirabilis illa varietas, quæ in peccatis conſpicitur, ut plurima proinde illorum genera diſtingui ſoleant, ex objecto, ſive virtute deſumi debet, cui peccatum ipſum opponitur; ut ſi juſtitia a fortitudine, humilitas a caſtitate diſtinguitur, ita quoque injuſtitia ab audaciâ, ſuperbia ab inverecundiâ pari, eodemque prorſus diſcrimine, ſive diſtinctionis genere diſcerni debeat; ideoque peccatorum varietas, diſtinctio vel, ut Scholaſticis vocare libuit, *ſpecificatio* ſemper ex objecto, vel oppoſitâ virtute oriatur.

V. Itaque ſi variis actibus eandem virtutem violari contigerit, actus omnes ad unum, idemque peccati genus revocari debent; ideoque ſolo numero diſtingui poterunt, ut aliquis toties idem peccatum comittat, quoties ſimilem actum exeruerit. Et quamvis etiam materiam, circa quam vitium, & oppoſita virtus verſatur, ſubinde minui, vel augeri contingat, ut ſi decem, vel centum aurei ſurripiantur, decem, vel centum homines unico actu perimantur; ſemper eadem peccati ſpecies ſalvabitur: cùm illa non a peccati materiâ, ſed ex objecto dependeat; & illa temporis, rerum, loci, perſonarum varietas, vel circumſtantia poterit quidem peccatum gravius efficere, ſed illius ſpeciem variare non poterit.

VI. Quod ſi fortaſſe unus, idemque actus variis, atque diſtinctis virtutibus opponatur, vel ex variâ temporis, loci, rerum, perſonarum circumſtantiâ plures etiam virtutes, legeſque violari contigerit, tunc actus ille novam malitiam ſortitur, & in ejuſmodi actu totidem ſcelerum

malitia, ſive deformitas reperitur, quot fuerint objecta, vel virtutes illæ, quæ unico actu violentur. Ut ſi res ſacra auferatur, ſi Sacerdoti injuria irrogetur, duplex peccatum, furti, nimirum, ſimulque ſacrilegii comittitur; cùm uno, eodemque tempore violetur juſtitia, quæ damnum alteri inferri vetat; ſimulque religio, quâ perſonas, reſque Deo conſecratas lædere, vel profanare prohibemur. Hinc illæ temporis, rerumque circumſtantiæ, quæ peccati ſpeciem mutare, novumque dedecus, malitiam, & peccatum addere poſſunt (*a*), circumſtantiæ *ſpeciem mutantes* appellari meritò ſolent: ideoque à Theologis omnibus, ac Tridentinâ Synodo definitur, quod illæ in confeſſione explicari, vel exprimi debent, alioquin de ſceleris, ſive peccati ſpecie, numero, vel gravitate judicium ferri non poſſet.

VII. Sed hìc exponenda, vel dirimenda nobis occurrit celeberrima quæſtio, quæ inter Stoicos, atque Peripateticos acerrimè eſt excitata, utrum nempe peccata ſingula æqualia ſint, vel in ipſis diſparitas quædam, ac inæqualitas reperiatur? Itaque celeberrima Stoicorum ſententia fuit, quod peccata ſingula, quamvis uni, eidemque virtuti, vel variis etiam virtutibus opponantur, ideoque ad varia diſtincta genera referri ſoleant, æqualia tamen cenſeri debeant, ut inæqualis in ipſis malitia, ſive deformitas haberi, ſive diſtingui non poſſit.

1. Cùm enim peccata ſingula in ſolâ virtutis, ordinis, ac honeſtatis privatione conſiſtant, ſicuti in privatione variæ veluti partes concipi, ſive diſtingui certè non poſſunt, ut una privatio major alterâ exiſtimetur, ita prope-

(*a*) *vide Dig. l. XLVII. art.* 10. *de injur. l.* 7. §. 8.

pemodum in peccatis varii veluti gradus admitti non poterunt, ut unum alio majus, vel gravius habeatur; & quemadmodum tenebræ, mors, &c. quocumque loco, cauſsâ, vel tempore producatur, ſemper eadem, & æqualis eſſe concipitur, neque una mors alterâ major vocatur, ita quoque peccatum ſemper æquale, putari, nec unum altero majus cenſeri poterit.

2. Deinde verò cùm peccatum, vel pravus, ac inhoneſtus actus dicatur ille, qui ab inſtituto, vel naturali fine deflectit; ſive modum, atque temperiem, quæ in exerendis humanis actibus requiritur, liberè excedat, ſive per exceſſum, ſive per defectum ab inſtituto fine deflexerit; ſive magis, ſive etiam minùs modum exceſſerit, eadem tamen eſt futura peccati malitia, ſive deformitas; ſiquidem *eſt peccare tamquam tranſire lineas; quod cum feceris, culpa commiſſa eſt: quàm longè progrediare, cum ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet.*

3. *Quod ſi virtutes pares ſunt inter ſe, paria eſſe etiam vitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe virtutes nec bono viro meliorem, temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem poſſe fieri facillimè poteſt percipi ... Una virtus eſt conſentiens cum ratione, & perpetuâ conſtantiâ. Nihil huc addi poteſt, quo magis virtus ſit; nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur. Etenim ſi bene facta rectè facta ſunt, & nihil recto rectius, certè ne bono quidem melius quidquam inveniri poteſt. Sequitur igitur ut etiam vitia ſint paria; ſiquidem pravitates animi rectè vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes ſunt, rectè facta quando a virtutibus proficiſcuntur, paria eſſe debent; itemque pec-*

cata quoniam ex vitiis manant, ſint æqualia neceſſe eſt (a).

VIII. Atque iſta quidem ſeveriùs, atque adducto ſupercilio Stoici, ut oſtenderent *omnes, qui non ſunt ſapientes, æquè miſeros eſſe; ſapientes omnes ſummè beatos eſſe; rectè facta omnia æqualia, omnia peccata paria; quæ cum magnificè primò dici videntur, conſiderata minùs probantur, ſenſus enim cujuſque & natura rerum, atque ipſa veritas clamat quodammodo non poſſe adduci ut inter eas res, quas Zeno excquaſſet, nihil intereſſet* (b).

Et certè quod inæqualitas aliqua, ſive diſparitas in peccatis admitti debeat, clariſſimè deduci poterit ex iis, quæ variis in locis de actuum malitiâ, vel bonitate, de libertate, metu, errore, vel ignorantiâ diſſeruimus.

1. Cùm enim tota actûs humani malitia, vel bonitas oriatur ex libero voluntatis amore, quo rem illicitam, ac inhoneſtam amplectitur, quis apertè non videat tantò graviorem operis pravitatem eſſe futuram quantò purior, atque nitidior eſt illa cognitio, quæ pravitatem ipſam nobis oſtendit; ſive quò liberior eſt amor ille, quo peccatum eligimus? cùmque peccatum ex nitidâ mentis cognitione, & libero voluntatis arbitrio, veluti cauſis oriatur, ſicuti libertas illa, ſive cognitio metu, vel ignorantiâ variari ſubinde poteſt, ita quoque malitia, ſive peccati deformitas variari poterit.

2. Deinde varia peccata variis virtutibus opponuntur; ideoque ſicuti virtutes ipſe inæquales eſſe meritò exiſtimantur, atque illa purior, atque

(a) *Cic. Parad. Stoic.* III. *c.* 1. *vid. etiam Fin.* IV. *c.* 9. & *Laer. VII. c.* 120. (b) *Cic. de Fin.* IV. *c.* 19.

atque nobilior cenſetur, quæ ad objectum nobilius dirigitur; ita quoque peccatum, quod nobiliori virtuti adverſetur, gravius haberi poterit; ut meritò proinde dixerit Poeta

Nec vincet ratio, tantundem ut peccet, idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus divûm ſacra legerit (a).

quantò nimirum religio, quæ ad Deum ipſum dirigitur, cæteras virtutes omnes, quæ ad finita bona diriguntur, ſplendore antecellit, tantò graviùs contra religionem ipſam, quàm cæteras virtutes peccabitur: quod pari ſerie, vel ordine intelligi poterit, ſi virtutes aliæ inter ſe comparentur.

3. Quinetiam varia peccata, quæ tamen uni, eidemque virtuti opponantur, inæqualia eſſe poſſunt. Cùm enim actûs humani bonitas ex pluribus oriatur, ex objecto nimirum, ad quod dirigitur; ex fine, cujus amore exeritur; ex lege, quam violat; ex circumſtantiis, quibus afficitur; ex ſubjecto denique, in quo reperitur, ita quoque peccati malitia ex iis omnibus veluti fontibus oriri poterit: ideoque ubi vel objectum nobilius offendatur; vel finis impurior eligatur; vel nobilior, atque ſeverior lex violetur; vel plures circumſtantiæ concurrant; vel in meliori, nobiliorique ſubjecto recipiatur, ſemper in illo nova, ſive diſtincta deformitas haberi poterit.

IX. Hinc dirimi, ſive refelli facilè poterunt argumenta ſingula, quæ a Stoicis afferebantur. Quamvis enim peccatum in ſolâ rectitudinis, ordinis, virtutis, & honeſtatis privatione conſiſtat, quemadmodum plures veluti perfectiones in

(a) *Horat. I. Sat. 3. v. 115.*

in ordine, virtute, vel honeſtate reperiri jam diximus, ut illa quoque major, ſeu minor eſſe, vel dici poſſet, ita quoque in peccato variæ veluti imperfectiones concipi, ſive diſtingui poterunt, ex quibus major, aut minor peccati gravitas oriatur. Itaque privatio quælibet indiviſibilis eſſe debet, eamque formam, ordinem, vel perfectionem omnem extinguit, cui adverſatur; ſed quia in peccato plurimæ privationes diſtingui poſſunt, quarum modò plures, modò pauciores unâ conjungi poſſunt, integra peccati malitia inæqualis haberi poterit. Hinc ubi quis modum, ac veluti lineam exceſſerit, certè peccatum comittit; ſed quia aliam quoque lineam excedere, vel tranſilire poteſt, atque liberiùs progredi, nova peccato gravitas accedet; ſive, cùm actûs humani bonitas ex objecto, fine, materiâ, cognitione, motivo, lege, ſubjecto, circumſtantiis omnibus veluti quibuſdam lineis, & finibus circumſcribatur, plures, paucioreſque ſimul ex ejuſmodi lineis excedi poſſunt, ideoque major, aut minor in peccato deformitas haberi. Cætera verò, quæ de virtutibus opponebantur, ita dirimi debent, ut virtutes ipſæ inæquales eſſe dicantur, ideoque etiam peccata, quæ virtutibus opponantur.

X. Sed explicatâ jam vitii, ſive peccati naturâ, nunc exponenda nobis occurrit illa varietas, quæ in peccatis ipſis diſtingui ſolet. Itaque primò peccatum ipſum dividitur in *originale*, & *perſonale*. Originale vocatur illud, quod ex primi parentis peccato in ſingulos homines derivatur, ideoque totam generis humani ſeriem, ſive naturam infecit. *Non eſt enim diſtinctio*, ut expreſsè docet Apoſtolus, *omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei . . . propterea ſicut*

per

per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt (a). Atque ejuſmodi quidem originalis peccati labem ſingulis hominibus adſperſam eſſe non modò clariſſimis Scripturæ autoritatibus contra Pelagium manifeſtiſſimè demonſtratur; ſed naturali quoque ratione ſuaderi poſſe videtur, ut oportuniùs alibi oſtendimus cum de mali origine loqueremur in Diſp. II. c. 4. n. 11.

Perſonale verò, vel actuale peccatum vocatur illud, quod ab homine propriâ voluntate comittitur, ideoque homines alios inficere, ſive in ipſos diffundi non poteſt.

XI. Id potiùs obiter obſervari, vel inferri poterit, quod peccatum in *mortale*, & *veniale* ſatis accommodè diſtingui ſolet, ſecus ac Grotio videbatur, qui peccata ſingula mortalia, vel gravia eſſe arbitrabatur. Mortale dicitur illud, quod amicitiam Dei diſſolvit, & gratiam, quæ animi vita, vel anima çenſeri meritò ſolet, extinguit; ideoque mortem animæ inferre, vel mortale eſſe dicitur. Veniale verò vocatur illud, quod eximium certè virtutis ſplendorem obſcurat, charitatis ardorem temperat, minùſque Deo gratum hominem reddit, ſed charitatis habitum non extinguit; ideoque faciliùs veniam mereri, ſive deleri poteſt, unde venialis peccati nomen accepit. Plurima verò ſunt illa, quibus cognoſci, vel definiri poterit utrum peccatum aliquod veniale, ſive mortale cenſeri debeat. Plerumque tamen a ſolâ materiæ gravitate, ſive levitate diſtingui ſolet, ut,

[a] *ad Rom. c. 3. v. 22. & c. 5. v. 12.*

ut, ſi materia juxta prudentum hominum, Theologorum, ac Juriſconſultorum ſententiam gravis ſit, peccatum mortale dicatur, ut ſi quis aureum furetur, grave vulnus inferat, &c. ſin verò materia levis, & exigua fuerit, ut acum furari, leviſſimum ictum infligere, ex levitate, ſive parvitate materiæ veniale ſit. Sed hæc univerſali quadam lege definiri vix poterunt, atque, ut antea dicebamus, ex primis Ethicæ principiis, prudentum, & ſapientum hominum judicio deduci debent; cùm in ejuſmodi rebus nulla ferè conſtans ratio, ſed probabilis ſolùm conjectura ex gravi plerumque prudentum hominum ſententiâ, conſilio, vel authoritate ſperari poſſit.

XII. Ejuſmodi verò peccatum vel comiſſione, vel omiſſione admittitur; unde *comiſſionis* aliud, aliud *omiſſionis* vocatur. Quemadmodum enim alia præcepta ſunt, quibus aliquid honeſtum, decorum, vel debitum veluti faciendum præcipitur, & *affirmativa* dicuntur; alia ſunt, quibus aliquid veluti pravum, ac indecorum fieri prohibetur, unde *negativa* vocantur, ita quoque actus illi, ſive peccata, quæ præceptis ejuſmodi opponuntur, ita diſtingui poterunt, ut ſi lex affirmativa violetur, & ommittatur actus ille, qui fieri deberet, *omiſſio*; ſin verò contra legem negativam actus ille exeratur, qui fieri non deberet, *comiſſio* appelletur. Utriuſque porrò affirmativæ, vel negativæ legis, ideoque peccati, quod in omiſſione, vel comiſſione conſiſtat, diſcrimina ſunt explicata ubi de legibus, illarumque diſcrimine loqueremur.

XIII. Peccatum denique comiſſionis in tres veluti ſpecies diſtingui ſolet juxta varium modum,

dum, ſive potentiam, quâ exeri, ſive comitti ſolet; ut aliud ſolâ *cogitatione*; aliud cogitatione ſimul, & *verbo*, vel *opere* comittatur; unde peccatum aliud *cordis*, aliud *oris*, aliud *operis* appellatur.

Sed, quamvis peccatum aliquod ore, ſeu verbo, aut opere comitti poſſit, omnis tamen, & perfecta peccati malitia in ſolâ cogitatione, vel voluntatis actu conſiſtit, quo indecorum aliquid, ac inhoneſtum eligimus, etſi interior actus ille neque verbo, neque opere perficiatur; ſicuti præclarè Seneca admonuit, quod *omnia ſcelera, etiam ante affectum operis, quantum culpæ ſatis eſt perfecta ſunt* (a). Ex quo clariſſimè apparet, quod eadem ferè ſceleris, ſive peccati labes adſpergitur illi, qui per ſe peccatum comittat, ut ex. gr. qui hominem perimat, ſive potiùs ad peccatum ipſum imperio, conſilio, conſenſu, irritatione, laudatione, vel adulatione, reticentiâ, indigentiâ, participatione, vel approbatione veluti moralis cauſſa concurrat; ſemper enim ille, qui peccatum imperet, ſuadeat, &c. actum legi oppoſitum vult, ideoque legem violare, vel peccare debet. Nova tamen, ſive diſtincta malitia reperitur in illo, qui per ſe, vel exteriùs etiam peccatum committat, ſive quòd uberior, ac vividior animi pervicacia requiratur, ut prava voluntatis cupiditas extincto pudoris, ac timoris ſenſu exterioribus actibus expleatur; ſive quòd major, & gravior injuria, vel damnum alteri irrogetur, ideoque ex hac ipsâ circumſtantiâ peccatum, quod opere comittitur, gravius evadat.

XIV. Quis verò ſingula vitiorum genera com-

(a) *De conſtant. Sapient. c. 7.*

complecti poſſit, illorumque ſeriem exponere, quibus humanus animus veluti vulneribus ſauciari, ac veneno infici ſolet? Id ſolùm obſervaſſe juverit quod, ut ait Ariſtoteles, *peccare multis modis, at rectè agere unico contingit*; quod nimirum ſingulis virtutibus plura vitia opponuntur, inter quæ virtus ipſa veluti extrema reperitur; ideoque, ſi maxima, & incredibilis eſt virtutum varietas, ut ſuperioribus Capitibus demonſtravimus, longè major, ac uberior vitiorum numerus admitti debet. Ut tamen certa quædam vitiorum ſeries haberi poſſit, illa in ſeptem veluti claſſes diſtingui ſolent, ex quibus veluti capitibus cætera oriantur, ideoque *capitalia* a D. Gregorio *(a)*, ac Theologis omnibus appellantur; *Superbia* nimirum, *Avaritia*, *Luxuria*, *Invidia*, *Gula*, *Ira*, *Accidia*, quorum natura, ac proprietates omnes ipſo nomine, vel experimento ipſo clariſſimè demonſtrantur, ut inutile proinde ſit de illorum ſingulis diſſerere.

XIV. Quinetiam ipſa quoque præcipua, vel capitalia peccata ex tribus aliis fontibus repeti poſſunt, quos D. Joannes expoſuit, ubi ait quod *omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ (b)*; quod omnia nimirum ex nimio ſenſibilium voluptatum amore oriuntur, ex divitiarum deſiderio, & inani propriæ gloriæ, vel honoris ſtudio, aliorumque contemptu, ex quo diſſenſiones, & iracundia dimanat. Undè optimè Lactantius aſſeruit, quod *virtus eſt iram cobibere, cupiditatem compeſcere, libidinem refrænare; nam ferè omnia, quæ fiunt injuſtè, atque improbè, ab his*

(a) *Moral.* XXXI. c. 31. (b) *Epiſt.* I. c. 2. v. 16.

his oriuntur affectibus [a]. Hinc optimè Chriſtianæ, vel Evangelicæ legis perfectio in tribus virtutibus, vel conſiliis illis poſita meritò exiſtimatur, quas illi, qui ſacris, ac religioſis Ordinibus nomen dederint, profitentur, humili nimirum *obedientiâ*, quâ cæteris parere velint; *paupertate*, quâ temporalium rerum amorem, & dominium deſerant; ac perenni *caſtitate*, quâ a licitis etiam voluptatibus abſtineant. Eadem quoque vitia, ſive peccata ex pravis animi affectibus, vel, ut inquit Apoſtolus, ex *carnis deſideriis* deduci poterunt, quibus purior, ac nobilior hominis pars, vel ſpiritus irretitur, atque abripitur ad malum. *Caro enim concupiſcit adverſum ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem, hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcumque volumus, illa faciamus ... manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicuti prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus autem Spiritûs eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas ... Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis* [b].

CAP.

[a] *Inſtit. VI. c. 5.* [b] *Galat. c. 5. v. 17.*

CAP. VIII.

De Affectibus.

I. CÆteris humanis actibus accenſeri denique poterunt Affectus illi, quibus humanos animos allici, moveri, vel excitari conſpicimus, ut exinde virtutes omnes, aut vitia, de quibus hactenus diſſeruimus, veluti ex uberrimis fontibus oriantur. Cùm verò plurima de Affectibus ipſis variis in locis tradita, vel explicata jam fuerint, ubi de libertate, mali origine, præſertim verò de virtutis naturâ, ac origine loqueremur, pauca quædam ſupremo hoc loco de Affectuum nomine, naturâ, origine, viribus ac partibus, veluti coronidis loco, breviſſimè complectemur.

II. Atque, ut ab ipſo nomine exordiamur, non una, eademque vox a Philoſophis adhibetur, ut affectûs idea, vis, & natura exprimatur. Quemadmodum enim Cicero obſervat *perturbationes animi, formidines, libidines, iracundia hac ferè ſunt ejuſmodi, qua Graci πάθη appellant, ego poteram morbos, & id verbum eſſet e verbo, ſed in conſuetudinem noſtram non caderet; nam miſereri, & invidere, geſtire, latari hac omnia morbos Graci appellant motus animi rationi non obtemperantes: nos autem hos eoſdem motus concitati animi rectè, ut opinor, perturbationes dixerimus, morbos autem non ſatis* (a), unde

(a) *Tuſc.* III. c. 4.

unde etiam alibi affectum *vehementiorem appetitum* eſſe definit; quemadmodum etiam aſſerit, quod *nihil melius quàm quod eſt in conſuetudine ſermonis latini cum exiſſe ex poteſtate dicimus eos, qui effrenati dicuntur aut libidine, aut iracundiâ ... qui igitur exiſſe ex poteſtate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnum totius animi a naturâ tributum eſt* (a).

III. In illo tamen veteres, recentioreſque Philoſophi mirificè conſpirant, quod in affectibus non modò animus affici, percelli, moverique debeat; ſed inſuper etiam agitatio quædam in corpore, ſive ſpiritibus excitetur, quæ animum percellere, vel perturbare poſſit, ideoque affectus ipſi cum animi motu arctiſſimo veluti fœdere conjungantur.

Quemadmodum enim intellectus ita veritatem, vel objectum aliquod interdum percipit, ut illud in ſpirituali ideâ, vel imagine, puriori quoque nitido, vel imperturbato lumine contempletur, unde illa cognitio *intellectio pura* vocatur; aliquando verò ſenſibili rerum imagine percellitur, ac imaginem veluti cerebro impreſſam intuetur, unde *imaginatio* vocari meritò ſolet; ita quoque voluntas ipſa aliquando leni, tranquillo, pacatoque pondere in boni amorem inflectitur, & actus, vel amor ille voluntatis operatio, *volitio*, humanus actus ſimpliciter appellatur; aliquando verò voluntatis amor cum turbidiori, irrequieto, concitatiori, ac vehementiori ſpirituum motu, vel agitatione conjungitur, & vehemens ille animi motus, ægritudo quædam, perturbatio, vel *affectus* vocatur.

(a) *ibi. c. 5.*

IV. Neque tamen irrequieta ſolùm, & vehemens ſpirituum agitatio requiritur, ut affectus aliquis in animo producatur; alioquin motus omnis, qui in animo fieret, affectus vocari meritò poſſet, cùm certè nulla cognitio, vel nullus amor haberi poſſit, niſi priùs in cerebro corporea quædam ſenſibilis objecti imago impreſſa, vel excitata fuerit, ideoque ſpirituum motus præceſſerit, ut alibi demonſtravimus; ſed etiam celer ille ſpirituum motus cum animi ardore certo veluti fœdere ac ordine conjungi debet.

V. Hinc ſubtiliter, & accuratè Carteſius tria motum genera diſtinguit, quibus animales ſpiritus in corpore agitari, mentemque corpori conjunctam percellere, ſive movere ſolent. Aliquando nimirum ſpiritus illi a ſenſibilibus objectis excitantur, ideoque ad objecta corpora referuntur, ut ſunt ſenſationes omnes; aliquando ab interiori cauſsâ oriuntur, atque ad corpus ipſum veluti naturales ipſius effectus referri ſolent, ut fames, & ſitis; aliquando denique ad animam ipſam quodammodo diriguntur, ut illam inflectant, variiſque motibus inclinent, ut ſunt amor, odium, &c. Ex ejuſmodi verò ſpirituum motibus, quos in corpore excitari; ſimulque menti communicari contigerit, illi ſolùm, qui ad animam diriguntur, animi perturbationes, & affectus vocari ſolent; unde affectus ipſi a Carteſio definiuntur *motus animæ, qui ad ipſam referuntur, quique a ſpirituum commotione procreantur, foventur, & roborantur* (a).

VI. His ita ſuppoſitis, & explicatâ affectuum naturâ, clariſſimè apparet, quod illi in animo veluti ſubjecto reperiri, vel poni debent. Quamvis enim plurimi exiſtimaverint affectus in

(a) *Carteſ. de Paſſion. artic.* 27.

in ſanguine, in corde, in ſenſibus collocari; quòd perturbato ſanguinis motu excitari, ſive cognoſci maximè ſoleant; clariſſimè tamen apparet, quod affectus ullus excitari, ſive produci certè non poterit, niſi perturbatus ille ſanguinis motus ad animum referatur, qui motum ipſum percipere, vel temperare ſubinde poſſit. Refelli quoque facilè poterit Stoicorum ſententia, qui affectus omnes in opinione ſolâ, vel cognitione poſitos eſſe volebant, ut *lætitia* foret *opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe videatur; metus opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videtur &c.* ut ex illorum ſententiâ Cicero exponit [a]. Neque enim ſola ſenſibilis objecti cognitio requiritur, ut affectus aliquis in animâ producatur; ſed inſuper etiam voluntas ipſa amore, vel odio percelli debet, ut in objectum ipſum ſibi propoſitum veluti bonum inclinet, ſive ab illo veluti malo deflectat. Hinc idem Cicero ex Zenone Stoicorum principe clariùs affectum ipſum definiens *ægritudo*, inquit, *eſt animi adverſante ratione contractio; lætitia animi ſinè ratione elatio*; ac univerſaliter *perturbatio eſt adversâ ratione contra naturam animi commotio; vel breviùs appetitus vehementior; vehementior autem intelligitur is, qui procul abſit a naturæ conſtantia* [b]: ut proinde affectus omnis ex perturbato quidem, vehementiorique cordis, ſanguinis, ſpirituum motu, vel objecti cognitione veluti mediis oriatur; ſed tamen in animo, vel potiùs in liberâ, & flexibili animi parte, quæ ad bonum dirigitur, ſeu voluntate veluti ſubjecto collocetur.

VII. Quandoquidem verò affectus omnes in voluntate veluti ſubjecto collocari, atque ad

(a) *Tuſc. III. c....* (b) *Tuſc. IV. c. 21.*

bonum dirigi debere jam diximus, illorum varietas, atque diviſio definiri, vel explicari facilè poterit. Itaque affectus omnes ex amore, vel odio veluti ex fontibus oriuntur. Si enim voluntas ita ſenſibilibus objectis, ſive ſpirituum motu excitetur, ut ad objectum ipſum inclinet, tunc affectus ille boni proſequutio, vel *amor* vocatur; ſin verò voluntas ipſa ſenſibilibus objectis, atque ſpirituum motu excitata ab ejuſmodi objecto veluti malo abhorreat, affectus ille mali averſio, fuga, vel *odium* dicetur. Quod ſi bonum illud, quod voluntati proponitur, & in quod ipſa voluntas ingenito quodam veluti pondere inclinat, ſit præſens, ut illo frui, vel in illo jucundiſſimè quieſcere poſſit, amor, vel affectus ille *voluptas*, *lætitia*, vel *gaudium* vocatur; ſin verò voluntas in bonum veluti futurum, ac remotum feratur, tunc amor ille *cupiditas*, vel *deſiderium* dicitur; &, ſi voluntas id facilè acquiri, vel obtineri poſſe putaverit, *ſpes* appellatur, ex quâ oriri debet *audacia*, *lenitati*, ſive *tranquillitati* conjuncta, quæ animum ad conſequendum bonum impellat.

VIII. Sic alterâ ex parte, ſi malum, quod voluntati proponitur, ſit præſens, *moleſtia*, ſive *doloris* affectus lætitiæ, voluptati, vel gaudio oppoſitus excitatur; ſin verò voluntas malum ipſum veluti futurum conſideret, affectus ille *fuga* vocatur, quæ deſiderio adverſatur; &, ſi voluntas ejuſmodi malum ſibi imminere putaverit, *metum* concipiet, quo ſpes extingui, vel *deſperatio* produci debebit, ex quâ *puſillanimitas* aliquando, vel *ira audacia*, ac *lenitati* contraria conſequetur.

IX. His tamen affectibus, ſive perturbatis animi motibus affectum alium adjungit Carteſius,

ſius, nimirum *admirationem*, quæ amorem ipſum, ac odium, ideoque cæteros omnes affectus præcedat. Quamvis enim admiratio cum nullo, vel tenui certè, placidoque ſpirituum motu conjuncta ſit, ideoque leniter, atque tranquillè mentem percellat, clariſſimè tamen apparet, quod ex admiratione ipsâ motus aliquis in animo excitatur, quo mens in objectum aliquod novum, ac ſingulare dirigitur, aciem in illo defigit, ut exinde aviditas, irrequieta cognoſcendi cupiditas, & voluptas maxima oriatur; quæ tantò vividior, ac vehementior eſſe debet, quantò objectum nobilius, acrius ingenium, majorque mentis celeritas habeatur. Sed ille tamen animi motus, qui in admiratione producitur, potiùs ad intellectum, quam voluntatem referri poterit; ideoque duo ſupererunt præcipui voluntatis affectus, amor, atque odium, ex quibus veluti capitibus cæteros affectus omnes oriri, ſive deduci poſſe jam diximus.

X. Nunc exponenda, vel dirimenda nobis occurrit celeberrima quæſtio, quæ inter Stoicos, atque Peripateticos incredibili animorum, ingeniorumque ardore agitatur, ut ex Cicerone intelligitur, qui illam uberrimè ſimul, ac elegantiſſimè eſt proſequutus, utrum nempe affectus ipſi naturâ boni, vel mali forent, ideoque ratione dirigi, perfici, vel temperari poſſent [a]? Si enim illi naturâ propriâ, vel intrinſecè mali forent, nunquam profectò ſic dirigi, vel inflecti poſſent, ut aliquando honeſti, vel boni fierent; ideoque inutiliter prorſus in Ethicâ leges, & regulæ, ſive præcepta de leniendis, vel temperandis affectibus traderentur. Illud ita-

(a) *Laer. VII. ſ. 122.*

itaque Stoicis videbatur, affectus omnes naturâ propriâ vitioſos, inhoneſtos, & pravos eſſe, ideoque ex animo prorſus evellendos, vel extirpandos: ut ille proinde ſapiens, beatus, ac fælix haberetur, qui affectus omnes ita convelleret, ut iterum excitari non poſſent Peripateticos verò reprehendere ſolebant Stoici quòd affectibus imperari, modumque, ſive temperiem adhiberi poſſe putabant, ut fuſiùs, & oportuniùs in primo Capite oſtendimus, ubi de virtutis naturâ, & origine loqueremur.

XI. Sed illa certè Stoicorum ſententia paullo rigidior, atque ſeverior a Peripateticis dicebatur, ac illa, *quæ Stoici de ſapiente dicebant, nimis admirabiliter, nimiſque magnificè dicere videbantur* [a], quàm noſtræ mentis indoles, atque natura patiatur; ideoque pulcherrima Peripateticorum opinio, quæ mollis, & enervata Stoicis videbatur, longè veriſimilior haberi poterit.

1. Si enim affectus omnes, quibus animum percelli, vel agitari contigerit, ex ipsâ hominis naturâ, vel indole veluti fonte dimanant, atque cum illâ arctiſſimo, ac inviolabili fœdere conjunguntur, quis apertè non videat affectus ipſos intrinſecè, ſive naturâ vitioſos, ac indecoros eſſe non poſſe; niſi eadem quoque hominis natura, pulcherrima nimirum ſubſtantia, quæ ex optimi, ſapientiſſimique Artificis manu prodierit, indecora, vitioſa, vel imperfecta cenſeatur?

2. Ipſæ deinde virtutes omnes, quibus eximiis veluti luminibus humanus animus exornatur, & quarum ſemina, vel, ut Cicero vocat, igniculos humanis animis ingenitos, ac im-

(a) *Tuſc. IV. c. 16.*

impreſſos eſſe jam diximus, ita cum affectibus conjunguntur, ut ex moderatis, vel temperatis affectibus oriantur; ideoque ſi virtutes illæ ſemper honeſtæ eſſe debent, affectus ipſi, qui virtutibus aliquando conjungi ſolent, ſemper indecori, vel inhoneſti putari certè non poterunt.

3. Quinetiam humanus animus ita a variis affectibus veluti ſtimulis ad virtutum amorem, & honeſtatis gloriam impellitur, & excitatur, ut nulla profectò virtus haberi unquam poſſit, quæ ab aliquo affectu non oriatur, ut proinde meritò Peripatetici *dixerint perturbationes iſtas non modò naturales, ſed etiam utiliter a naturâ datas* ... hinc iracundiam *laudant*, eamque *cotem fortitudinis eſſe dicunt* ... *imperia ſeveriora nulla eſſe putant ſinè aliquâ acerbitate iracundiæ* ... *philoſophiæ denique ipſius principes nunquam in ſuis ſtudiis tantos progreſſus ſinè flagranti cupiditate facere potuiſſe* ... *ipſam ægritudinem non ſinè magna utilitate a naturâ dicunt conſtitutam, ut homines caſtigationibus, reprehenſionibus, ignominiis affici ſe in delicto dolerent; impunitas enim peccatorum data videtur eis, qui & ignominiam, & infamiam ferunt ſinè dolore* ... *Reliquas quoque partes ægritudinis utiles eſſe dicunt, miſericordiam ad opem ferendam, & calamitates hominum indigorum ſublevandas; ipſum illud æmulari, obtrectare non eſſe inutile cum aut ſe non idem videat conſequutum, quod alium; aut alium idem, quod ſe; metum verò ſi quis ſuſtuliſset, omnem vitæ diligentiam ſublatam fore, quæ ſumma eſſet in eis, qui leges, qui magiſtratus, qui paupertatem, qui ignominiam, qui mortem, qui dolorem timerent; hæc tamen ita diſputant, ut re-*

ſecanda eſſe fateantur, evelli penitus dicant nec poſſe, nec opus eſſe, ut in omnibus ferè rebus mediocritatem eſſe optimam exiſtiment [a].

XII. Itaque affectus omnes ad honeſtum plerumque finem dirigi, ad ſanctiſſimas, purioreſque honeſtatis, & æquitatis leges temperari ſic poterunt, ut ad perfectam hominis beatitatem, fælicitatemque conferant [b]; ideoque illorum natura ſic indifferens, atque flexibilis eſſe debet, ut ſi ad honeſtum finem dirigantur; puriorique rationis lumine temperentur, utiles, ac honeſti fiant; ſin verò ab inſtituto fine deflectant, ſi modeſtiæ, vel honeſtatis limites excedant, ſi rationis lumen extinguant, noſque ad ſenſibilium rerum amorem cæco quodam impetu, ac vehementiori ſtimulo abripiant, indecori, vel mali cenſeri debeant.

XIII. Quamvis tamen affectuum natura ſic indifferens, atque flexibilis haberi debeat, ut ex libero voluntatis arbitrio ad malum, vel bonum dirigi, decori potiùs, vel indecori eſſe poſſint; illud tamen ingenuè fatendum eſt, quod poſt primi parentis peccatum, offuſamque menti noſtræ caliginem flexibilis illa arbitrii libertas, quæ paribus veluti viribus in utramque partem inflecti poterat, ita ſauciata fuit, ut ingenito pondere ad malum vehementiùs inclinet; & affectus illi, qui puriori, ac tranquillo rationis lumine dirigi, leniri, vel temperari perfectè poterant, ita plerumque vividè, ac vehementer in noſtris animis excitantur, ut ad ſenſibilium amorem, vel invitos ferè nos rapiant, ut de ſe querebatur Medea

Sed rapit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens

(a) *ibi. c.* 20. (b) *vid. Lactant. VI. c.* 17.

Mens aliud ſuadet: video meliora, proboque,
Deteriora ſequor (*a*);

ſicuti divinâ quoque Scripturarum voce erudimur quod *faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & tranſvertit ſenſum prava cogitantem* (*b*). Hinc a ſacris Literis erudimur, quod *ſenſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* (*c*); quod *unuſquiſque tentatur a concupiſcentiâ ſuâ abſtractus, & illectus* (*d*); quod denique *concupiſcentia ipſa cum conceperit parit peccatum* (*e*); quinetiam *peccatum* ipſum vocatur (*f*) *non utique quia peccatum eſt; ſed quia peccato facta eſt* (*g*); ſive certè quia nos plerumque ad peccatum inducit, cùm ſolis naturæ viribus irrequieta ſpirituum agitatio, & corporei affectus vix, ac ne vix quidem ita leniri poſſint, ut ſæpiſſimè nos in errorem, vitium, atque peccatum non abripiant.

XIV. Tantum tamen abeſt, ut ingenitus ille voluptatis ardor, & affectuum vis arbitrii libertatem extinguat, ut immeritò Lutherus, atque nuperrimè Hobbius exiſtimavit (*h*), ut potiùs ex irrequieto affectuum impetu, quem a pleriſque leniri, temperari, vel ſuperari certè conſpicimus, flexibilis illa arbitrii libertas clariſſimè inferri poſſit, ut Diſp. II. Cap. 3. demonſtravimus (*i*).

Hinc eleganter admodum, & præclarè dixit Horatius, quod

Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator,
Nemo adeo ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Si

(*a*) *Ovid. Met. VII. v. 19.* (*b*) *Sap. c. 4. v. 14.* (*c*) *Geneſ. c. 8. v. 21.* (*d*) *Jac. epiſt. c. 1. v. 14.* (*e*) *ibi. v. 15.* (*f*) *Rom. c. 17. al. 20.* (*g*) *Aug. ad Bonif. I.* (*h*) *de homine c. 11. §. 2.* (*i*) *vid. Arian. in Epict. lib. I. c. 17. & Epict. III. c. 22.*

Si modò cultura patientem accommodet aurem [a]:

quod innumeris certè exemplis oſtendi poſſet, niſi id illuſtrius videretur, quàm ut fuſiùs, & uberiùs exponi debeat. Quinetiam, ſi tanta vis, & impetus affectibus concedatur, ut animi lumen extinguere, flexibilem arbitrii vim vitiare, ſive delere poſſint, tantum abeſt ut animus illorum illecebris irretiri, vel delectari poſſit, ut maximo potiùs ſtudio, atque labore vinci, vel temperari illi debeant, ne pulcherrimus animi ſplendor, atque nobilitas extinguatur, ut inquit Poeta

Nimis vile eſt vinum, atque amor,
Si ebrio, atque amanti impunè facere, quod libeat, licet [b].

XV. Quandoquidem itaque affectuum vis ad bonum dirigi poteſt, ut exinde plurimus virtutum ſplendor, & laus oriatur, omnibus profectò viribus enitendum eſt, ut illos ad honeſtatem inflectere perfectè liceat; cùmque id ſolis arbitrii, ſive naturæ viribus ſperari, vel præſtari certè non poſſit, illud ab optimo, amantiſſimo, beneficentiſſimoque Patre maximo ardore, lacrimis, ac votis petendum eſt, ut divinum ſpiritum noſtris ille cordibus infundat, cujus divino ardore ita cordis affectus, atque animos illuſtretur, ut cæleſtia ſolùm inquirere, ſummumque bonum, cujus amore conditi ſumus, & ad quod honeſtis actibus, atque immortali virtutum ſplendore dirigimur, fauſtè demum, atque fæliciter conſequamur.

ETHI-

(a) *Epiſt. I. ep. 1. v. 39. vid. Cic. Tuſc. IV. c. 37. Sen. ep. 116. & de Ira II. c. 12.* (b) *Plaut. Aul. Ac. IV. ſc. 10.*

ETHICÆ,

SIVE

MORALIS

DISPUTATIO IV.

De variis Hominum Officiis.

PUlcherrimus, & eximius ille Virtutum ſplendor, quo noſtros animos illuſtrari, & incredibili prorſus amore excitari, vel incendi quoque jam diximus, nitidè, clariſſimèque nobis oſtendit, nos ejuſmodi virtutum gloriam, perfectamque beatitatem, ad quam naturâ dirigimur, acquirere vix poſſe, niſi præter ſanctiſſimas divini, ac humani juri leges, plurima quoque obſervemus, quæ ab ipſo rationis lumine, ac tacitâ quadam naturæ voce edocemur. Ipſæ nimirum leges, ſive divinæ, ſive humanæ fuerint, illa plerumque nobis oſtendunt, quæ ſine ſcelere deſeri, vel comitti non poſſunt; ideoque flexibilem arbitrii vim, quæ facilè affectibus irretiri, & ingenito voluptatis amore in malum abri-

abripi poterat, certis quibuſdam finibus circumſcribunt: ea verò, quæ ad uberiorem, plenioremque hominis beatitatem conferre poterant, ex ingenito quodam honeſtatis amore, & privatis quodammodo legibus, & officiis ſatis fæliciter repeti, vel oriri poſſe putarunt. Hinc optimè, & eleganter a Seneca dictum accepimus *anguſtam eſſe innocentiam ad legem bonum eſſe; quantò enim latiùs Officiorum patet, quàm juris regula? quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt?* (a) * Quemadmodum itaque plurima ſuperiori loco de humanis, diviniſque legibus diſſeruimus, ſinè quibus hominum vita ſancta, ac innocens eſſe non poteſt, ita nunc varia de ſingulis hominum muneribus, & Officiis complectemur, ex quibus uberior, & perfecta hominis ſanctitas, atque fælicitas oriatur. *Nam quum multa ſint in Philoſophia gravia, & utilia accuratè, copioſèque a Philoſophis diſputata, latiſſimè patere videntur ea, quæ de Officiis tradita ab illis, & præcepta ſunt. Nulla enim vita pars, neque publicis, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt; ineoque colendo ſita vita eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo* (b). Atque innumera quidem dicenda nobis occurrerent, ſi omnia complecti mens foret, quæ a veteribus, recentioribuſque Philoſophis, atque præſertim in

(a) *de Ira li. c. 27. vide epiſt. 94.* (b) *Cic. Offic. l. c. 1.*

* Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor: *Sen. Troad. v. 334.*

Non omne, quod licet, honeſtum eſt. *Dig. lib. 1. Tit. 17. de div. reg. Jur. l. 144. & 197.*

in aureis illis Officiorum libris a Cicerone explicari conſpicimus; præcipua tamen, ac ſumma veluti rerum capita ſeligemus, ut nobiliora morum præcepta, vel hominum Officia breviori, clariorique ordine complectamur. Cûmque hominum quilibet vel ad Deum, vel ad ſeipſum, vel denique ad homines alios, quibuſcum vivere, & conjungi debet, referri vel dirigi poſſit, hanc ultimam Moralis Diſciplinæ partem ita dividemus, ut hominis Officia erga Deum, ſeipſum, & alios homines oſtendamus, quibus *Monaſticam*, ſive *privatam* prudentiam contineri jam diximus; deinde verò *Economicam*, ſive *Domeſticam* tradituri de Officiis illis differemus, quæ in familiâ rite, ac fæliciter inſtituendâ conſiſtunt; ſupremo deinde loco *Politicam*, ſive *Civilem* exponemus, hominumque munera, & Officia, quæ ad quietam, pacatamque Urbis, ſive Reipublicæ fauſtitatem diriguntur.

CAP.

CAPUT I.

De Officio hominis erga Deum.

I. INter innumera prorſus Officia, quibus humanus animus dirigi, vel obligari conſpicitur, illud in primis, aut principi loco non immeritò collocatur, quo Deum, divinaque omnia complectimur. Sive enim Deum veluti rerum omnium fontem, beneficentiſſimumque patrem conſideres, a quo perfectiones omnes uberrimè derivant; ſive homines ipſos, qui eas maximo, & immortali munere ab ipſo Deo recepere; nitidè, clariſſimèque nobis oſtenditur nihil æquè decere, quàm ut illi vivido quodam, perenni, & ſincero grati animi ſenſu, venerationem, amorem, & ſi quæ fuerint alia devinctiſſimi, & obſequentis animi officia exhibeamus; quæ ſingula amoris, obſequii, gratique animi officia cum mirâ religionis virtute contineri, vel definiri conſueverint, ipſa religio veluti eximia, & juſtiſſima virtus, ex quâ deinde cæteræ fæliciter oriantur, haberi meritò ſolet. Itaque de religione ipsâ, & iis, quæ ad pulcherrimam virtutem illam ſpectare facilè poterant, ita nunc breviter diſſeremus, ut officium hominis erga Deum, niſi pro rei dignitate, quantùm certè conſilii noſtri ratio patitur, oſtendatur, omniumque animus vivido, ac ſincero ſupremi, perfectiſſimique Numinis amore accendatur.

II. Nihil eſt verò cur ipſum religionis nomen exponamus; cùm ſapientiſſimi etiam viri in illius inquirendâ origine diſſideant. Cicero ni-

nimirum, ubi jam dixerat *ſuperſtitioſos homines appellari qui totos dies precabantur, & immolabant ut ſui ſibi liberi ſuperſtites eſſent*, aſſeruit, quod illi, *qui omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, retractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi* (a). Lactantius tamen obſervat *hominem Deo præcipuis vinculis eſſe religatum unde ipſa religio nominatur*. Quæcumque tamen vocis origo cenſeri debeat, de quo clariſſimi viri viderint, optimè definitur ipſa religio, virtus, quâ Deum, ac divina omnia eo, quo decet cultu, honore, ac reverentiâ proſequimur; ideoque religio ipſa veluti maxima juſtitiæ pars, vel juſtitiæ adnexa cenſeri ſolet, ut ſuperiori loco jam diximus, ubi de juſtitiæ partibus loqueremur, quòd illa ſupremo Numini, beneficentiſſimoque patri honorem, & amorem illum exhibeat, quem optimo, maximoque jure ipſi deberi intelligimus. Quamvis autem plurimæ religionis cauſæ afferri conſueverint, quibus nos ad religionem ipſam impellimur: ad duas tamen revocari facilè poſſunt, infinitam nimirum Dei perfectionem, quâ maximum a nobis honorem, venerationemque meretur; ac infinitum amorem, & beneficentiam, quâ nos ille complectitur; ut ſi proinde Deum ipſum in ſe conſideres, ac majeſtatem, quâ ſuper omnia maximè excellit, ſive potiùs effuſam in homines beneficentiam, quâ nos omnes mirificè ſibi devinxit, ex utroque fonte maxima religionis dignitas, juſtitia, atque neceſſitas orietur.

III. Atque, ut a primo veluti puriori, nobiliorique fonte exordiamur, clariſſimis, certiſſimiſque rationibus erudimur infinitam eſſe præſtantiam, di-

(a) *Nat. Deor. II.*

dignitatem, majeſtatemque Dei, ut ab intellectu noſtro nihil nobilius, perfectiùs nihil, nihil denique magnificentius intelligi, ſive concipi poſſit, cùm ille perfectiones omnes in ſe mirificè complectatur,

——— *& quæ diviſa beatos*
Efficiunt, collecta teneat (*a*)

omnes nimirum perfectiones illæ, quas in variis creatarum rerum generibus diviſas conſpicimus, & quarum amore prorſus incendimur, ab illo, veluti fonte, ac oceano uberrimè profluxerint, ideoque nobiliori, ac infinito modo in illo reperiantur. Si itaque naturâ ipsâ, ac ingenito veluti pondere abripimur, ut illa diligamus, quæ bona, quæ juſta, quæ perfecta ſunt; tantòque purior eſt amor ille, qui in noſtris cordibus excitatur, quantò nobilior eſt illa bonitas, atque perfectio, quæ in objecto reperitur, quò nimirum purior, atque vividior eſt amabilitas, quam in objecto fulgere conſpicimus, quis non intelligat maximum, & perfectiſſimum eſſe oportere amorem illum, quo Deum ſummè perfectum, infinitâ excellentiâ, bonitate, majeſtate præditum diligamus?

IV. Hinc Epicurus ipſe, etſi Dei providentiam omnem ſuſtulerit, atque impudentiſſimè aſſeruerit, quod ille

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur irâ, (*b*)

attamen exiſtimavit illum *non aliter quàm parentem colendum eſſe; diligi nimirum debere nullâ ſpe, nullo pretio; ſed propter ejus majeſtatem eximiam, ſupremamque naturam, quod venerationem juſtam habeat quidquid excellit.*

Cicero tamen id eleganter, & fusè commemorans ait *non intelligere ſe quamobrem Dii colen-* di

(*a*) Claud. de laud. Stilic. 1. (*b*) Lucr. lib. 1. ver. 62.

di ſint nullo nec accepto ab iis, nec ſperato bono [a]: unde ſeveriùs Epicurum ipſum exagitans inquit *quod ſuſtulit Epicurus omnem funditus religionem; nec manibus, ut Xerſes, ſed rationibus Deorum immortalium templa, & aras evertit: & ex animis hominum extraxit radicitus religionem cum Diis immortalibus & opem, & gratiam ſuſtulit. Quæ enim poteſt eſſe pietas, quæ ſanctitas, quæ religio: hæc enim omnia purè, & caſtè tribuenda Deorum numini ita ſunt, ſi animadvertuntur ab his, & ſi eſt aliquid a Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dii neque poſſunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, nec quid agamus animadvertunt, nec eſt quod ab his ad hominum vitam permanare poſſit, quid eſt quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?* quemadmodum Himerius contra Epicurum ipſum exardens *aras*, inquit, *non evertiſti? at fruſtra eas eſſe oſtendiſti tollens videlicet e rerum naturâ providentiam, ob quam aras extruximus. Sacrificia nova non introduxiſti? at verò omnia ſuſtuliſti* [b].

V. Sed acerbiùs illa fortaſſe, quàm par fuerat, Epicuro objecta videri poterunt. Quamvis enim Epicurus ipſe providentiam immeritò prorſus, impudentiſſimèque ſuſtulerit, ut alibi demonſtravimus, omnemque proinde ſupremi Numinis beneficentiam everterit, ut ab illo beneficia ſperari, vel expectari certè non poſſint, quorum gratiâ, & amore ſit adhibenda religio; non omnem tamen religionem, aras, & ſacrificia ſubvertit. Semper enim Deum colendum eſſe docuit, *propter ejus majeſtatem eximiam, ſupremamque naturam*. Quinetiam purior fortaſſe, ac ſincerior illa religio, Deorumque cultus

(a) *de Nat. l. c....* (b) *apud Phot.*

videretur, quem Epicurus admiſit, quàm ſit ille, qui a cæteris Philoſophis admitti conſueverat. Illi nimirum ſolo divinæ beneficentiæ ſplendore, præmii, deſiderio, vel bonorum, ac utilitatis amore excitabantur, ut Deos colerent; at Epicuro, ſepoſitâ quoque beneficentiâ, ſolâ majeſtate, ſive perfectiſſimæ naturæ præſtantiâ digniſſimi Dii videbantur, qui maximo amore colerentur: unde quemadmodum purior, atque nobilior eſt illa amicitia, quæ conſtanter amicum diligit, etſi nulla utilitas exinde oriri poſſit; ita quoque nobilior, & ſincerior haberi poterit illa religio, quæ nullo commodi amore ſit inſtituta, ſed ſolâ Numinis præſtantiâ, dignitate, vel meritis innitatur. Et certè divino fidei lumine a ſacris Literis erudimur, quod licèt omnia ab optimo, beneficentiſſimoque Patre ſperanda ſint, atque imprimis æterna fælicitas, cujus amore operamur; etiamſi tamen nulla nobis utilitas inde oriretur, Deum nihilominus ſuper omnia diligere, ſincero religionis genere venerari deberemus: cùmque amor ille mercenarius appellari poſſit; purior hic amor filialis, ac liberalis optimè diceretur. Itaque prima religionis cauſſa, & origo ex admirabili, vel effusâ Dei beneficentiâ, repeti certè non poterit, ut immeritò prorſus Cicero exiſtimavit; ſed ipſum maximo, & incredibili ardore diligere deberemus, etſi nulla nobis gratiæ, vel premii ſpes affulgeret.

VI. Quid verò ſi deinde Deum ipſum veluti proviſorem beneficentiſſimum, amantiſſimumque Patrem conſideremus, qui plurima, ac infinita ferè beneficia nobis conceſſerit; qui mortalium preces, lacrimas, & vota benigno clementiæ ſenſu excipiat, ipſiſque inflectatur; qui nova

ſem-

ſemper, ac uberrima munera largiatur, ut nemo *tam miſer tam neglectus, tam duro fato, & in pœnam genitus ſit, ut non tantam munificentiam ſenſerit*, ut ſi *illos ipſos complorantes ſortem ſuam, & querulos circumſpicias, invenies non ex toto beneficiorum cœleſtium expertes, neminem eſſe, ad quem non aliquid ex illo beniniſſimo fonte manaverit?* [a] Hæc certè, aliaque id genus plurima qui feriò, diligenter, vel accuratè perpenderit, clariſſimè intelliget nos duplici veluti ſtimulo ad Deum colendum, ac amandum impelli; ideoque Deum ipſum duplici virtute, vel officio complecti nos oportere, cultu nimirum, ac obſequio, quo ſupremi, præſtantiſſimique Numinis majeſtatem veneremur; & amore deinde, quo ipſius amori, ac beneficentiæ ſi non pares, quod fieri certè non poterit, aliquas ſaltèm vices memori, gratoque animo rependamus.

VII. Et ad cultum quidem quod attinet, etſi plurima ſint illa, quibus humanus animus Deum colere, ac venerari potuerit, atque in primis purus, ac ſincerus animi ſenſus, quo ſupremam divini Numinis majeſtatem conſiderans, honores omnes illi deberi intelligat, ſeque illi ſubijciat, optimo tamen, ſapientiſſimoque conſilio apud nationes omnes ſic inſtitutum eſſe conſpicimus, ut homines exterioribus etiam actibus veluti ſenſibilibus quibuſdam ſignis, ſacrificiis nimirum, ritibus, ceremoniis, obſequium proprium, debitamque Numini venerationem teſtarentur; ut ille proinde, qui uno, eodemque religionis ſpiritu, ſive in eodem colendo Numine conveniret, hoc exteriori cultûs genere, veluti arctiſſimo fœdere devincirentur.

(a) *Sen. Ben. IV. c. 4.*

VIII. Atque, ut puriorem Religionis originem non ex vanis Ethnicorum moribus, & fabulis, ſed ex divinâ potiùs hiſtoriâ repetamus, a ſacris Literis erudimur, quod ab ipsâ mundi origine ſenſibilis quædam, ac externa religionis forma divinitus inſtituta fuit, quâ primi homines Deum verum colerent, ac veluti ſupremum rerum omnium dominum venerarentur. Hinc illi fructuum primitias, lac, & hoſtias libare, vel immolare conſueverant, quorum adſpectu, vel odore Deus ipſe clementiſſimè delectari, vel inflecti dignabatur; idemque mos perenni patrum traditione ad poſteros derivatus, ac divinis etiam vocibus mirificè confirmatus apud Judæos veluti ſinceræ religionis aſſertores, verique Numinis cultores conſtantiſſimè floruit. Ubi verò poſt exitum populi ab Ægypto lex edita, ſive præſcripta fuit, alia plurima ſacrificiorum genera, ritus innumeri, ac ceremoniæ ſunt conſtitutæ, quibus ſacerdotes uti deberent; tandemque Templum a Salomone incredibili prorſus magnificentiâ dicatum fuit, in quo nobiliori quadam gloriâ Domini majeſtas reperiretur, ejuſque ſplendor illuſtriùs coruſcaret, Deus hominum precibus faciliùs inflecteretur, ſincera denique Religionis opera nobiliùs exercerentur.

IX. Quod ſi vetus illa Judæorum religio, ritus omnes, ac ceremoniæ, quæ velut umbra futurorum præſcriptæ fuerant, Chriſti Redemptoris funere extinctæ, vel abrogatæ fuerunt, ut alibi demonſtravimus; atque ſincerior alia, nobilior, & purior Chriſtiana religio divino Chriſti ſanguine eſt conſecrata, non ſenſibiles quidem in iſtâ taurorum, & hircorum hoſtiæ, ſed divinum aliud, & immortale ſacrificii ge-

nus

nus eſt inſtitutum, quo æterno Patri, vel ſupremo Numini Chriſtus ipſe veluti ſacerdos *, ſimulque victima primùm in arâ crucis; deinde verò in altaribus a Sacerdotibus, quibus conſecrandi panis, ac vini poteſtas conceſſa fuit, imolatur. Itaque ſi in ejuſmodi divino prorſus, atque admirabili ſacrificii genere tanta profectò dignitas, excellentia, & valor eſſe conſpicitur, quis non intelligat homines, dum ſacra hæc myſteria peraguntur, eximiâ prorſus veneratione intereſſe debere; puriſſimo, ac ſincero cordis affectu, atque effuſo charitatis ardore incendi nos oportere dum divini corporis, ſanguiniſque ſubſtantiæ participes futuri, ſacris altaribus admovemur; cùm non aliud illuſtrius, purius, atque nobilius religionis officium, & actus effingi poſſit, quo ſupremi Numinis majeſtatem veneremur, atque illi arctiſſimè conjungamur?

X. Ipſo quoque divinæ religionis ſpiritu impellimur, ut quidquid ad ejuſmodi Dei cultum dirigitur, eximio quodam obſequii, ac venerationis ſenſu complectamur. Maximus itaque Sacerdotibus honor haberi debet, quibus divina poteſtas illa conceſſa fuit, ut *myſteriorum Dei diſpenſatores* (a) fierent, ut ejuſdem Redemptoris vices in terris gererent, ut denique divinæ legis interpretes, animorum duces, inter Deum, ac populum ſequeſtres forent; ideoque irati Numinis animum precibus, & hoſtiis ita lenirent, ut ad clementiam inflecterent. Et

(a) *Corinth.* I. *c.* 4. *v.* 1.

* Divina cujus charitas
Sacrum propinat Sanguinem,
Almique membra Corporis
Amor Sacerdos immolat.

quamvis etiam in ipſis non ea morum caſtitas, religionis zelus, atque virtutum ſplendor appareat, qui ſublimi, ac divinæ prorſus dignitati par foret, nihilo tamen minùs eximio pietatis, atque honoris ſenſu ſuſpiciendos eſſe erudimur.

XI. Quinetiam Templis ipſis, & aris maximus honor haberi debet, cum in ipſis divina majeſtas puriori quodam, nobiliorique modo reſideat; ipſa divino cultui ſolemniter, ac ritè ſint conſecrata; precibus denique, ac ſacrificiis ſupremo Nūmini offerendis ſint inſtituta; ut illa proinde *domus orationis* in ſacris Literis appellentur, in quâ oculi Dei ſemper aperti ſint. Sepoſitis itaque ſenſibilium rerum affectibus, ſincero pietatis ſenſu, vultu ad religionem compoſito Templa ingredi debemus; ibique præſentem Numinis majeſtatem humiliter venerari. Id unum oculis obſervari, vel cordi eſſe debet, ut vel irati Judicis, ac vindicis iram effuſis lacrimis leniamus; vel amantiſſimi certè patris clementiam, & opem enixis precibus exoremus. Quod ſi in templis ipſis ſinè ullo pudore, ac verecundiâ animum vagari patiamur, & ſenſibilium rerum illecebris, atque imaginibus irretiri: ſi omnem oculis licentiam concedamus; ſi denique ſub ipſo vindicis numinis conſpectu liberè peccèmus, & orationis domum veluti ſpeluncam latronum efficiamus, vereri certè non poſſumus ne graviſſimi hujus ſceleris pœnas ſic ille a nobis expoſcat, ut nullus nobis ſperandæ, vel exorandæ veniæ locus ſuperſit.

XII. Ne denique minutiùs, ac fuſiùs cetera proſequamur, ad eximiam hanc religionis virtutem, & officium pertinet divina omnia venerari; illa nimirum, quæ ad Deum ipſum divino, vel humano jure aliquâ ratione diriguntur,

tur, maximo honore complecti; ut ritus omnes ac ceremonias, veſtes etiam, ac inſtrumenta, quæ in rebus divinis peragendis adhiberi conſueverint, aut Templorum decori, & ornamento ſint deſtinata. Illa nimirum contemni, diripi, vel violari certè non poſſunt, niſi religio ipſa violetur, & grave ſacrilegii ſcelus admittatur, ut alibi quoque jam diximus ubi de peccatis loqueremur. Huc denique pertinet honor ille, qui divinis Literis, Prophetarum, & Sacerdotum vocibus haberi debet; ut non niſi temere, impudentiſſimèque contemni, vel irrideri, in pravos etiam, ac indecoros ſenſus inflecti poſſint; quod tamen feſtivè aliquando, ac ſcurriliter fieri non ſinè maximo certè pietatis, ac religionis dedecore conſuevit.

XIII. Quandoquidem verò Deum ipſum veluti ſupremum, ac præſtantiſſimum Numen colere, ac venerari debemus, ſimulque veluti Patrem beneficentiſſimum diligere, quemadmodum ſuperiori loco de religione, vel cultu jam diximus, ita nunc aliqua de amore dicenda nobis ſuperſunt, quo Deum a nobis diligendum eſſe tacitâ quadam naturæ voce erudimur. Cùm itaque Deus non infinitam modò bonitatem in ſe complectatur, quæ incredibiles in nobis excitaret amores ſi nitidè videretur; ſed plurima quoque, ac infinita ferè amoris argumenta nobis oſtenderit; maximis, & immortalibus beneficiis noſtros animos mirificè ſibi devinxerit, ut paullo ſuperiùs oſtendimus, optimo certe jure, ac veluti naturæ pondere impellimur, ut amantiſſimum, beneficentiſſimumque Patrem puriori, ac vividiori, quo liceat, ardore diligamus. Hinc a ſacris Literis erudimur Deum *ex toto corde, ex totâ anima, &*

 totis

totis viribus diligendum eſſe (a), ut ſi cor noſtrum perenni, ac irrequietâ veluti flammâ incenſum amoris victima conſumi poſſet, vix ac nevix quidem amor ille par foret, ut aliquas amantiſſimi patris amori vices rependeret.

Omnibus itaque animi viribus nobis eſt enitendum, ut Deum ſuper omnia diligamus; & quandoquidem *Deus charitas*, & ignis eſt, *ignem venit mittere in terram*, *nec aliud vult niſi ut accendatur (b)*, ipſum lacrimis, effuſiſque votis rogare debemus, ut vehemens ille divinæ charitatis ardor in noſtris cordibus accendatur, affectus omnes conſumat, noſque demum placabilem, Deoque placentem hoſtiam efficiat.

XIV. Quòd ſi miſerrima hujus mortalis vitæ conditio vix patitur, ut perenni ardore Deum diligamus; neque divino jure, ſive præcepto tenemur ſemper amoris, vel charitatis actus elicere; ipſo tamen divino, ac naturali jure erudimur aliquando ejuſmodi amoris actus eliciendos eſſe, ut ſinè gravi peccato deſeri, vel omitti non poſſint. Quamvis verò Theologi mirè diſſideant in definiendis temporibus, quibus ille amoris actus exeri debeat, omnes tamen in illo ferè conſentiunt quod homo divinæ charitatis actum elicere debet dum gravi tentatione premitur, atque abripitur ad peccandum; ſive dum in gravi mortis periculo reperitur; ſive cum primum homo rationis uſum acquirit, ideoque ad ſummum, verumque bonum ſe convertere, ſive ingenito veluti naturæ impetu dirigere debet. Unde meritò veluti pernicioſa refelli debet, atque ex omnium cordibus extirpanda eſt illorum ſententia, qui

(a) *Matth. c. 22. v. 37.* (b) *Luc. c. 12. v. 49.*

qui aſſerere non dubitabant, quod *homo non tenetur unquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris, fidei, & ſpei ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

XV. Ingenuus deinde, ſincerus, ac *filialis* amor ille, quo Deum veluti Patrem diligimus, impellere, vel excitare nos debet, ut ab illo bona cuncta nobis profutura certò ſperare, vel polliceri poſſimus: ideoque ab illo nobis opem, in adverſis rebus auxilium petere, atque exorare debemus: ut Redemptor ipſe ſæpiſſimè nos ad orandum, atque petendum invitat, *petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Optimo tamen, divinoque conſilio nos admonet, ut in Chriſti ipſius nomine petamus, non modò quòd noſtris meritis confidere non poſſimus, ſed in ipſo Chriſti Redemptoris ſanguine, & amore ſpem omnem, omnemque fiduciam collocare; verùm etiam quòd illa ſolùm petere, vel optare debemus, quæ decora, quæ juſta, quæ Deo placita, quæ perenni potiùs, ac æternæ ſaluti ſint profutura. Hinc Pythagorici mirificè commendantur, quod *clarâ voce* Deos *precari* juſſerint, *non quod precantes ſubmiſsâ voce audire Numina non valeant; verùm quòd eſſe juſtas velint, & quales quis concipere multitudine conſciâ non vereatur* (*a*); quemadmodum Seneca ubi dixiſſet *rogandam eſſe bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis,* addit *tunc ſcito eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum cum eò perveneris, ut nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam. Vide ergo ne hoc præcipi ſalubriter poſſit; ſic vive cum hominibus tamquam Deus videat; ſic loquere cum Deo tanquam homines audiant* (*b*).

CAP.

(*a*) *Cl. Al. Str. IV. & Macr. Sat. I.* (*b*) *epiſt. 10.*

CAP. II.

De Officio hominis erga ſeipſum.

I. SI vividus, & incredibilis amor ille, quo hominum quilibet ad ſeipſum diligendum impellitur, ſemper ad honeſtatem, ac puriſſimas æquitatis leges dirigi ſoleret, inutile profectò videretur illud Officii genus exponere, quod homines erga ſeipſos præſtare tenentur; *ſupervacaneum eſt enim, in quod imus, impelli; quemadmodum nemo in amorem ſui obhortandus eſt, quem adeo dum naſcitur, trahit* (a). Sed amor ipſe ſæpe nos fallit, ad illa diligenda, vel inquirenda ſæpe nos excitat, quæ nos a pulcherrimo rationis lumine, vel conſtituto fine deflectant; ut affectus omnes, & vitia, quibus humanos animos mirificè perturbari, vel deturbari conſpicimus, ex *philautiâ*, nimio nimirum, vel immoderato ſui amore veluti fonte dimanent. Ut itaque ingenitus ardor ille ingenuus, honeſtuſque ſit, debet certis quibuſdam veluti finibus circumſcribi; cùmque eodem naturæ jure, quo nos ipſos diligimus, Deum quoque, & homines alios amare, ſive complecti debeamus, privatus amor ille dirigi, vel temperari ſic debet, ut neque religioni, & amori, quo Deum diligere jubemur; neque charitatis, & eximiæ ſocietatis legibus, quibus cum aliis devincimur, opponi poſſit. Quod facilè fieri profectò

(a) *Sen. de Ben. IV. c. 17. Xenoph. Mem. I. c. 4.*

fectò poterit, ſi leges aliquæ diligenter, & accuratè ſerventur, quas ex ipſo naturæ lumine, primiſque Moralis diſciplinæ luminibus deducemus.

II. Illud itaque primò requiritur, ut humanus animus ſeipſum, indolem, vires, naturamque propriam accuratiſſimè inſpiciat juxta vetus, ac celebre præceptum illud *Noſce te ipſum* (a); cumque ſe cæleſtis, atque divinæ propemodum originis eſſe noverit; ſe creatis omnibus, & corruptibilibus rebus puriorem intelligat; ſe ad pulcherrimum finem dirigi, maximæ, & immortalis fælicitatis amore excitari, puriſſimo denique ac nitidiſſimo rationis lumine exornari deprehenderit; nobiliùs certè de ſe, ac magnificentiùs ſentire, labiles omnes, & caducas res contemnere, ad finem naturâ ipsâ ſibi conſtitutum dirigi, nihil amplecti, quod a puriori rationis ſplendore, ac naturæ legibus adverſetur; ad perennem denique felicitatem omnibus ingenii viribus eniti debet, ut quidquid ab ejuſmodi fælicitatis conſequendæ ſtudio retrahere, vel retardare fortaſſe poterit, ſedulò, diligenterque declinet. Hinc illa, quæ de ſummo bono, vel ultimo hominis fine, de humanis actibus, legibus, conſcientiâ, virtutibus omnibus ſuis in locis opportunè jam diximus, intelligi, ſanctiſſimèque ſervari debent, neque aliter homo ſeipſum verè diligere, vel amare poteſt, quàm ſi ſummum bonum, ſummamque fælicitatem ſibi inquirere, vel comparare nitatur; iiſque virtutibus exornetur, quibus veluti mediis fælicitas ipſa, vel hominis finis acquiritur.

III. Nihil tamen ad beatitatem illam fæliciter

(a) *Cic. Tuſc. l. c. 22.*

citer comparandam uberiùs conferre poterit, ideoque ſincerus amor, & Officium hominis erga ſeipſum non alibi clariùs effulget, nec aliud fortaſſe magis a nobis exigit, quàm ut optimum quiſque vitæ ſtatum eligat, in quo fæliciter, ac jucundè vivere poſſit: atque ubi prudenter ipſum elegerit, conſtanter in illo perſeveret, omneſque ſuſcepti muneris, atque conſilii partes implere ſatagat (*a*). Atque in ejuſmodi certè conſilio, vel optimo vitæ genere ſeligendo plurimos mirificè falli, vel errare conſpicimus, quod homines illud plerumque deligant, ad quod voluptatis ardor, ſenſibilium rerum illecebræ, vel caſus ipſos impulerit; ex quo deinde errore, quem nulli unquam alteri, vel maximo comparaveris, errores alii, vel mala plurima oriri ſolent, quæ ſuperari, vel temperari quoque vix poterunt. Maximus itaque labor, induſtria, vel diligentia requiritur, ut priùs indolem, ingenium, animi, corporiſque vires inſpiciat; ſingula vitæ genera, & incommoda, quibus illorum ſingula premi ſolent, accuratiſſimè inquirat: tum ſepoſitis affectibus illud eligat, cui ſe parem, & aptiſſimum noverit. Hinc optimum illud, magiſque conveniens vitæ genus ab Adoleſcentibus eligi vix poterit, niſi divino quodam, vividiorique ſpiritu, aut certè prudentis viri conſilio dirigantur. *Ineunte enim adoleſcentiâ cum ineſt maxima imbecillitas conſilii, tum id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maximè adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere, curſuque vivendi, quàm potuit, quod optimum eſſet, judicare ... Quæ contemplantes expendere oportebit*,

(*a*) *Vid. Sen. ep. 71.*

bit quid quiſque habeat ſui, eaque moderari, nec velle experiri quàm ſe aliena deceant. Id enim quemque decet, quod eſt ſuum maximè. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, acremque ſe & bonorum, & vitiorum ſuorum judicem præbeat; ne ſcenici pluſquam nos videantur habere prudentiæ: illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt [a].

IV. Cùm tamen ingenitus amor ille, quo nos diligimus, ac ingenio, viribuſque noſtris nimiùm confidimus. plerumque certè nos fallat, juverit etiam prudentes aliquos, ingenio, honeſtate, ætate, rerumque uſu peritiores viros conſulere, qui ſincerè nos moneant quibus præſertim muneribus apti ſimus; cùmque nos nitidè, accuratèque perſpexerint, oſtendant

quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

Quo certè loco major illis autoritas, & fides haberi meritò poterit, qui divino, vel humano jure nobis dirigendis, atque ad honeſtatem informandis ſint deſtinati, ut parentes ipſi, Principes, tutores, ac præceptores; qui cùm puriori nos amore complecti ſoleant, ac noſtræ, ſimulque publicæ utilitati conſulere velint, melioribus etiam conſiliis nos dirigere, & juvare poterunt. Quandoquidem tamen rerum exitus, humanarum rerum conditio, humanæ mentis conſilia incerta plerumque, & obſcura eſſe ſolent, & ſapientiſſimos etiam viros hac in parte falli conſpicimus, ut hoc eligendæ vitæ conſilium bene, ac fæliciter vertat, clementiſſimi, amantiſſimique Patris auxilium humiliter, ac enixè petere, vel implorare debemus, ut eximius aliquis ſplendor *deſcendens a Patre lumi-num*

(a) *Offic.* I. c. 33.

num (*a*), mentem illuſtret, ſimulque pectus incendat, ut humanus animus quæ bona, quæ decora, quæ utilia ſint, videat; & ad implenda, vel exequenda, quæ viderit, accendatur.

V. Ubi verò jam ſemel animus de ſeligendo vitæ genere accuratiſſimâ rerum cognitione, prudenti aliorum conſilio, atque præſertim divini luminis ope deliberaverit, conſtanter illud amplecti, & alacriter, jucundèque ſervare debet. Nihil enim prudentis hominis conſilio, vel honeſtati, rerumque gerendarum fælicitati æquè repugnare conſpicitur, quàm ſi humanus animus irrequietâ quadam cupiditate ad nova munera, novumque vivendi genus divagetur; cùmque officium aliquod elegerit, ad alia repente convolare deſideret. Quod ſi ſuſcepto jam ſemel conſilio delectetur, ac tranquillò animo ſemper in ipſo quieſcat, omnes etiam faciliùs ingenii vires, omnemque operam conferet, ut pro rei dignitate inſtituto muneri ſatisfaciat, impoſitam ſibi perſonam gerat, omneſque ſuſcepti conſilii partes implere perfectè velit.

VI. Quinetiam, etſi fortaſſe temere, & inconſultò conſilium, & munus illud elegerit, cui ſe deinde minùs aptum, atque imparem noverit, neque tamen illud deſerere, atque aliud amplecti poſſit; æquo tamen, tranquillo, conſtantique animo ſic geri debet, ac ſi libere, prudenterque ſuſceptum fuiſſet. *Ad quas igitur res aptiſſimi erimus in iis potiſſimùm elaborabimus; ſin aliquando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, ſi non*

(*a*) *Jacob. ep. c.* 1.

ſi non decorè, at quàm minimùm indecorè facere poſſimus (a). Ac innumeris certè exemplis erudimur plurimos in officio illo, dignitate, ſive vivendi genere poſitos, cui minùs apti videbantur, ac fortaſſe fuerant, præclarè ſuſcepti muneris partes geſſiſſe; ſive quòd ingenio, & exercitatione novam ferè indolem, novaſque vires ſibi compararunt; ſive certè quòd Deus novum illis cor, nova conſilia, novumque robur adjecit, ūt ſuſcepti conſilii partes ad privatam, publicamque fælicitatem implerent, proprioque munere laudabiliter defungi poſſent.

VII. Deinde verò quemcumque ſtatum, ſive vivendi genus elegerit, ſeipſum ſemper in illo diligere, perficere, & conſervare debet; cùm illud omni animantium generi naturâ inditum ſit ut ſe tueri, meliorique ratione ſibi conſulere velit. *Sed quoniam omnis noſtra vis in animo, & corpore ſita eſt, alterum nobis commune cum Diis, alterum cum belluis commune eſt, animi imperio, corporis ſervitio magis uti debemus* (b); illa nimirum purior, cæleſtis atque divina propemodum pars meliori, vividiorique ſtudio, & amore diligi, perfici, vel conſervari ſic debet, ut omnis ferè animi cura, vel ſolicitudo in illâ fæliciter exornandâ non immeritò collocetur (c).

VIII. Ut animus itaque dirigi, vel perfici poſſit primò requiritur ut ſeipſum nitidè, clariſſimèque cognoſcat, *nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut ſe quiſque noſcat* (d). Deinde requiritur, ut variis artibus, ſcien-

(a) *Cic. Offic.* III. (b) *Saluſt. in Catil. c.* 1. (c) *Plat. in Alcib.* I. & *Cic. Fin. V. c.* 12. 13. (d) *Cic. Tuſc.* I. *c.* 22.

ſcientiarumque luminibus exornari deſideret; cùmque inſatiabili veri videndi cupiditate natura ipsâ incendatur, innata doctrinæ ſemina ingenio, vel exercitatione ſenſim excitare debet, ut uberrima deinde, ac jucundiſſima rerum cognitio oriatur. Hæc ipſa tamen inveniendi veri cupiditas ita leniri, dirigi, vel temperari debet, ut illa præſertim addiſcantur, quæ aut ingenii viribus, aut ſuſcepto muneri magis conveniant; ut non pervicaci diſſidendi ſtudio, innovandi libidine, curiosâ quadam in ſubtilioribus inquirendis indagine; ſed ingenuo potiùs, ac ſincero veritatis amore, flexibili quadam, ac docili mentis manſuetudine, ſobriâ denique, ac moderatâ laudis, & eruditionis cupiditate excitemur: quemadmodum præclarè monet Apoſtolus *non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem* (a).

Hinc ubi de Divinis agi contigerit, iis nimirum, in quibus divino fidei lumine erudimur, modeſtè, humiliter, ac verecundè loqui debemus, omnemque ingenii vim, ut acumen ita divinæ revelationi, vel auctoritati ſubiicere, ut ab illâ deflectere, vel minimùm diſſidere non liceat. Secus verò, ſi de naturalium rerum cognitione diſſeratur, etſi maxima doctiſſimorum hominum authoritas eſſe debeat, etſi nunquam temerè, ac pervicaciter illorum ſententiæ contemni, ſed pacato potiùs, ac tranquillo rationis lumine deferi, refellique poſſint; nunquam tamen animus, aut pravis ſenſuum erroribus, aut opinione vulgi, aut ſolâ denique ſapientiſſimorum hominum auctoritate moveri debet, ut fuſiùs, & oportuniùs alibi oſtendimus

(a) *Rom. c. 12. v. 3.*

mus ubi de divinâ, vel humanâ authoritate, ejuſque viribus loqueremur.

IX. Quemadmodum verò humanus animus, vel intellectus cognitione rerum illuſtrari debet; ita quoque voluntas ipſa, quæ ad bonum, honeſtatemque dirigitur, variis virtutibus eſt exornanda, de quarum ſingulis, illarumque præſtantiâ, ac muneribus ſuperiori Diſputatione jam diximus. Id unum obiter hìc addi poterit, quod quamvis virtutes omnes pulcherrimæ, vel inquirendæ ſint, nec poſſit ulla perfectè haberi, quin ſimul cæteræ arctiſſimo veluti fœdere conjunctæ ſint; illæ tamen acriori ſtudio, vel amore ſunt inquirendæ, quæ magis ad ſuſceptum vitæ conſilium conferre poſſint: ut in Juris Conſulto juſtitia, æquitas in mercatore, in milite fortitudo, in legato dexteritas, atque prudentia, &c.

X. Quamvis autem maxima ſolicitudo, vel amor ille, quo nos diligere tenemur, ad animum dirigi debeat; aliquam tamen curam corpori quoque adhibendam eſſe erudimur; cùm præſertim ipſa corporis integritas ad animi tranquillitatem, perfectionemque plurimùm conferat: ut vitiato proinde corpore, animo quoque plurimum ſplendoris, ac roboris detrahatur. Itaque corpori non modò alimenta, quibus acerrimus famis, ſitiſque ſenſus extinguatur; ſed ſomnus etiam, & requies ſubinde concedi debet, quâ fractæ vires reparentur, ac alternâ veluti laboris, & otii viciſſitudine miſerrima hujus mortalis vitæ conditio levior efficiatur. Sed in his omnibus temperies, & modus adhiberi maximè debet. Si enim quis ſolo voluptatis amore nimiam cibi, potûſque copiam ingereret, non modò puriorem, vividioremque animi ſplendorem extingueret; ſed corporis e-

tiam vires, atque alacritatem ſenſim minueret, ut inde morbi, ægritudines, & alia incommoda exoriantur. Hinc illos alacriores, ſaniores, magiſque longævos eſſe conſpicimus, qui caſtâ quadam, ac ſobriâ temperie ſomno, cibiſque indulgeant, quàm qui otio marcere, cibiſque ſe ingurgitare conſueverint. Corporis etiam tuendi cauſsâ, vel amore requiritur, ut cum illud ægritudine vitiari, ſive languere contigerit, ſedulò, diligenterque, adhibitâ quoque Medicorum operâ, ſive conſilio curetur; ſicuti a ſacris Literis erudimur *honorandum eſſe medicum propter neceſſitatem* [a]. Vix tamen unquam, vel admodum certè rarò medicum conſulere, vel adhibere debebit qui ſtabili, vel firmâ corporis temperie ſit; qui parcè, ſobriè, caſtèque vixerit, & accuratâ præſertim obſervatione, utilium, ac inutilium rerum diſcrimine corporis proprii vires, indolem, vitia perſpexerit; *valetudo enim ſuſtentatur notitiâ ſui corporis, & obſervatione quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe, & continentiâ in victu omni, atque cultu corporis tuendi cauſsâ, & prætermittendis voluptatibus* [b]; in quo tamen ciborum diſcrimine, tuendæque ſalutis ſtudio modum aliquem adhibendum eſſe jam diximus ubi de vitæ brevitate loqueremur.

XI. Ipſa quoque fortunæ bona, divitiæ nimirum, honores, & amicitiæ diligendæ, vel inquirendæ, aut, ſi aquiſitæ jam fuerint, conſervandæ ſunt, *negligere enim quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolùm arogantis eſt, ſed etiam diſſoluti* [c]; cùm ex ipſis animi tranquillitas oriatur, neque perfecta hominis fælicitas ſinè illis haberi poſſit, ut alibi oſtendimus cum de homi-

(a) *Eccleſ.* c. 38. v. 1. (b) *Cic. Offic.* II. c. 24. (c) *Id. Offic.* I. c. 28.

minis fælicitate res foret. Sed illud iterum monere par fuerit, quod effrænis illa, vel inſatiabilis divitiarum, & honoris cupiditas, quâ humanus animus perditè deperit, ita leniri, vel potiùs extingui debet, ut parvo contentus, meritis ſolùm, ultròque oblatis honoribus delectetur. Sanctiſſimas denique leges illas in amicitiæ fœdere inquirat, ac religiosè ſervare velit, quas ſuis locis oportunè præſcripſimus, atque inferiùs etiam oſtendemus ubi de mutuis hominum officiis, & ſocietatis amore diſſeremus.

XII. Interim refelli facilè poterit Hobbii ſententia, qui, cùm adverteret homines ingenito prorſus amore, ac tacitâ veluti naturæ voce dirigi, ut ſeipſos diligant, membra, fortunas, & vitam acerrimè tueantur, *juris naturalis fundamentum primum eſſe* definit, *ut quiſque vitam, & membra ſua quantum poteſt tueatur; ideoque ut etiam unuſquiſque jus habeat utendi omnibus mediis, & agendi omnem actionem, ſinè quâ conſervare ſe non poteſt: utrum autem media, quibus uſurus quiſpiam eſt, & actio, quam acturus eſt, ad conſervationem vitæ, vel membrorum ſuorum neceſſaria ſint, nec ne, ipſe jure naturali judex eſt... cùmque natura dederit unicuique jus in omnia, ... ex hoc etiam intelligitur in ſtatu naturæ menſuram juris eſſe utilitatem* (a). Quam enim perdita, ac perniciosa cenſeri debeat ejuſmodi opinio facilè inferri poterit ex iis, quæ de naturæ jure, vel honeſtatis origine diximus, quam non ex proprii commodi, vel utilitatis amore, ſed ex puriori potiùs humanæ naturæ fonte repetendam eſſe demonſtravimus. Itaque naturæ jure ſeipſum, mem-

(a) *De Cive c. I. §. 7. 8. 9. 10.*

bra, fortunas etiam tueri licet, dolores, vim, injurias, & mortem repellere; perperam tamen exiſtimaveris id quocumque medio, ſeu virium conatu fieri poſſe, atque irrogatæ injuriæ, vel infligendæ pœnæ gravitatem privato ſolùm judicio definiri debere.

XIII. Hinc *jure* quidem *gentium ita comparatum eſſe* intelligimus, *ut arma armis propulſentur* (*a*), vique vim repellere liceat; ſed ipſo tamen naturali, ac humano jure erudimur, id moderatè, certiſque legibus pro vario temporis, loci, rerumque diſcrimine fieri poſſe, nimirum *in extremo vitæ periculo cum quis alium ſervare non poteſt quin perdat ſe* (*b*); *tunc enim videtur nobis gladius ab ipſis porrigi legibus* (*c*); ideoque paullo rigidior, atque ſeverior eſt illa ſententia, quæ D. Ambroſio (*d*), Cypriano (*e*), Auguſtino (*f*), aliiſque pluribus arriſit, illum nempe, qui nos occiſurus invaſerit, perimi non poſſe. Quamvis enim ipſum diligere, ejuſque vitam ſervare debeamus, charior tamen nobis noſtra quàm alterius vita eſſe debet; ideoque niſi aliter mortem vitare poſſimus, quàm ipſius morte, id jure fieri poterit; cùmque ipſe violenter, ac injuſtè mortem nobis inferre voluerit, impulit etiam, ut vitam, quâ nihil jucundius, nihilque carius eſſe unquam poterit, ipſius morte defendamus. *Præclarum enim illud eſt, & ſi quæris rectum quoque, & verum, ut eos, qui nobis cariſſimi eſſe debeant, æquè ac nos metipſos amemus; at verò plus, fieri nullo pacto poteſt; ne optandum quidem eſt in amicitiâ, ut me ille plus quàm*

(*a*) *Liv.* (*b*) *Cujac. in tit. dig. de juſt. & jure ad l. 3.* (*c*) *Cic. vid. Grot. de Jure B. I. c. 2. 3. & II. c. 20. §. 8. n. 2.* (*d*) *Offic. III. c. 4.* (*e*) *epiſt. 56. 57.* (*f*) *lib. I. de lib. arb. n. 13. al. 6. 5. & ep. 47. al. 154. vid. Puf. lib. II. c. 5. §. 14. not. 1.*

quàm ſe amet, ego illum pluſquam me. Perturbatio vitæ, ſi ita ſit, atque officiorum omnium conſequetur (a).

CAP. III.

De Officio hominis erga alios.

I. NUllus propemodum finis eſſet futurus ſi pro rei dignitate ſingula complecti mens foret, quibus inter homines mutua officiorum ſocietas continetur. Cùm tamen plurima de ejuſmodi charitatis, & officii genere, ipſius origine, utilitate, virtutibus, & legibus illis, quibus eadem ſocietas, & amicitia iniri, vel conſervari facilè poterit, variis in locis expoſita, vel explicata jam fuerint, aliqua ſolùm hìc veluti coronidis loco afferentur, quibus hæc ipſa generis humani ſocietas nitidiùs oſtendatur, ejuſque conſervandæ, perficiendæque amore vividiùs incendamur.

II. Illud itaque in primis conſtitui, ſive ſupponi meritò poterit, homines naturâ ipsâ impelli, ut aliquo ſocietatis, ac mutuo veluti charitatis, & amicitiæ fœdere conjungantur, cùm aliter hominis fælicitas, atque tranquillitas haberi non poſſit [b]. Et certè cùm hominum quilibet homines alios ab eadem cauſsâ creatos, eâdem naturâ, viribus, indole, ingenio præditos, iiſdem virtutibus, ac ſcientiis exornatos intelligat, fieri

(a) *Tuſc. III. c. 29.* (b) *vid. Cic. Fin. III. c. 19. & V. c. 23. & II. c. 14.*

profectò non poterit, quin illos eodem ipſo amore diligat, ac honore proſequatur, quo ſeipſum diligit, & ab aliis amari, vel honorari deſiderat; ex quo mutua amoris, obſequii, cultûſque ſocietas orietur. Deinde verò, cùm nullus tranquillè, jucundè, commodè vivere poſſit, niſi ab aliis dirigi, juvari, defendique ſoleat, ut aliorum ope, & conſilio dirigatur, pares cæteris vices præſtare, ſive rependere debet; ideoque ex ingenito commodi, vel utilitatis amore veluti ex altero fonte mutua officiorum ſocietas, ſive generis humani charitas, atque conjunctio deduci debet; ſicuti uberrimè, elegantiſſimèque Cicero, Seneca, aliique innumeri demonſtrarunt.

III. Pulcherrimum itaque rationis, atque naturæ lumen extinxiſſe, puriſſimamque humanæ mentis indolem deturpaſſe videtur Hobbius, qui *negari non poſſe* putavit, *quin ſtatus hominum naturalis, antequam in ſocietatem coiretur, bellum fuerit, neque hoc ſimpliciter, ſed bellum omnium in omnes;* cùmque *ſempiternum bellum parum idonea res foret ad conſervationem, vel humani generis, vel cujuſcumque hominis, evenit ut mutuo metu e tali ſtatu exeundum, & quærendum ſocios putemus, ut ſi bellum habendum ſit, non ſit tamen contra omnes, nec ſinè auxiliis; quæruntur autem ſocii vel vi, vel conſenſu; vi quando pugnâ victor victum ſervire ſibi cogit metu mortis, vel vinculis inditis; conſenſu quando ſocietas initur mutuæ opis cauſsâ conſentiente utrâque parte ſinè vi (a)*, Atque ejuſmodi perniciosæ doctrinæ dogmata, quibus omnis charitatis, ac honeſtatis ſplendor extinguitur, ex altero Hobbii principio, ſive naturali jure deduci-

(a) *de Civ. c. I. §. 13. 14.*

ducitur, quod natura dederit unicuique jus in omnia; *hoc eſt in ſtatu merè naturali, ſive antequam homines ullis pactis ſeſe invicem obſtrinxiſſent, unicuique licebat facere quæcumque, & in quoſcumque libebat, & poſſidere, uti, frui omnibus, quæ volebat, & poterat . . . ex quo etiam intelligitur in ſtatu naturæ menſuram juris eſſe utilitatem.*

Quemadmodum itaque oſtendimus honeſtatem, ſive naturæ jus non ex liberis hominum voluntatibus, neque ex privatâ cujuslibet hominis utilitate, ſed ex ipsâ potiùs animi noſtri naturâ, ac invariabili, vel æternâ divinâ lege pendere; ſic homines ipſi, etiamſi nullo pacto, vel nullo expreſſo fœdere conjuncti forent, ingenito tamen, ac tacito naturæ jure, vel fœdere conjungi, mutuo charitatis, & amoris vinculo devinciri deberent, quod nullo voluptatis, commodi, vel utilitatis amore violari poſſet; ut proinde Socrates *illum execrari ſoleret, qui primus utilitatem a naturâ ſejunxiſſet id enim quærebatur eſſe caput exitiorum omnium* (*a*).

IV. Univerſum itaque genus humanum, vel hominum ſingulos ingenuo quodam, ac ſincero charitatis amore diligere, ſive complecti debemus; nobiſque cordi eſſe debet ut ab omnibus diligamur: ut perfecta proinde vitæ tranquillitas ex mutuo hoc amore, vel inito ſocietatis fœdere oriatur. Puriori tamen, vividiorique amore illos diligere debemus, qui non modò communem cum nobis animi naturam ſortiti fuerint; ſed etiam ejuſdem regni, vel patriæ finibus contineantur; iiſdem legibus, ſtudiis, ingenio, moribus utantur; præſertim verò qui do-

(*a*) *vid. Offic. III. c. 3. & Clem. Str. om. II.*

meſticâ conſuetudine, ſive ſanguinis etiam conjunctione devincti fuerint: ut quò nimirum arctiori vinculo, ſocietate, vel fœdere conjuncti ſint, eò puriori amoris, & charitatis genere diligantur. Neque ſolùm tacitâ naturæ voce impellimur ut homines alios diligamus, præclarè de ipſis ſentiamus ac honorificè loquamur; verùm etiam huic ſocietatis, vel charitatis ſtudio pietas quoque bonitas, liberalitas, benignitas, comitas adjungi debet, ut illis nimirum conſulere, prodeſſe, parcere velimus, eodemque benevolentiæ, amoris, ac munificentiæ ſenſu complecti, quo nos ab aliis diligi, ſive juvari cupiamus.

V. Quod *ſi impellimur naturâ ut prodeſſe velimus quam plurimis, imprimiſque docendo, rationibuſque prudentiæ tradendis* (a); meliori certè jure, ac naturæ legibus erudimur, ne cui dolus, injuria, vel damnum inferatur. Itaque ſinè maximo ſcelere alteri dedecus, & injuria irrogari non poterit; ideoque contumeliæ, calumniæ, & ſi quæ fuerint alia, quibus alterius honor, & fama violetur, religioſè, diligentiſſimèque vitari debent. Neque ſolùm ficta crimina immeritis, ac innocentibus affingi non debent, quòd ſinè ſummo injuſtitiæ, vel impudentiæ ſcelere fieri certè non poterit; ſed etiam vera alterius peccata, ſeu vitia, quæ occulta fuerint, prodi, vel publicari non debent; & quamvis etiam publica, atque iis ipſis, quos alloquimur, perſpecta fuerint, ita extenuari, excuſari, vel in meliorem partem inflecti debent, ut odium, atque invidia meliori quâ poterit ratione minuatur. Tantum itaque abeſt, ut conviciis, injuriis, calumniis convicia, injuriæ, ca-

(a) *Cic. Fin. II. c. 8. vid. Sen. ep. 6.*

calumniæ regeri, vel opponi poſſint, quod perditi quidam Philoſophi impudentiſſimè exiſtimarunt, ut ſemper ingenuo potiùs, puriſſimoque veritatis, & honeſtatis lumine dirigi debeamus; cùmque ſolo veritatis, & æquitatis amore cauſſam noſtram tueri teneamur, non dicteriis, atque calumniis, quæ nihilo certè meliorem cauſſam, ſed deteriorem potiùs, efficiunt, abuti poſſumus; ſed nitidâ potiùs clariſſimâque ratione, quæ tranquillè, modeſtèque exponatur; adverſarii impudentiam refellere debemus, ut a ſacris Literis, meliorisque notæ Philoſophis erudimur.

VI. Maxima quoque veritas, aut ſincerus animi candor requiritur, quo ceteros fallere, vel in errorem inducere ſummi dedecoris, & ſceleris loco habeamus; ideoque nunquam mentiri, vel contra animi noſtri ſententiam loqui debemus. Quum enim ſocietas, vel humani generis tranquillitas haberi non poſſit niſi hominibus ſeriò, & conſtanter aliquid affirmantibus fidere poſſemus, ſed fraudes potiùs, dolos, inſidias, atque mendacia undique ſuſpicari, vel timere deberemus, manifeſtiſſimè apparet, quod ipſo naturæ jure verbis incautum fellere prohibemur, ideoque nitidè verbis ipſis animi noſtri ſententiam exponere, vel declarare debemus. Qui itaque miris ambagibus, æquivocatione, reſtrictione mentali veritatem obnubi poſſe putarunt, ut alibi declaravimus, præcipuum certè honeſtatis, ac ſocietatis caput funditus convellere nituntur: ut ſublatâ fide, ſeu veritate pacata quoque civium tranquillitas fraudibus, ac inſidiis mirificè perturbari, vel extingui debeat.

VII. Quamvis tamen mendacium nunquam lici-

licitè, vel impunè adhiberi poſſit; non omnis tamen veritas, aut animi ſenſus ita prodi, vel explicari debet ut aliquando diſſimulari, vel occultari non poſſit; in quo tamen accurata quædam, ac prudens dexteritas eſt adhibenda, quâ neque veritas exponatur, neque falſitas aſſeratur; atque ubi fortaſſe cogimur, ut aut veritas ipſa nobis credita declaretur, aut mendacio occultetur, divino, atque humano jure erudimur præſtare ut veritas ipſa, quæ ſinè ſcelere tegi non poteſt, appareat, quàm ut mendacio, vel pravis, ac inhoneſtis artibus occultetur. Nullo nimirum pacto, munere, imperio, vel officio cogimur, ut ſecretum aliquod occultemus, quod ſinè ſcelere, ſive mendacio occultari non poterit; cùmque mendacium ipſum divino, ac naturali jure vetitum ſit, nullo certè pacto, fœdere, vel imperio excuſari poterit.

VIII. Ingenuus verò, vel ſincerus animi candor meliori certè, graviorique jure religioſiùs adhuc, ac ſeveriùs obſervari debebit ubi humana quoque jura, ſive conventio, pactum, libera, ſive deliberata promiſſio adjungatur; ut optimè proinde dixerit Cicero quod *fundamentum juſtitiæ eſt fides, ideſt dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas*. Cùm itaque alicui fides obſtricta fuerit, ut in contractibus fieri ſolet, nullo unquam tempore, ſive cauſsâ reſcindi, violari, ſeu lædi illa poterit; ſed conſtanter, ingenuè, ſanctiſſimèque ſervari debet; idque præſertim ubi divina jurisjurandi religio acceſſerit. Quod non modò de civibus, & amicis, ſed hoſtibus etiam intelligi debet, qui eodem, communique gentium jure, vel humanitatis vinculo continentur; unde *qui civium rationem dicunt ha-*

habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis ſocietatem; quâ ſublatâ, beneficentia, liberalitas, bonitas, juſtitia funditus tollitur; qua qui tollunt, etiam adversùs Deos immortales iniqui judicandi ſunt (a).

IX. Ut tamen ſanctiſſima datæ fidei, initi fœderis, ac jurisjurandi vis obliget primò requiritur, ut quis non temere, & inconſultò, gravique metu coactus, ſed liberè fidem ſpoponderit; deinde verò ut fides ipſa, ſive promiſſio nihil indecorum, vel inhoneſtum contineat, quod nimirum divinis, humanisque legibus adverſetur. Si enim fides, promiſſio, atque conſenſus in grave incommodum cedat; gravi, vehementique timore, vulneris, & mortis formidine extortus fuerit, irritus planè, ac iniquus cenſeri debet; *nihil* enim *conſenſui tam contrarium eſt quamvis, atque metus;* nullo etiam fœderis, ac ſocietatis amore adduci quis debet, ut æternum, ac naturale jus, quod juribus omnibus, legibus, ſive liberis hominum conventionibus antiquius, & fortius eſt, & cui liberâ hominum voluntate derogari non poteſt, violare poſſit; ideoque ſi quid injuſtum, ac indecorum promiſſum fortaſſe fuerit, id nullo juſtitiæ, vel religionis officio impleri debet.

(a) Cic. Offic. III. c. 6.

CAP. IV.

De Officio hominis erga Familiam.

I. NUllibi fortaſſe clariùs, & illuſtriùs effulget ingenitus amor ille, quo nos dirigi, vel impelli quoque jam diximus ut aliquo ſocietatis, fœderis, mutuæ benevolentiæ vinculo cum ceteris hominibus conjungamur, quàm in ſocietatibus illis, quas a variis hominibus unà collectis tranquillè fieri, ac fæliciter conſervari conſpicimus. Si enim familiam conſideres, in quâ plurimi aut ſanguinis conjunctione, aut imperio, vel ſervitute connexi reperiuntur; aut Urbem ipſam, ſive Rempublicam contempleris, in quâ plures iiſdem mœnibus, religione, ac legibus continentur, nitidè profectò, clariſſimèque intelligitur hanc hominum ſocietatem, neque fœliciter inſtitui, neque perenniter conſervari potuiſſe, niſi illi mutuo quodam benevolentiæ, & charitatis ſpiritu ad ejuſmodi ſocietatis fœdera dirigerentur. Quemadmodum itaque ſuperiori loco de variis hominum Officiis, quibus homines ſinguli perfici, vel dirigi debent, loquuti jam ſumus, ita quoque de Officiis illis modò breviſſimè diſſeremus, ex quibus perfecta Familiæ, ſive Reipublicæ tranquillitas oriatur, domeſticæ nimirum, vel œconomicæ prudentiæ munera, quibus Familia dirigitur, hìc oſtendemus; de civili deinde, ſive Politicâ, quæ Civitatis, aut imperii regimen conſiderat, in ſequenti Capite loquuturi.

II. Quod

II. Quod ad Familiam itaque pertinet, illa tres veluti in partes diſtingui, ſive tria perſonarum genera complecti ſolet, *conjuges* nimirum, *liberos*, & *ſervos:* ut ex variis proinde perſonarum generibus, vel conditione varia quoque munera, vel officia diſtingui, vel oriri debeant; officia nimirum, quibus vir cum uxore, parentes cum liberis, domini cum ſervis; ſive mutuâ viciſſitudine uxor cum viro, liberi cum parentibus, ſervi cum dominis conferantur, de quorum ſingulis Ariſtoteles II. libris OEconomicorum, & libro I. Politicorum, quemadmodum etiam Cicero in III. Officiorum libris copiosè, elegantiſſimèque diſſeruit.

III. Cæteris tamen antiquius, atque nobilius cenſeri meritò poterit officium illud, atque conjunctio, quæ inter conjuges reperitur. Neque enim ſolo voluptatis, commodi, vel utilitatis amore, ſed ipsâ potiùs naturæ lege, ac neceſſitate inſtitutum eſt, ut arctiſſima quædam corporis, animique conjunctio inter viros, ac fœminas haberetur, quâ genus humanum perenni quadam ſucceſſione ab interitu vindicaretur; cùmque hominum quilibet fato cedere, vel interire deberet, majoribus vitâ functis liberi ſuccederent liberos alios ſibi ſuperſtites relicturi. Hinc a primis uſque temporibus, atque in ipsâ mundi origine, ut a ſacris Literis erudimur, ubi divinus Artifex hominem in mundo collocaſſet, *non eſt*, inquit, *bonum hominem eſſe ſolum*, ideoque *fecit illi adjutorium ſimile ſibi;* cumque *maſculum*, *& fœminam creaſſet eos*, *creſcite* ait, *& multiplicamini*, *& replete terram* [a], ut oſtenderet neque perfectam vitæ peragendæ rationem

(a) *Gen. c. I. v. 18.*

nem haberi poſſe niſi viro laboris, & vitæ ſocia, vel adjutorium adderetur; neque humanum genus conſiſtere, niſi procreandæ ſobolis amore ſocietas, novumque fœdus iniretur.

IV. Quamvis autem eadem ferè voluptas, vitæ jucunditas, atque humani generis conſervatio promiſcuâ quadam ſocietate haberi poſſet, puriùs tamen, atque ſinceriùs oriri illa poterat ex legitimo, conſtanti, atque perenni fœdere, quo viri ſinguli ſingulis uxoribus conjungantur; ideoque rationis lumine, atque ipſo naturæ jure erudimur, hanc ſocietatem in legitimo ſolùm thoro quærendam, diligentiſſimèque ſervandam eſſe. Cùm enim inter conjuges eſſe debeat corporis, animique conjunctio, perennis etiam, ac vivida amoris, mutuæque benevolentiæ ſocietas, maximum denique in liberis educandis ſtudium, ac ſolicitudo; certè vix amor ille, conjunctio, vel ſtudium haberi poſſet ſi varias in partes dividi, variiſque uxoribus diligendis, educandiſque liberis diſtrahi deberet; ſed querelis potiùs, jurgiis, ac diſſidis omnis vitæ jucunditas miſerrimè extingueretur.

Itaque Adamo uxorem unicam perenni, ac indiſſolubili vinculo Deus conjunxit, ut in hac primâ maris, & fœminæ ſocietate monogamiæ dignitas, utilitas, atque præſtantia veluti imagine oſtenderetur.

V. Quod ſi deinde ad uberius humani generis incrementum conceſſit ut idem homo pluribus uxoribus conjungeretur, nullibi tamen permiſit ut eadem uxor pluribus viris communis foret. Ex multiplici ſiquidem uxorum numero, ſive poligamiâ nova ſolùm in pluribus liberis educandis anxietas augeretur, mutuus amoris, ac benevolentiæ ardor minueretur, rixæ

de-

denique, ac querimoniæ oriri poſſent, quæ tamen ſingula aut uberiori rerum copiâ, aut ingenio, aut virtute leniri quodammodo, vel temperari fortaſſe poſſent; ſin verò pluribus viris uxores communes forent, non modò rixæ, acerbioreſque querelæ orirentur, ſed filii a parentibus, a ſororibus fratres nullo diſcrimine, diſtingui poſſent, ideoque parricidiis, inceſtibus, atque ſceleribus aditus aperiretur, pietas omnis, omniſque charitas ex humanis animis extingueretur. Et certè, ſi plurimos parentes eſſe conſpicimus, qui in liberis a ſe genitis educandis, nutriendiſque nullam operam, nullumque ſtudium conferre ſolent, quid ſi liberos ita confuſos, ac incertos eſſe contingeret, ut nemo proprios a ſe genitos agnoſceret?

VI. Celebris itaque Platonis opinio [a], qui in Republicâ præclarè inſtitutâ putavit facultates omnes, & uxores etiam, Civibus omnibus communes eſſe oportere, ut quilibet communi patriâ, communibus opibus, communibus uxoribus, communibus liberis, communibus omnibus uteretur, eodemque ſincero amore, ac pietate complecteretur, veluti abſurda, inutilis, civium tranquillitati, Reipublicæ fauſtitati, atque ipſi in primis rationis lumini, ſive naturæ legibus contraria, refelli debet, ſicuti certè Ariſtoteles ipſam plurimis, clariſſimiſque rationibus confutavit.

VII. Perfectus itaque, & ſincerus amor, perfecta conjugii ſocietas inter unicum virum, & uxorem unicam eſſe debet; tantòque purior, atque jucundior eſſe poterit, quantò vividiùs aliquis affectus omnes, quibus varios homines complecti ſolet, ad illos ſolùm, qui conjugii fœdere

re

(a) *Polit. VII.*

re devincti fueri, dirigat; ſicuti certè divinâ Redemptoris voce erudimur, quod *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne unâ* [a]; ut major proinde ſocietas, mutui amoris, ac benevolentiæ vinculum dari non poſſit, quàm quod in conjugibus ipſis reperitur. Primum itaque, ac præcipuum conjugum munus, & officium erit mutuo quodam, ſincero, puriſſimoque ardore ſeipſos diligere, ut una ſit cordium voluntas, unicus affectuum finis, unica, perennis, ac inviolabilis animorum conſenſio, quæ nullo doloris metu, nullo laborum, ac vitæ tedio, nullâ ſuſpicionis, ac querimoniæ acerbitate, nullo opinionum diſcrimine infici, lædi, vel extingui unquam poſſit, ſed ſemper vivida, ac ſincera, ſive tranquilla perſeveret.

VIII. Alterum deinde officium, ſinè quo mutuus amor ille, ſive tranquillitas haberi certè non poſſet, eſt mutua, vel incorrupta fides, quam illorum quilibet alteri intemeratè, caſtiſſimèque ſervare debet. Quum enim conjugium ipſum in maximâ corporis, animique conjunctione poſitum ſit, atque connubii jure mutua cuilibet conjugi in alterius corpus poteſtas concedatur, ubi vulgato amore, vel corpore poteſtas illa, ſive conſenſio violetur, maximum certè dedecus alteri, vel injuria irrogatur; mutua charitatis, & amoris flamma extinguitur; acerbis odiis, ſuſpicionibus, querelis, atque implacabili diſſidio conjugum animi excruciantur.

IX. Nec mutuus ſolùm amor, & incorrupta fides in conjugibus ipſis requiritur, ſed inſuper etiam amore, obſequio, ac reverentiâ quadam

(a) *Marc. c. 10. v. 7.*

dam ſeſe mutuò complecti debent, ut invicem ſervire, ac parere velint. Itaque vir uxorem non modò thori, ſed conſiliorum etiam, rerumque gerendarum participem, quantum illius ingenium, ſinceritas, fideique, ſive ſecreti cuſtodiendi conſtantia patiatur, efficere debet. Illa nimirum ubi ſe conſiliorum, & animi participem viderit, alacriùs gubernandæ familiæ curam ſuſcipiet, maritum impenſiùs diliget, ſi quid adverſum deinde contigerit, levius feret, & collatis undique viribus, opibus, & amore familiæ fauſtitati conſulet; ſin verò ſe a marito contemni viderit, iracundiâ, vel indignatione quadam familiæ curam deſeret, omnia querelis implebit, & quidquid fauſtum, vel infauſtum contingat, iniquo animo feret.

X. Quod ſi vir uxorem diligere, ac honorare debet, major certè ab uxore honor, ac reverentia viro debetur quippe qui caput mulieris ſit, ac imperium aliquod, ſive dominium habere videatur. Hinc Apoſtolus præclarè monuit, ut *mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris* (*a*); quemadmodum viros alloquens ait, *viri, diligite uxores veſtras . . . qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit* (*b*). Ex hoc itaque imperii, ſive dominii genere, quod maritis ineſſe concipitur, uxor viro parere, vel obſequi tenetur; in gubernandâ familiâ, conſiliiſque ſuſcipiendis ab illo dirigi debet; ab illo denique invito, vel inconſulto neque laribus, neque thoro dividi, ſive ſejungi poteſt, ſed illum ſequi tenetur; niſi fortaſſe gravis incommodi, ſive periculi timore, de quo Juriſconſulti præclarè diſſerunt, excuſetur.

(*a*) *Ad Eph.* 5. *c.* 5. *v.* 22. (*b*) *ibi v.* 28.

XI. Ubi verò conjuges ipſi liberos veluti communis amoris, fideique fructus ſuſceperint, officium aliud exoritur, quo Parentes liberos, vel liberi parentes complecti debent. Itaque parentes ipſi legitimos liberos, quicumque illi fuerint, diligenter alere, ac perhumaniter ſervare debent; cùm illorum ſingulis non eandem modò naturam, hominiſque dignitatem ineſſe videant, ſed ipſos etiam in liberis veluti imaginibus intueantur. Itaque Parentes pari prorſus amore, pietate, vel ſtudio filios omnes complecti debent; quin etiam maximè cavendum eſt ne unum plus altero diligant; cùmque ſinguli pari prorſus, & æquali naturæ vinculo conjungantur, pari quoque charitate, ac benevolentiâ foveri, nutriri, vel exornari debent; niſi fortaſſe purior in aliquo honeſtas, ac diligentia occulto præſertim amore, vel præmio decoretur, ut tardiores alii ad parem honeſtatis, & virtutis amorem, ingenuo veluti laudis, & mercedis ſtimulo, vividiùs excitentur; alioquin, ſi in diligendi, curandiſque liberis diſcrimen aliquod haberetur, facilè jurgia, querelæ, ſive diſſidia orirentur.

XII. Deinde verò cum filii adoleverint, parentis erit illorum mores ſenſim componere; ipſorumque animos cereos in vitium flecti ad honeſtatem potiùs, & virtutis amorem partim præceptis, partim pœnarum timore præſertim verò exemplis inflectere; nihilque deſeri, vel omitti debet, quod pueris liberaliter, ac rite educandis conferre poſſit. Omnibus itaque viribus eſt enitendum, ut teneris adhuc illorum mentibus puriora religionis, pietatis, ac virtutum ſemina fæliciter inſerantur; quæ ſi illorum cordibus altè inſederint, facilè deinde vi-

vi-

vidiùs excitabuntur, ac uberrimos honeſtatis, & honoris fructus ad familiæ decus, patriæ ornamentum, commune denique reipublicæ bonum producent.

XIII. Neque pietate ſolùm, & virtutum ſplendore, ſed ingenuis etiam artibus, prout varia parentum conditio tulerit, liberi ſunt exornandi; ideoque præceptoribus illis tradi, ſive comitti debent, qui non modò ingenio, ac peritiâ meritò commendentur; ſed ingenuo quoque amore diſcipulos complecti, ipſos honoris potiùs, & gloriæ ſtimulo, quàm ſeveritate impellere, omnemque operam in erudiendis illis conferre conſueverint. Et quamvis etiam Præceptoris induſtria, ſolertia, ſive prudentia perſpecta fuerit, non ita tamen parentes illi confidere, vel in utramque aurem dormire debent, ut aliquando de pueri, vel Præceptoris etiam diligentiâ ſedulò non inquirant; ſic enim utriuſque animum vividiùs excitabunt, ut proprio muneri alacriùs, collatis undique conſiliis, ac viribus adeſſe velint.

Quo certè loco ſatis reprehendi, vel deplorari quoque non poterit quorumdam hominum temeritas, ac impudentia, qui cùm liberos præceptoribus illis erudiendos commiſerint, quos temerè, & inconſultò illis caſus obtulerit, nunquam deinde de liberis, illorumque eruditione, ſive progreſſu inquirere ſolent; & quamvis etiam præceptorem ipſum vel ætate, vel ingenio, vel moribus, vel diligentiâ tanto muneri imparem noverint; avaritiâ tamen, ſocordiâ, aliiſque affectibus impelluntur, ut auream, melioremque adoleſcentis ætatem otio torpere, inutilibus artibus teri, vitiis plerumque infici, vel irretiri patiantur.

Plurimùm deinde pueris erudiendis conferre poterit, ſi longè a matris conſpectu, ac domeſticorum blanditiis, quibus ætas illa inſici, ac enervari ſolet, præſertim verò publicè cum adoleſcentibus aliis erudiantur, ut ingenitâ quadam gloriæ cupiditate, vel æmulatione, aliorum exemplo aſſiduis veluti ſtimulis incitentur. Hinc præclarè monuit Ariſtoteles pueros omnes non privatim, ſed publicè erudiendos eſſe; quod uberiùs deinde pluribus, inviċtiſſimiſque rationibus maximus ille orator Quintilianus elegantiſſimè demonſtravit Inſt. I. c. 3.

XIV. Denique, ubi liberi honeſtis artibus inſtituti jam fuerint, parentum munus, & officium erit, ut illorum quilibet id vitæ genus prudenter eligat, quod ſibi aptiſſimum noverit. Quamvis enim parentes conſilio, viribus, & operâ in hoc eligendæ vitæ negotio liberos juvare debeant, nulla tamen poteſtas, jus, & authoritas illis conceditur, ut invitos ad hoc potiùs, quàm aliud vitæ genus impellere liceat. Quod ſi parentes olim de liberorum ſtatu, ac voluntatibus decernere poterant, & alios militiæ, templis alios, aliis conjugio, certiſque uxoribus addicere, vel conſecrare ſolebant, ut parentum judicio, ſeu voluntati liberis diſſentiri nefas, ac illicitum foret; civilibus tamen, & eccleſiaſticis legibus hæc authoritas adempta fuit: quemadmodum ferè patribus olim vitæ, neciſque jus in filios conceſſum fuiſſe legimus, quod mitioribus deinde temporibus vetitum, vel ereptum eſſe erudimur.

XV. Porrò paternus amor ille, vel cura, qui liberis exhiberi debet, nullis annorum finibus circumſcribitur; ſed quandiu parentes vivunt, liberorum ſaluti, commodo, fauſtitati con-

conſulere debent; atque ubi *annus octogeſimus*, ut ajebat ille, *admonet nt ſarcinas colligant, antequam proficiſcantur e vita* (a), ubi nimirum peracto jam vitæ curſu e vivis excedere compelluntur, liberos ſibi ſuperſtites bonorum omnium hæredes pari amoris affectu, niſi fortaſſe primogenituræ juribus, aliiſque legibus aliter ad familiæ decus cautum fuerit, relinquere debent; unde ſi pater omiſſis, vel exhæredatis liberis hæreditatem ipſam in alienos tranſtulerit, *inofficioſi* teſtamenti querela filiis civili jure conceditur. Sed hæc, aliaque id genus plurima Juriſconſulti viderint; quemadmodum hæc ipſa parentum officia, ac poteſtatem Politus noſter uberrimè eſt proſequutus in eximio Opere *de patriâ in teſtamentis condendis poteſtate*.

XVI. Quod ſi tanta parentibus in liberos cura, pietas, amor, & officia eſſe debent, maximo certè jure, ac tacitâ naturæ voce liberi quoque impelluntur, ut pares amoris, obſequii, ac beneficentiæ vices parentibus rependant. Itaque liberi parentes ingenuo, vividoque charitatis ardore complecti debent, ut illos colere, ac venerari; ſemper honorificè de ipſis ſentire, ſeu loqui; illis aſſurgere, inſervire, diligenter obſequi, parere; nihilque ipſis invitis aggredi velint. Deinde verò, ſi parentum fortaſſe conditio, imbecillitas, & egeſtas exigat, a liberis ali, defendique debent; nihilque negligi, vel omitti poteſt, ut fracta viribus ætas, brevique interitura ſenectus officiis, & ſincero liberorum affectu leniatur; tantòque diligentiùs parentibus liberi prodeſſe debent, quantò diligentiùs parentes ipſi liberis conſuluerint; ut a-

(a) *Varro de Re ruſt. l. c. 1.*

mori, pietati, vel ſtudio æquale ſtudium, pietas, & amor (ſi tamen paterno amori, ac beneficentiæ par unquam amor a liberis, ac beneficentia rependi poſſit) oſtendatur.

XVII. Quandoquidem verò ſive nimius hominum numerus, ſive belli, fortunæque conditio, ſive denique pauperies plurimos impulit, ut hominibus aliis veluti dominis ſervirent, ideoque in familiis ipſis *domini*, ſimulque *ſervi* reperirentur, aliqua poſtremo hoc loco addidiſſe juverit de variis ſervorum, vel dominorum officiis. Duplex itaque *ſervitutis*, aut ſervorum genus diſtingui ſolet. Prima, ac ſeverior ſervitus vocatur illa, quâ quis invitus alteri ſubeſſe, vel ſervire cogitur. Altera verò mitior vocatur illa, quâ quis egeſtate compulſus liberè, & mercedis amore ſervire velit. Ac dubitari certè non poterit quin prima, ac ſeverior illa ſervitutis ſpecies aliunde repeti debeat, quàm ab ipsâ hominum naturâ, ſive naturæ lege. Cùm enim homines ſinguli eâdem naturâ, iiſdemque viribus præditos, adeoque pares, & æquales eſſe oſtenderimus, definiri certè non poterit cur unus alteri potiùs ſubeſſe, quàm imperare debeat; ideoque ſi prima hominis indoles, & conſtitutio ſpectetur, omnes æqualiter liberi, vel proprii juris eſſe debebant. Quod enim Ariſtoteles dixit ipſo naturæ jure debiliores, tardioreſque fortioribus ſervire debere, nullâ ratione defendi poteſt, ut ſequenti Capite oſtendetur, ubi de imperii, vel poteſtatis origine diſſeremus. Ex ſolo itaque belli jure oriri poterat, ut homines illi, qui in hoſtium poteſtatem veniſſent, cùmque legitimo belli jure occidi poſſent, in vitâ potiùs a victoribus *ſervarentur*, victoribus ſubeſſe, ac

ſer-

ſervire deberent, ut a civilibus legibus definitur; a quibus etiam imperium illud, atque dominium, quod in captivos, & ſervos ejuſmodi haberi poteſt, certis quibuſdam finibus circumſcribitur. Quamvis autem ſervitus illa legitimè, & ex ipſo gentium jure ſit inſtituta, mitioribus tamen Eccleſiæ legibus cavetur, ne quis fidelis alterius fidelis ſervitio mancipetur, atque ubi infidelis aliquis ejuratâ ſectâ, vel infidelitate Chriſti fidem amplectatur, libertatem acquirat. Itàque apud Chriſtianos altera ſolùm ſervitutis, ſeu famulatûs ſpecies reperitur, quâ ſervi cum dominis libero, ac temporali veluti fœdere conjungantur.

XVIII. Ejuſmodi verò dominii, vel ſervitutis officia eò potiſſimùm diriguntur, ut Domini ſervis pactam mercedem tribuant; a gravioribus, ac inhoneſtis operibus præſcribendis abſtineant; ipſorum denique moribus, atque ſaluti invigilent, juxta celebre Apoſtoli monitum: *ſiquis autem ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior (a)*. Viciſſim verò famuli dominos diligere, venerari, ſervare debent; ipſis parere, ac humiliter obſequi; injuncti muneris partes implere; quidquid denique tacitâ, vel expreſsâ conventione promiſerint, fideliter exequi tenentur, niſi fortaſſe divinis, atque humanis legibus adverſetur.

(a) *Ad Thim. ep. I. c. 5. v. 8.*

CAP. V.

De Officio hominis erga Rempublicam.

I. QUo fœdere, quibuſque legibus partim pietatis, partim commodi, vel utilitatis amore familiæ ſint inſtitutæ, ſatis, ut arbitror, ſuperiori loco jam diximus. Quandoquidem verò neque privata ſingulorum hominum, neque communis familiarum fælicitas, atque tranquillitas haberi poterat, niſi familiæ plures certo veluti fœdere, vel ſocietate Rempublicam, Urbem, Regnum, vel Imperium aliquod certis quibuſdam legibus conſtituerent, nunc exponenda, vel explicanda nobis occurrit Reipublicæ, Regni, vel Imperii forma, & origo; ſimulque munera, leges, & officia, quibus Cives omnes, & Principes ipſi Rempublicam, veluti nobilius quoddam familiæ genus, amplioribus certè finibus circumſcriptum, eodem ipſo juſtitiæ, pietatis, commodi, vel utilitatis amore complecti debent. Itaque primò exponemus, quæ cauſſa, & origo liberos homines impulerit, ut Urbes aliquas, & Imperia inſtituerent; deinde quæ melior imperii forma cenſeri poſſit; quæ denique Cives, & Principes ipſi Urbibus, ac Imperiis tranquillè, ac fæliciter dirigendis conferre debeant.

II. Atque, ut ab ipsâ civilis ſocietatis, vel imperii cauſsâ, & origine exordiamur, ex variis quidem, diverſiſque fontibus illa repeti, ſive deduci ſolet, ut partim ex ingenito ſocietatis amore, partim ex præpotenti quorundam hominum vi, partim denique ex injuſtitiæ, vel inju-

injuriæ timore ſit inſtituta. Cùm itaque ingenito quodam impetu, ac tacitâ ferè naturæ voce homines excitarentur, ut homines alios, quos ſibi ſimiles, pareſque viderant, amore, mutuis officiis, humanitate, ac benevolentiâ complecti vellent, cùm ipſis jucundè, ac tranquillè degere deſiderarent, plurimi ſimul initâ quadam ſocietate, vel conſuetudine coacti ſunt, iiſdemque patriæ, vel Urbium finibus contineri cœperunt. Sed, cùm potentiores aliqui nimiâ habendi, imperandique cupiditate perciti debiliorum fortunas, honores, vitamque ipſam fraudibus, ac inſidiis aggrederentur, ne Civitas ipſa diſſidiis, cædibus, ac perenni veluti civili bello, vel inteſtinâ diſſenſione miſerrimè diſcerpta foret, aut liberè, ac impunè ſcelera in civium perniciem graſſarentur; ſed ex pacato potiùs, ac tranquillo regimine jucunditas oriretur, neceſſarium fuit, ut cives omnes inito veluti fœdere convenirent ut illorum quilibet judicium proprium, ſive liberam, flexibilemque voluntatem multitudinis judicio, ſeu voluntati ſubmitteret, plenumque jus, ac poteſtatem illam, & imperium, quo fruebatur, in multitudinem ipſam transferret; ut quidquid proinde multitudini in commune Civium, atque Imperii bonum præſcribere, legibuſque confirmare libuiſſet, id ſingulis ratum, acceptumque foret, neque ſinè maximo ſcelere violari poſſet. Hinc, ut optimè Plato obſervavit, *leges cæperunt quòd utile viſum ſit hominibus paciſci mutuò ne facerent, paterentur ve injuriam* (b), ac leges ipſæ *pacta*, *fœdera*, *conventa* frequentiſſimè vocantur (c).

III. Deinde verò, cùm aucto civium numero, vel extenſis Imperii finibus incommodum videretur

(a) *vid. Sen. Benef. IV. c. 18.* (b) *Polit. II.* (c) *Ariſt. Polit. II. c. 9.*

tur multitudinem omnem convocare cùm ex infinito ferè ſuffragiorum, vel opinionum diſcrimine diſſidia plurima oriri poſſent; cùm denique repente, ac ſecretò plurima decerni deberent, quod certè fieri, vel ſperari quoque vix poterat, ſi in plurimis, imperitis, ac vitioſis etiam hominibus deliberandi, definiendique poteſtas, & autoritas reſideret, multitudini placuit ut poteſtas illa, vel authoritas omnis aut in aliquibus ſolùm peritioribus, honeſtiſque viris, aut in uno potiùs, qui juſtitiæ, laude, prudentiæ, ſapientiæ, ac virtutum omnium ſplendore excelleret, collocaretur; unde fieri profectò debuit, ut præclarè inquit Tacitus, ut *cunctas Nationes, & Urbes Populus, aut Primores, aut ſinguli regant* (a).

V. Itaque legitima poteſtas illa, vel imperii majeſtas, quæ in Republicâ, ſive Principibus reperitur, ex ſola populi, vel multitudinis conſenſione, ſeu liberâ electione veluti primo, puriſſimoque fonte deduci debet, quæ jus poteſtatemque propriam ſibi divinitus inditam juſtitiæ, pacis, ac tranquillitatis amore in plures homines, aut unicum transferre, certis quibuſdam finibus, vel conditionibus circumſcribere, ac ſi juſtiſſima, vel evidens Reipublicæ conſervandæ cauſſa id aliquando exigere fortaſſe videretur, in alios iterum transferre poterat. Quemadmodum tamen ſingulis hominibus, aut multitudini jus, libertas, ac imperium a naturâ ipsâ, ſive ab auctore naturæ Deo veluti pulcherrimum rationalis naturæ decus, & ornamentum conceſſum fuit, ita quoque jus ipſum a populo, vel multitudine in Principes tranſlatum, ſive jus regium divino, ac naturali jure inſtitutum dicitur.

VI. Quæ

(a) *Ann. lib. IV. c. 33. vid. Sen. ep. 14. Quintil. Inſt. lib. V. c. 10. Ariſt. III. Polit. c. 7. Plato Polit.*

VI. Quæ cùm ita ſint, refelli facilè poterit Hobbii ſententia, qui poteſtatem omnem, ac ſummum imperii jus ex ſolâ vi, vel potentiorum impetu oriri poſſe putavit. Cùm enim hominem ſolo utilitatis amore dirigi, vel impelli poſſe cenſeret, omnibuſque jus in omnia concederet, perenne, ac ſempiternum bellum inde futurum aſſeruit, quod aliter dirimi, ſive componi non poſſet, quàm ſi debiliores potentioribus cederent, eorumque imperio ſe ſubmitterent. Quod ſi deinde debiliores additis, comparatiſque viribus potentiori reſiſtere poſſent, ipſo naturæ jure, vel ingenito utilitatis amore, bellum inſtaurare, proprioque commodo conſulere; ac imperium recipere tenerentur. Quinetiam imperium ipſum, aut poteſtatem, quæ ſuper homines in Deo reperitur, ex ſolâ Dei potentiâ, vel hominum debilitate ita repetendam eſſe definit, ut ſi homines Deo jubenti, ac imperanti reſiſtere, vel reluctari poſſent, ipſi obedire minimè tenerentur *(a)*. Hobbio verò Ariſtoteles ipſe *(b)*, Plato *(c)*, aliique præluxerunt [*d*], qui debiliorem, imperitum, vilioremque nobiliori, doctiori, fortiorique cedere, ſubeſſe, ac parere debere putarunt.

VII. Quæcumque tamen Philoſophorum authoritas afferatur, fieri certè non poterit, quin hæc ſententia abſurda maximè, civium ſocietati, tranquillitati Reipublicæ, ſanctiſſimæ hominis naturæ, rationis lumini contraria, ac perniciosa meritò exiſtimetur. *Nec enim uti inter pecudes, ſic inter homines* lex naturæ *poteſtatem, & imperium valentioribus dedit (e)*; ſed auctoritas omnis, ac imperium ex ſolâ flexibili, ac liberâ hominum voluntate repeti poteſt, quam majoris, uberiorifque uti-

(a) de Cive c. 15. §. 5. (b) Polit. [c] in Gorgia. (d) vid. Plutar. in vita Cam. & Pelop. Thucid. V. c. 105. Ital. c. I. c. 5. (e) Plin. paneg. c. 38.

utilitatis, & pacis amore homines ipſi in Populum, Primores, aut Principes transferre poſſunt, ut ſuperiùs oſtendimus.

VIII. Exindè verò facilè apparet, quod tria imperii, ſive publicæ poteſtatis, ſive regiminis genera diſtingui poſſunt. Si enim jus, & authoritas univerſo populo, vel multitudini conferatur, *Democratia*, ſive populi dominium vocatur; ſi *paucioribus* tantummodo, *honoratioribus*, vel *optimatibus* tribuatur, *Oligarchia*, *Timocratia*, vel *Ariſtocratia*; ſi denique *uni* tantùm homini, veluti ſupremo capiti concedatur, *Monarchia*. Quin etiam poteſtas ipſa, quæ uni conceditur, diverſa eſſe ſolet; ut ſi viro conceſſa fuerit, *Androcratia*; ſi fœminæ, *Gynæcocratia*; ſi ita poteſtas illa, vel imperium uni tribuatur, ut in ipſius liberos hæreditario veluti jure tranſire debeat, *hæreditarium* imperium vocatur; ſin verò Rex quilibet in alterius defuncti locum eligi debeat, *electivum* dicitur; quæ ſingula imperii genera apud varias nationes floruiſſe, & adhuc florere conſpicimus.

IX. Quænam verò publicæ poteſtatis, regiminis; ac imperii forma nobilior, utilior, atque præſtantior haberi debeat, fusè a Juriſconſultis, Politicis, atque Philoſophis omnibus, & acerrimè diſputatur. Quo tamen loco pleroſque non ex ipſis naturæ legibus, vel communi gentium jure, ſed privato potiùs patriæ more, & affectibus impelli conſpicimus, ut illud imperii genus cæteris omnibus excellere arbitrentur, quod in patriâ florere viderint, ut etiam accuratè a Pufendorfio, aliiſque plurimis eſt obſervatum. Plerique tamen in hoc mirificè conſpirant, ut Monarchiam Democratiæ, vel Ariſtocratiæ; virile imperium muliebri; hære-

di-

ditarium electivo anteponant. Quamvis enim in ſingulis imperii generibus vitia, vel incommoda offendi ſoleant, quibus juſtitia, publica tranquillitas, Civium fælicitas, imperii denique ſive Reipublicæ majeſtas minui, violari, vel inſici ſolet, minora tamen, ac leviora certè dicuntur illa, quæ in Monarchico, Androcratico, ac hæreditario regimine, vel imperio reperiuntur. Sed hæc primoribus ſolùm labiis delibaſſe ſufficiat. Qui plura deſiderat Grotium, Hornium, Hobbium, Puſendorfium adire poterit, qui ſingula fusè, eruditè, accuratiſſimèque ſunt proſequuti.

X. Quæcumque tamen imperii forma ſit a Majoribus inſtituta, illa a Civibus omnibus accuratè, religioſèque ſervari, cuſtodiri, omnibuſque viribus defendi debet; non modò quòd ſinè ſummo perduellionis ſcellere, illa contemni, violarique non poſſit; verùm etiam quòd imperii mutationes ſinè maximo civium ſanguine, fraudibus, atque Reipublicæ detrimento fieri, vel obtineri non poſſint, ut innumeris, clariſſimiſque exemplis erudimur. Prudentis itaque & honeſtis Civis officium erit Patriam, vel Principem ipſum ſincero amore, ſive benevolentiâ complecti; ipſius imperio, legibus, miniſtris humiliter obſequi, omnium animos eximiâ charitate, munificentiâ, morum ſuavitate, juſtitiâ, virtutibus omnibus promereri; ingenio, ſolertiâ, liberalibus artibus, fide, prudentiâ, familiæ curâ, ſolicitâ liberorum educatione, pietate, religione cæteris præfulgere; publicis honoribus, ac dignitatibus, quibus imparem eſſe ſe noverit, abhorrere, promeritas tamen, ac ultrò oblatas ſedulò, diligenter, fideliter gerere; com-

(a) *vid. Ariſt. Polit. III. c. 15. 16. 17. & Metaph. XIV. c. ult.*

communi denique Civium, & Principis ſaluti, fauſtitati, libertati, vel incolumitati, in ſecundis, adverſiſque rebus conſilio, viribus, opibus diligenter conſulere; atque ubi vel injuncti muneris debitum, vel gravis calamitas poſtulaverit, honores, fortunas, liberos, vitamque ipſam dulci, ac decorâ morte conſtanter effundere.

XI. Quod ſi poſtremo loco de communibus etiam Principum muneribus, ac officiis aliqua veluti coronidis loco attexenda ſint, id non ſinè maximâ certè verecundia, moderatione, ac veneratione, quâ decet maximâ, fieri debere intelligimus. Ut enim præclarè inquit Plinius, *præcipere qualis eſſe debeat Princeps pulchrum quidem, ſed oneroſum, ac prope ſuperbum eſt: laudare verò optimum Principem, ac per hoc poſteris velut e ſpeculâ lumen, quod ſequantur, oſtendere, idem utilitatis habet, arrogantiæ nihil* (a). Id unum itaque innuiſſe juverit, quod pulcherrimus virtutum omnium ſplendor in Principe requiritur, quibus apud ſubditos mirificè commendari, ipſorumque animos exemplo potiùs, quàm legibus, ac minis ad honeſtatem impellere, & excitare poſſit. Religio in primis requiritur, quâ Deum, ac divina omnia, templa, Sacerdotes, eo, quo par eſt honore, ac reverentiâ complectatur; quâ a Deo, cujus in terris vices gerit, & quem unum judicem formidat, pares eximio muneri vires exoret; quâ avitam, ſinceramque Religionem perditorum hominum fraudibus, conſiliis, noviſque doctrinis violari non patiatur. Pietas deinde, quâ Cives omnes ſibi divinitus creditos amore, ac benevolentiâ propemodum paternâ complectatur, ut miro quodam amoris, ac majeſtatis fœdere ſimul *amet dici Pater, atque Princeps*. Juſtitia, quâ

(a) *Plin.* III. *epiſt.* 18.

quâ debitas iniquis pœnas, honeſtis, meritiſque viris mercedem, ac honores æquâ lance diſtribuat. Fortitudo, ne proſperis rebus inſoleſcat, in adverſis animo concidat; ſed omnia tranquillo, conſtantique pectore aggrediatur. Clementia *virtus Principibus digniſſima*, humanitas, manſuetudo, quibus ſe facilem, mitem, benignum exhibeat, omniumque amorem ſibi conciliet. Temperantia, modeſtia, ſobrietas, quibus animi affectibus moderetur; cùmque ſe humanis legibus ſolutum noverit, legibus tamen obtemperet. Liberalitas, ac beneficentia, quibus ex amantiſſimi Principis ſinu gratias, honores, & opes veluti ex uberrimo fonte, ſervatis juſtitiæ, vel honeſtatis legibus, manare ſinat. Sapientia, quâ bonarum artium ſtudia, eiſque deditos homines impensè diligat, fovere, impellere, opibus, & honoribus augere velit; imperii fines, viciſſitudines, vires, finitimos populos, commercia, munimenta, commoda, leges omnes, indolem, mores accuratiſſimè inquirat. Prudentia denique, ſolicitudo, ac vigilantia, quibus in belli, paciſque negotiis alacriter, ac fæliciter gerendis ingenuos adminiſtros, conſiliarios, judices eligere poſſit, ipſorumque monitis, atque conſiliis facilem, flexibilemque præbere ſe velit, ab inſidis aſſentatorum laudibus, ac lenociniis veluti Principum peſte, plurimum caveat; omnia demum ad Civium ſalutem, fauſtitatemque dirigat; cumque ſe publici boni, tranquillitatis, ac fælicitatis amore liberis populorum ſuffragiis electum noverit, omnibus ingenii viribus enitatur, ut populorum votis, ſuſcepto muneri, ac majeſtati reſpondeat.

XII. Dum verò ſingula, vel nobiliora certè fælicis, optimi, præſtantiſſimique Principis munera, officia, ſive virtutes expono, non aliud certè

tè mihi vividiùs animo, vel oculis obverſatur, quàm eximius ille virtutum ſplendor, qui Te, CLEMENS PONTIFEX MAXIME *, ad ſupremæ hujus, divinæque propemodùm Dignitatis gloriam evexit. Præclaris enim animi tui dotibus, Sapientiâ in primis, Æquitate, Clementiâ, Liberalitate, ac Magnificentiâ non modò Civium, Populorumque amorem Tibi mirificè conciliaſti; ſed illud etiam fæliciter effeciſti, ut optimi, perfectiſſimique Patris, ac Principis imaginem in Te uno mirificè expreſſam jucundiſſimè contemplemur. Patere itaque, ut quemadmodum Inſtitutiones iſtæ, quas auſpiciis, & imperio tuo erudiendis Adoleſcentibus adornavi, veluti perenne obſequii in Te mei, gratique animi monumentum extare debuerant; ita quoque virtutum tuarum gloriam, dignamque Principe majeſtatem humiliter teſtari poſſint: & ſicuti ſtudiis hiſce meis ex ampliſſimæ Dignitatis tuæ lumine maximus, immenſuſque ſplendor accedit, ex jucundiſſima quoque, ac immortali virtutum tuarum recordatione Adoleſcentes ipſi ad Sapientiæ, Honeſtatis, ac Virtutum omnium amorem fæliciter incendantur.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

* Opus iſtud in prima editione Clemens XII. P. O. M. fuerat inſcriptum.

Digitized by Google

Digitized by